P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBRI I–VI.

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBRI I—VI.

EDIDIT ET ANNOTATIONE ILLUSTRAVIT

P. HOFMAN PEERLKAMP.

LEIDAE

APUD H. W. HAZENBERG ET SOCIOS.

MDCCCXLIII.

EX TYPOGRAPHEO I. G. LA LAU.

P. VIRGILII MARONIS

A E N E I D O S

LIBER PRIMUS.

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, et, egressus silvis, vicina coëgi
Ut quamvis avido parerent arva colono:
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis

Q. B. F. F. Q. S. commentari aggredior, quae per varia editionum Virgilianarum exempla annotavi: ea non heri aut nudius tertius annotavi, sed labor sunt multorum annorum, non ille quidem perpetuus, sed post remissionem iteratus, quoties in Academia Leidensi auditoribus meis singulos libros interpretabar. Interpretatus autem sum omnes bis, docendoque multa ipse didici, nec facile obliviscar, quam saepe ex naturali et simplici ingeniorum iuvenilium bonitate profecerim, et responsa illa, nullis fere interpretum praeiudiciis corrupta, viam veri vel inveniendi vel confirmandi monstraverint. Incepi confusam annotationum molem componere his ipsis Kalendis Decembr. a. MDCCCXLI.

Ille ego, qui quondam. Fama fertur quatuor primos versus a Virgilio quidem fuisse compositos, sed a Vario sublatos. Tib. Cl. Donatus in Vita Virgilii famam excepit et propagavit. Homines doctrina et iudicio excellentes, hos versus Virgilio indignos censuerunt. Honoris causa nomino N. Heinsium, Marklandum, Burmannos, Heynium. Argumenta vel ipsi invenerunt, vel ab aliis inventa confirmaverunt haec: non leguntur in

optimis MSS. quale est Mediceum. Multi scriptores Romani illud *arma virumque* tamquam initium Aeneidos variis modis usurpaverunt. Adversantur rationi carminis epici. Non sunt pro ingenio Virgiliano. Accidit idem in aliorum carminum initiis, ut versus aliena manu fuerint assuti. Atque haec fere sunt argumenta eorum, qui hos versus pro spuriis habent. Alii omnino esse genuinos arbitrantur. G. P. E. Wagnerus, praeclarus Virgilii interpres, quem itidem honoris causa nomino, primum fidem Donati et Servii, Codicumque Romani et Palatini testatur; deinde sic defendit, ut in iis vim et elegantiam orationis agnoscat, initium autem adeo tenue et exile argumento carminis gravissimi non convenire fateatur. Virgilium tamen, natura magis aptum rei rusticae describendae, et ab Augusto fere coactum ut arma caneret, in principio operis aegre ab sua natura discessisse; sed, si ea retractare potuisset, quatuor versus fuisse recisurum; esse adeo illos ipsius Virgilii, sed a Vario deletos: unde in aliis MSS. legi, in plerisque non legi, quoniam textus Virgilianus ex sola recensione Tuccae et Varii emanavit. Haec Wagnerus.

Equidem quatuor hos versus semper pro spuriis habui. Quod quare fecerim, exponam, ordinemque disputationis Wagnerianae sequar. Iam primum illud de versibus a Vario demtis, non ita traditum accepimus, ut de auctoritate dubitari non possit. Donatus in Vita Virgilii § 60: *Nisus grammaticus audisse se a senioribus dicebat, Varium primi libri correxisse principium, his versibus demtis.* Hic ego, ut mittam, quae de Vita ista, multis modis interpolata, afferri possunt, miror, cur Nisus, Grammaticus diligens, se a senioribus audivisse diceret, quod, si verum esset, annotatum, credo, invenisset, et ipse, si non scripserit Commentarios Virgilianos, in libro aliquo Grammatico annotasset. Tam insignem mutationem in principio nobilissimi operis non fando, sed certis rerum documentis accipere solemus. Si ab antiquiore Grammatico fuisset annotatum, non latuisset recentiores. In Servianis, farragine veterum Commentariorum, nihil de his versibus legimus. Servius igitur eos non vidit. In Praefatione quidem Serviana hoc factum Varii memoratur: sed tota ista Praefatio partim ex Vita, quae Donato tribuitur, partim ex aliis est libris consarcinata. Et quae fides habenda est homini, qui tam brevi intervallo tam contraria scribere potuit? Scripsit autem: *Unde et invenimus versiculos aliquos detractos, ut in principio: nam ab* armis *non incepit, sed sic:* ille ego qui quondam caet. Deinde haec legimus: *Sciendum praeterea est, quod, sicut nunc, dicturi, thema proponimus, ita veteres incipiebant carmen a titulo carminis sui, ut puta* arma virumque cano. Poteratne aliquid magis contrarium affirmari?

Quod ad Cod. Romanum et Palatinum attinet, hi, quamquam sat antiqui, tamen Cl. Donato et Servio sunt recentiores, si quidem annum quadringentesimum non attingunt. Et Codicibus istis oppono Mediceum vetustiorem, in quo versus quatuor non reperiuntur. De vi et elegantia orationis, quas Wagnerus in iis agnovit, postea videbimus. Initium autem, si revera tam tenue est et exile, neque operi gravissimo convenit, Virgilius, credo, ipse vidisset, qui illustria carminum epicorum ante oculos haberet exempla Graeca; praeterea in Georgicis et in ipsa Aeneide, quamvis opere non perfecto, tot ac tante sunt sobrii ac subtilis iudicii documenta, ut, qui ea dederit, de tali initio cogitare non potuerit. Si quis unquam fuit poëta, qui primos animi impetus coërcere sibique imperare sciverit, is omnium consensu fuit Virgilius. Amaverit vitam rusticam, ut nemo magis, tam ineptus non erat, ut isti amori loco ita alieno etiam indulgeret. Lucanum, Val. Flaccum, Statium, Silium, cum aliis vitiis, tum affectatae inprimis elegantiae studio laborasse constat. Inspicite singulorum exordia. Lucanus ita incipit: *Bella per Emathios plus quam civilia campos gesta cano.* Val. Flaccus: *Prima Deum magnis canimus freta pervia natis Fatidicamque ratem.* Statius: *Fraternas acies, alternaque regna profanis Decertata odiis, sontesque evolvere Thebas, Pierius menti calor incidit.* Silius: *Ordior arma, quibus coelo se gloria tollit Aeneadum.* An credibile est, tales poëtas ea cum gravi simplicitate fuisse incepturos, Virgilium, omnibus longe maiorem, tanto cum hiatu *Ille ego, qui quondam gracili avena modulabar, nunc horrentia Martis arma cano?* Adiecisset saltem aliquid de metu, ut vires tanto operi sufficerent, et invocasset Musarum auxilium. Nam quod nunc subiecit: *Musa mihi causas memora*, aliud est.

Iam Lucanus, caeterique, quos appellavi, poëtae, tanto se praestantiores esse arbitrabantur, quanto propius ad normam Virgilii, et in universi carminis forma et in dicendi figuris et modis, in ipsa adeo versuum modulatione, accederent. Ipsa, me hercle, illa, quae in Virgilio fortasse minus castigata inveniuntur, et ille, si licuisset, erat emendaturus, summopere admirabantur. Fac eos *ille ego* cognovisse, plus sine dubio ipsius poëtae, quam Varii iudicio tribuissent. Nunc omnes ab ipso statim argumento inceperunt, quum ornatius, etiam a scriptis antea carminibus, principium sumere potuissent.

Nec vero quis dicat, quatuor versus tamquam *praefationis* loco esse habendos. Video Heynium eo vocabulo in hac causa uti; et Burmannus in Annot. ad vs. 1, separandos ab ipso Aeneidos principio existimat. Veteres poëtae nihil praefabantur, nisi quod partem ipsius carminis efficeret inseparabilem. *Praefationem*

igitur dicas an *exordium*, eodem redit. Praefationem, quam sine carminis detrimento vel addere vel demere possis, ignorabant. Ovidius Metamorphoses ita aggreditur: *In nova fert animus mutatas dicere formas corpora.* Postea exsul, vide Trist. I. VII. 33, amico tria misit disticha, si praeponenda esse putaret in prima libri fronte, in quibus illud: *Quidquid in his igitur vitii rude carmen habebit, Emendaturus, si licuisset, erat.* Ipse Ovidius operi non praeposuit, neque eum effingit, quantopere illud a more abhorreret, sed misit ea conditione, si amicus ille praeponenda esse arbitraretur. Praeterea et aliud metri genus, ea disticha nunquam Metamorphoseon partem efficere potuisse, ostendit. Recentiores poëtae veterem consuetudinem mutarunt, et Claudianus Prologos vel praefationes Panegyrico Mallii Theodori, libro II in Eutropium et aliis carminibus, sed diverso metro, praemisit. Talis praefatio haec Virgiliana esse non potest. Si desinas in *horrentia Martis*, sententiae aliquid deest. Itaque stare non potest sine sequentibus: sequentia autem sine antecedentibus optime et longe melius, quam isto additamento onerata, sese habent. Quod suspicionem interpolationis iam ipsum non leviter auget.

Wagnerus silentio praeteriit argumentum, ex poëtis aliisque scriptoribus petitum, qui illud *arma virumque* ita adhibuerunt, ut pro initio Aeneidos accepisse videantur. Interpretes locos collegerunt. Fortasse illud argumentum eum Heynio levius esse putavit, dicente, potuisse a poëtis ea verba laudari, quae commodissime in eam, quam volebant, sententiam transferrentur, ut Ovidius de Virgilio dixit: *Transtulit in Tyrios arma virumque toros.* Fateor, qui Virgilium ex aliquo suo ipsius versu designare voluit, hic vocabulis *ille ego* uti nunquam potuit. Sed uti potuit alia eorundem versuum parte, ut Virgilium designaret. Equidem Virgilium statim ex versibus, quos exempli causa fingam, agnoscerem: *Ut quondam gracili carmen modulatus avena Egressus silvis vates, horrentia Martis Arma virumque,* canit.* Vel: *Sic quondam gracilem vates deponit avenam; Et, post rura avido parere coacta colono, Arma virumque canit.* Sed nemo unquam poëtarum unum ex quatuor versibus respexit, ne illud *horrentia* quidem vel *Martis* cum *arma* coniunxit. Qui triplex Virgilianorum carminum genus indicant, utuntur fere vocabulis ex prima Ecloga, et primo Georgicorum libro, statim ab initio petitis. Ex Aeneide vel *arma* vel *profugus* vel aliud vocabulum ponunt. Testimoniis interpretum haec addo: Ovid. III. Art. 337. *Et profugum Aenean, altae primordia Romae, Quo nullum Latio clarius exstat opus.* Seneca Epist. 113. *Prudens versus bonum est. Bonum autem omne animal est. Versus ergo animal est. Itaque* arma virumque cano

animal est. Ibi Seneca uti potuisset *Ille ego qui quondam.* Calpurn. Ecl. IV. 163. *Tityre, rura prius, sed post cantabimus arma.* Orosius I. 18. *Aeneae, Troia profugi, adventus in Italiam, quae arma commoverit.* Sulpitia in Satyra vs. 1. *Musa quibus numeris heroas et arma frequentas.* Quoniam igitur nemo ex omni scriptorum numero unum de quatuor versibus respexit, quod quatuor primis versibus operis ex antiquitate nobilissimi accidere non potuit, plurimi autem *arma virumque* et *profugum Aenean* ante oculos habuerunt, hinc etiam recte confici posse arbitror, hos versus iis scriptoribus fuisse incognitos.

Quod si vero textus Virgilianus ex sola recensione Tuccae et Varii manavit, Tucca autem et Varius quatuor versus reciderunt, quomodo alii aut unde recipere potuerunt? Hoc fieri non potuit, nisi Tucca et Varius Aeneidem, ipsa Virgilii manu conscriptam, ediderint, vel hos versus extra textum posuerint, vel in annotatione rem explicaverint, vel aliis narraverint, vel postea MS. Virgilii ipsius in manibus aliorum fuerit. Aeneis, ut a Virgilio erat concepta, edi non potuit. Fuisset opus, quod a nemine iucunde legeretur, plenum lacunis ac lituris. Virgilius moriens Aeneidem adeo non absolutam reliquit, ut comburi iusserit. Tandem editionem permisit, addita lege, ne Tucca et Varius aliquid adderent. Atqui Aeneidem hodie habemus ita certe absolutam, ut praeter aliquot hemistichia nihil desit. Ergo iam Tucca et Varius multa suppleverunt. Haec in MS. ipsius Virgilii suppleri non poterant. Composita igitur ex MS. Virg. sua editione, ipsum MS. combussisse videntur, ne comparatio et iudicium de re gesta institui posset. Neque hos versus extra textum posuerunt, neque aliquid ea de re annotarunt. Servius omnia vetustissimorum hominum indicia et factas in textu mutationes cognoscebat. Per eum accepimus, quid Maecenas, Messala, Pollio, alii veteres Critici censuerint. De hoc Varii facto altum silentium. Et, quamquam Commentarii Serviani sem per a recentioribus in brevius compendium fuerunt redacti, summa tamen rerum gravissimarum capita mansere servata, minusque credibile est, primam eius annotationem ita intercidisse, quum similes annotationes in aliis Aeneidos libris, quod ad ipsas res attinet, salvae sint. Nec vero Tucca et Varius aliis narraverunt, se versus istos delevisse. Suam ipsorum fidem minuissent, et lectores dubitassent statim, haberentne Aeneidem Varii an Virgilii: et seniores illi, a quibus se hoc audivisse Nisus Grammaticus dicebat, auctores famae memorassent alios, quoad perventum esset ad ipsum fontem et rei causam, Varium. Scriptum Aeneidos manu Virgiliana exemplum postea non exstitit. A. Gellius, N. Attic. II. 3. quidem narrat, Fidum Optatum, multi nominis Romae grammaticum, ostendisse sibi librum Aeneidos secundum, mirandae vetusta-

tis, quem ipsius Virgilii credebat: sed erat is liber secundus, in quo *Ille ego* caet. non leguntur, deinde Optatus *credebat* a Virgilio ipso scriptum, non pro certo affirmabat. Notae sunt iam veterum fraudes in huiusmodi MSS. vendendis, ut maioris venderentur. Optatus emerat viginti aureis.

Atque hae fere sunt causae, cur ego hos quatuor versus non a Virgilio scriptos, neque adeo a Vario esse sublatos arbitrer. Quis eorum sit auctor, ne divinatu quidem facile est. Sunt certe aevi haud recentis: si quidem iam in Cod. Palatino et Romano inveniuntur. Sed, si Nisus fuit antiquus ille Grammaticus, et revera hoc, quod Donatus tradidit, fando audivit, iam ad annum fere ducentesimum referendi esse videntur. Arnobius adversus Gentes I. pag. 37. Nisum citavit. Arnobius floruit a. 298. Faciamus Nisum floruisse a. 250, Seniores 220. Ita quatuor versus iam a. 200 fuere cogniti. Tam antiquos tamen non esse puto. Fortasse fuit alter eodem nomine Grammaticus Nisus, vivens inter annos 500—600, post Servium, et Asterium, qui Cod. Medicenm recensuit. Atque hinc etiam argumentum sumi potest pro maiore Medicei quam aliorum MSS. antiquitate. Sed ut omnis illa de MSS. disputatio, ita et coniecturae de auctore fraudis, in principio Carminis Virgiliani commissae, sunt admodum incertae. Satis habebo, si appareat, tales versus tali in loco positos a iudicio tanti poëtae abhorrere. Sed videndum de singulis.

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena. Ordo orationis non ita procedit, ut a castigato poëta, inprimis in carminis initio, exspectares. *Ego, qui modulatus, et coegi, at nunc cano.* Post *modulatus* non recte desideratur *fui.* Scripsisset saltem *modulabar.* Verba *qui modulatus sum, at nunc cano,* sententiam habent non absolutam. Absoluta esset: *qui modulatus sum, at nunc arma cano, quam vereor ut vires tanto operi sufficiant?*

Gracili avena. Notum ex antiquioribus epitheton. Vide interpr. ad Nemesiani Eclog. I. 3. *Incipe, si quod habes, gracili sub arundine carmen.*

Egressus silvis. Qui per *gracilem avenam* significavit carmen *Bucolicum*, et statim per *arva colono parere coacta, Georgicum*, is, ubi se egressum silvis dicit, cogitationem carminis *venatici* non excitare non potuit. Nemesianus v. c. qui prius Cynegetica, deinde Eclogas scripsit, dicere potuerat: *Venandi qui mille vias et dona canebam, Nunc tenuem gracili Musam meditabor avena, Egressus silvis.* Gronov. ad Statii Theb. II. 327. explicat *e pastorum saltibus*, ubi se bucolica cecinisse fingit.

Vicina coegi. Nemo facile dixerit, *cui* vicina. Markl. rogat *silvis* an *Mantuae?* Burman. *quia Georgica sunt proximum carmen Buco-*

licis. Quod est longe ineptissimum: ipse *durum* vocat. Wagnerus *vicina silvis* interpretatur ex Georg. III. 295. ubi legitur: *Incipiens stabulis edico in mollibus herbam Carpere oves —— Post hinc digressus iubeo frondentia capris Arbuta sufficere.* Sententia adeo huc, ni fallor, rediret: *ego, qui olim incepi a carmine bucolico, tum a bucolico digressus, ad Georgicum transii.* Hoc, si non alienum sit a carmine didactico, dedecet vel praefationem carminis Epici. Provoco ad sensum cuiusvis non duri ad elegantiam lectoris.

Avido parerent arva colono. Ut in Georg. I. 47. *Illa seges demum votis respondet avari Agricolae.*

Gratum opus agricolis. Minus bene iuncta sunt statim *colonus* et *agricolae.* Nam idem plane significant.

At nunc. At plane otiosum est, et contra morem Latinitatis. Georg. I. 5. *Hinc canere incipiam.* Georg. II. 1. *Hactenus arvorum cultus — Nunc te, Bacche canam.* Ovid. I. Art. 263. *Hactenus — nunc tibi.* Val. Flaccus VI. 33. *Hinc age — Musa mone.* Vide et Markl. Wagnerus *at* ex Livio defendit, X. 19. *Bellona, si hodie nobis victoriam duis, ast ego templum tibi voveo.* Sed longe aliam esse huius adverbii significationem, docuerunt Gronov. et Drakenb. ad Livii XXIV. 37.

Horrentia Martis. Graviter et modeste dictum *arma virumque cano:* tumide et arroganter *horrentia arma Martis.* Hoc est illud *Cantabo Priami fortunam et nobile regnum:* ab Horatio, summo Virgilii amico, reprehensum. Ipsi Historici lenius exordium sumunt. Thucydides *ξυνέγραψε τὸν πόλεμον, ἐλπίσας μέγαν τε ἔσεσθαι καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων.* Sallustius: *Bellum scripturus sum, quod populus Romanus cum Iugurtha, rege Numidiae, gessit: primum, quia magnum et atrox variaque victoria fuit* sq. Inflatum fuisset exordium: *Magnum et atrox bellum scripturus sum.* Ennio, arte rudi, hoc conceditur, ut Annales incipiat: *Horrida Romuleum certamina pango duellum.* Quamquam et *horrida certamina* melius dictum sit quam *arma horrentia*, ut Ausonii Epigr. I. *horrida Martis arma. Horrens* enim pro *horrorem incutiens* novum esse videtur. Neque altera significatio, qua hastae protensae vel erectae *horrent*, huic loco satis convenit. Wagnerus *horrens* illud opponit *nitido* arvorum cultui, qui grato adspectu delectat animos. Sed ad eundem arvorum cultum pertinet, quando gravidas aristas leni vento motas *horrere* videmus. Signa argento *aspera*, recte *horrentia* dicerentur. Et bene Valer. Flaccus VI. Argon. 524. *horrentia cuius Discolor arma super, squalentesque aere lacertos, Barbarica chlamys ardet acu.* Quem locum recte interpretatur Heyn. ad Virgil. X. Aeneid. 237. Caeterum *arma virumque*, ut *arma*

Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Laviniaque venit

viri saepe iuncta inveniuntur, qua formula vel civitatis vel unius hominis praestantia et virtus absolvuntur. Ita fere explicavit Burmannus, eamque explicationem valde laudat Wagnerus. Vere laudavit. Quamquam hoc contrarium sit opinioni illius, statuenti *horrentia Martis arma virumque* esse genuina.

Haec habui, quae de singulis versibus dicerem. Quid Schraderus iudicaverit, inde apparet, quod Theod. Kootenius a. 1770 in edito Emendationum libello, quas, praeside Schradero Franequerae defendendas suscepit, etiam hoc posuit: *Quatuor versus, qui leguntur ante Virgilii Aeneida, compositi sunt ab homine Latini sermonis ignaro.*

Initium Aeneidos sane non est expeditum. Videre mihi videor poëtam homini similem, qui, iter ingressurus, primam habet difficillimam viam, saxis et salebris et palude interruptam. Nescit quo se vertat, ubi vestigia ponat. Tandem eluctatus, versu demum 34 planum tramitem invenit. Multa de hoc initio, tamquam ab ipso poëta non satis elaborato, coniici possunt. Sed cui bono tales coniecturas: et quo fundamento aliquam veri similitudinem acciperent? Quid Tucca et Varius addiderint, nemo unquam pro certo affirmabit. Sed quidquid addiderint, hoc plane ineptum non fuit. Quare, quum Grammatici iam Aeneidem turpi praefatione dedecoraverint, cur, quod ibi factum est, in vicinia fieri non potuit? Qui scriptorem interpretantur, hi in principio operis esse solent diligentissimi, et nihil, quod vel ad minutissima quaeque explicanda pertineat, praetermittunt. Quare accidit, ut multa nobilissimorum librorum exordia glossis maxime sint corrupta. Ego, ni fallor, aliud, tanto poëta magis dignum, feci exordium.

Laviniaque venit. Alii *Lavinia.* Nihil dicam de *Italiam Lavinia litora*, omissa copula. Virgilius hoc, tamquam gravius, praetulisse videtur. Facile alioquin fuisset, scribere *Laviniaque* vel *Lavinaque*, quod etiam in Mss. legitur. Potuisset quoque *Italiae, fato profugus, Lavinia:* vel *Italiam, profugus fato, et Lavinia.* Sed *Lavinia* non ferendum puto. Quod genus hoc esset prolepseos? Quum Aeneas veniebat in Italiam, neque erat urbs *Lavinium*, neque litora *Lavinia.* Atque ea prolepsis propterea quoque magis fit ingrata, quia statim sequitur: dum conderet urbem *Lavinium.* In hac autem disputatione videndum est, quid Virgilius, non quid alii, de Lavinio urbe et litore statuerint. Adiectivum *Lavinia* positum est lib. IV. 236. *Nec prolem Ausoniam et Lavinia respicit arva.* Ubi significavit urbem Lavinium condendam olim. Lib. VI. 84. *in regna Lavini Dardanidae re-*

Litora; multum ille et terris iactatus et alto,

nient. Ubi tamen unice verum est *in regna Latini.* Propertius quidem II. xxv. 63. de Virgilio: *Qui nunc Aeneae Troiani suscitat arma, Iactaque Lavinis moenia litoribus.* Sed Aeneis tum nascebatur. Propertius nondum viderat, neque adeo illud *Lavinia litora* legerat. Et quum urbs Lavinium condebatur ac stabat, litora recte dici poterant Lavinia. In loco Virgilii longe alia ratio est, cuius loci sententia huc redit: *Aeneas primus a Troia venit in litus Lavinium, quod litus, aliquot annis post, ita fuit appellatum ab urbe Lavinio, eaque urbs nomen accepit a Lavinia.* Aeque ridiculum, ac si quis poëta de Koenio nostro ita inciperet: *arma et virum cano, qui primus ex Hollandia Iavam litora Batava venit:* ubi dicendum erat litora *Iacatrana.* Pro LAVINIA igitur scribendum puto LAVRENTIA. Ager, in quem Aeneas primum appulit, ab omnibus, quos vidi, Laurens appellatur. Virgilius ipse V. Aen. 797. *liceat Laurentem attingere Tibrim.* VIII. 71, ubi Aeneas Tiberim intravit, Nymphas precatur: *Nymphae Laurentes Nymphae.* VIII. 38. *Exspectate solo Laurenti, arvisque Latinis.* IX. 100. *Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva.* Tibull. II. v. 38, *Impiger Aenea — Troia qui profugis sacra vehis ratibus: Iam tibi Laurentes assignat Iupiter agros.* Sed inprimis ad coniecturam nostram faciunt Livius et Papin. Statius. Livius res Aeneae plane eadem ratione narravit, qua Virgilius. Fortasse uterque ex Ennii Annalibus. Multa verba sunt eadem. Livius autem I. 1. *Aeneam ab simili clade domo profugum, sed ad maiora initia rerum ducentibus fatis, primo in Macedoniam venisse: inde in Siciliam quaerentem sedes delatum: ab Sicilia, classe Laurentem agrum tenuisse.* Statius IV. Silv. II. 1. *Regia Sidoniae convivia laudat Elisae, Qui magnum Aeneam Laurentibus intulit arvis.* Significare vult Virgilium, eumque hoc convivium cecinisse in Aeneide. Respexit adeo initium Aeneidos, ibique in exemplo suo invenit *Laurentia.* Si invenisset *Lavinia*, vix dubito quin scripturus fuisset *Lavinia duxit in arva.* Nam qui poëtam, omisso nomine, ex aliquo ipsius versu indicant, hi versum ex initio carminis ita imitari solent, ut ipsa propemodum verba, certe quantum fieri possit, servent: itaque non indocti lectores statim agnoscant, quis poëta indicetur. Persius Sat. I. 96. ubi v. Casaub. Adde Silium XIII. 60. *Quaere in Laurentibus arvis, Qui nunc prima locant melioris moenia Troiae.* Vocabula autem *Lavinia* et *Laurentia* in vetustis libris modo haud ita dissimili scribuntur. Permutata sunt in uno MS. Aeneid. XII. 17.

Multum ille et terris iactatus et

Vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram,
Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem,
Inferretque deos Latio: genus unde Latinum,
Albanique patres, atque altae moenia Romae.
Musa, mihi caussas memora, quo numine laeso,

alto. Si accurate *multum ille iactatus, multa quoque passus*, perpendas, habet aliquid minus castigatum, quam a Virgilio hic iure postulamus. Quanto elegantius legeremus: *Multa ille, et terris iactatus et alto, Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem.* *Multa passus*, dum terra marique iactaretur, *multa quoque passus* in bello, dum urbem conderet. *Multum — multa* est repetitio Latinis auribus ingrata: *multa — multa*, est repetitio gravis et exquisita. Exempla ubique inveniuntur, ut Graecorum *πολλὰ μὲν, πολλὰ δέ.* Fortasse nonnulli mihi objicient Homericum ex Odyssea: ὅς *μάλα πολλὰ πλάγχθη — πολλὰ δ' ὅγ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα.* Sed Homerus non dixit *multum* erravit, sed *multa*. Quare ista Graece, quamquam diversa significatione, iam melius sonant. Addidit etiam *πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα*, quod Virgilius omisit. Neque ille Homerum ita imitatur, ut negligat, quid Latine dictu sit melius. Et si quis illud *πολλὰ πλάγχθη* urguere velit, maiori fortasse iure contendo, Virgilium non ea reddidisse *multum iactatus*, sed *πολλὰ πάθεν ἄλγεα ἐν πόντῳ* reddidisse *multa passus*, *alto iactatus*. Formula *multa, omnia pati* satis nota est. Emendabo Val. Flacc. III. 205. *Lelegum qui pulsus ab oris, Regis amicitiam et famuli propioris honores, Qua patiens non arte? tulit.* Scribendum est *Quae patiens non ante?*

Vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram. Brevi intervallo ira Iunonis sexies memoratur. Hic, Iunonis *ob iram*, vs. 9. *dolens* regina Deum, vs. 11. animis coelestibus *irae*, vs. 25. causae *irarum*. vs. 29. his *accensa*, vs. 36. Iuno aeternum servans sub pectore *vulnus*. Plenae fastidii repetitiones. Tum difficile dictu, quae sit illa *vis superum*. Deinde Iuno non minus Aeneam in ipsa Italia vexavit, quam dum *terris et alto iactaretur*. Adeo ut Virgilius sibi non constet, quando hic odium Iunonis tantum ad errores Aeneae refert. Denique cursus orationis, versu ejecto, longe expeditior est: *multa ille passus terra et mari errans, multa quoque in Italia.* Odium esse Iunonis versu demum 8 declaratur, et Musa rogatur ut causam explicet. Minus recte aliquid de odio praecederet.

Quo numine laeso. Nemo omnium interpretum hoc explicare potuit, ut

Quidve dolens, regina deum tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit. Tantaene animis coelestibus irae!
Urbs antiqua fuit; Tyrii tenuere coloni;
Carthago, Italiam contra Tiberinaque longe
Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli:
Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo; hic illius arma,

sic a Virgilio esse scriptum credas. Eum scripsisse puto: *Quo crimine laesa.* CRIMINE LAESA et NUMINE LAESO non multum differunt. Innocentia Aeneae statim non melius elucere potuit, quam interrogando, quod tandem ille vir crimen commiserit, tanto Iunonis odio dignum? Virgil. I. Aen. 231. *Quid meus Aeneas in te committere tantum, Quid Troes potuere?* VII. Aen. 306. Ovid. Heroid. XIV. 63. *quid fecimus ipsae? Quo mihi commisso non licet esse piae?* Lucan. VII. 847. *Thessalia infelix, quo tanto crimine, tellus, Laesisti superos?* Hoc plane est illud *quo crimine laesa*. Val. Flaccus V. 659. *Quod tamen aggressae scelus, aut quo crimine sontes?* Claudian. II. Raptu Pros. 264. *tantas quo crimine movimus iras?*

Carthago Italiam contra. In exordiis carminum Epicorum esse solet aliquid obscuri, quod lectori relinquitur coniiciendum. Sic animus exspectatione intenditur. Vide ipsum Virgilium. Non appellat Aeneam, sed *virum*: non Turnum, sed *bellum*: non Lavinium, sed *urbem*: non, quomodo ex Lavinio Ascanius, ex Ascanio Alba Longa, ex Alba Longa et Rhea Silvia Romulus, ex Romulo Roma, sed haec omnia per ambages quasdam enuntiat. Carthago quoque melius intelligitur ex *urbs, quam Tyrii tenuere coloni.* Albam et Romam appellavit, quia nondum exstabant. Hoc ipsum, quod Roma ex tali initio oriretur, admirationem movet. Sed Carthago stabat, parva quidem et quasi in incunabulis, sed stabat. Et Virgilius hic non aliam quam hanc parvam ante oculos habere potuit. In versibus istis apparet non Carthago Didonis, sed qualis tempore belli Punici primi fuit.

Posthabita coluisse Samo. Observatu dignum est, Virgilium postea nunquam memorasse *Samum*, tamquam sedem Iunoni amatam, sed semper *Argos*. Ita VII. Aen. 286. *Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis Saeva Iovis coniux.* Ubi, memor *posthabitae Sami*, scripsisset potius: *Ecce autem Samiis sese referebat ab oris.* Hinc etiam Iupiter,

Hic currus fuit; *hoc regnum dea gentibus esse*,
Si qua fata sinant, iam tum tenditque fovetque.

II. Aen. 326, quum Graeci in Troia incensa dominabantur, *omnia Argos transtulisse* dicitur. Et Iuno pro *Argis* contra Troianos praecipue stetit. Conf. Ciofan. ad Ovid. VI. Metam. 414. Mallem Virgilius hic pro POSTHABITA *coluisse* SAMO scripsisset POSTHABITIS *coluisse* ARGIS. Eo respexisse videntur Silius I. 26. *Hic* (Carthagine) *Iuno ante Argos — optavit profugis aeternam condere gentem.* Statius II. Theb. 252. *Pallada Munychiis cui non Argiva per urbes Posthabita est Larissa iugis.* In quo versu *Argiva posthabita* sunt imitatio verborum *posthabitis Argis*. Qui Virgilium et illos poëtas accurate legerunt, hi puerile imitandi studium in talibus quoque minutiis animadvertere potuerunt.

Hoc regnum dea gentibus esse. Et hoc statim in principio nimis aperte explicatum est. Iunonis voluntatem iam divinamus ex eo, quod istam Tyriorum coloniam omnibus terris, etiam Argis, praeposuit, ibique eius arma et currus fuerunt. Virgilius hoc Iunonis consilium postea non semel explicavit. Neque Latinitatem satis esse exactam arbitror: Dea iam tum *tendit* Carthaginem esse regnum gentibus. Apertum est quae sententia postuletur, nimirum: iam tum Carthaginem regnum gentibus destinat. Adde verbum, et dices »Carthaginem tendit *fore*, *ut futura sit*. *Iam tum tendit esse* non accipi potest nisi de praesenti tempore. Et quid de *fovet* faciemus? Si iungas *tendit esse regnum et fovet regnum*, sententia non est expedita. Nam regnum hoc in votis tantum Iunonis erat: tum scribendum erat *hanc regnum Dea gentibus:* sed verba *tendit* et *fovet* ita inngere per Latinitatem non licet. *Tenditque fovetque* tam arcte cohaerent, ut separari non possint. Tale est v. c. illud Val. Flacci IV. 305. *turbatque premitque ancipitem:* et V. 494. *operatque cupitque.* Sed hic *tendit* haberet significationem neutram, *fovet* activam. Nec scio an probandum sit *esse* in fine hexametri, ita positum: Virgilius bis fecit. Aeneid. X. 221. *Nymphasque e navibus esse Iusserat.* XI. 364. *et esse Nil moror.* Sed ratio est diversa. Non enim in vocabulo *esse* quiescimus, sed continuata pronuntiatione cum *iusserat* et *moror* coniungimus. In nostro loco quiescendum est, propter illud *si qua fata sinant*. An Ovidius Fast. VI. 45. *Poeniteat, quod non foveo Carthaginis arces Cum mea sint illo currus et arma loco* — illud *fovetque* respexerit, dubito. De *currus et arma* nemo dubitare potest. Sed fovere *populos*, *urbem* satis notum erat, neque Virgilio peculiare. Ipse alibi dixit: *mecumque fovebit*

Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quae verteret arces;
Hinc populum late regem, belloque superbum
Venturum excidio Libyae; sic volvere Parcas.

Romanos. Valerius Flaccus I. Argon. 559. eandem fere sententiam longe elegantius expressit, ubi Iovem facit loquentem: — *ipse locos terrenaque cuncta movendo Experior, quaenam populis longissima cunctis Regna velim, linquamque datas ubi certus habenas.*. Ubi Burmannus emendans *ex populis* locum turbavit. Val. Flaccus versus, de quibus agimus, imitatur. Iuno *tendit* regnum esse gentibus, Iupiter experietur quae *regna velit esse populis. Regna populis* et *regnum gentibus* est idem. Si Valerius hos versus imitatur, antiquissimo tempore sunt inserti. Grammatici, credo, Aeneidem iam initio hemistichiis dedecorari nolebant. Virgilius tamen in *currus fuit* desiisse videtur. Atque hoc olim annotatum esse debuit. Legimus enim in Commentario seu Praefatione Servii ad Aeneidem p. 2. edit. Burm. *Augustus Tuccam et Varum hac lege iussit Aeneidem emendare, ut superflua demerent, nihil adderent. Unde et semiplenos eius invenimus versiculos, ut: hic currus fuit.* Atque hoc a nullo interprete, ne a diligentissimo quidem Wagnero animadversum esse miror. Dicent fortasse, qui contra me disputare cupiant, in Servio legendum esse *hic cursus fuit*, ac respici Aeneid. I. 534. ubi revera est hemistichium *hic cursus fuit.* Utantur, qui velint, hoc contra me telo. Ipse ostendi, quia sentiebam, quam debile ac plumbeum esset. Ni sensissem, haec non disputassem.

Hinc populum late regem. Locus intricatus, et variis modis interpretatus. Si legimus *et populum late regem*, multum profecimus. Ita *populus* esset epexegesis *progeniei.* Vel sic tamen mihi non placet, quod prius speciale, deinde generale posuit. Generale est *excidium Libyae*, speciale *deleta Carthago.* Si versus transponuntur, habebis cursum longe faciliorem: *Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci Audierat, Libyae excidio: sic volvere Parcas. Hinc populum, late regem belloque superbum, Venturum Tyrias olim qui verteret arces.* Expedita sententia. Iuno audierat ex Aenea, excidio Africae, aliquem duci (Romulum), ex eo duci populum, qui aliquando venturus erat, ut Carthaginem everteret. *Venturum qui verteret*, ut XI. Aeneid. 688. *advenit qui vestra — dies verba redargueri*t. Et in tali positu *venire* habet minationem, magis quam in *venire excidio*, quia et dicimus *venire auxilio.*

Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis:
Nec dum etiam caussae irarum saevique dolores
Exciderant animo; manet alta mente repostum
Iudicium Paridis, spretaeque iniuria formae,
Et genus invisum, et rapti Ganymedis honores:
His accensa super, iactatos aequore toto
Troas, reliquias Danaum atque immitis Achilli,
Arcebat longe Latio; multosque per annos
Errabant, acti fatis, maria omnia circum.

Id metuens. Semper duos versus pro insititiis habui. Ordinem verborum valde turbant. *Iuno audierat Romanos Carthaginem esse deleturos. Id metuens, et memor belli Troiani: nec dum aliae irarum causae animo exciderant. His accensa, Troianos arcebat Latio.* Est haec sordida orationis negligentia. Tum *id metuens* plane supervacuum est. Metus Iunonis, iam satis apparet ex verbis *sed enim* audierat. Cui metui quum accedebant causae irarum, ideo Troianos vexabat. Deinde illud *prima gessit*, pro *prius* vel *primum*, hoc loco vix Latinum est. Sit autem. Cui bono additur? Unice ad versum supplendum. In oratione prosa omnes eiicerent. *Memor belli, quod pro Argis gesserat:* nemo scriberet, quod *olim*, quod *antea* gesserat. Ipsum bellum haud ita diu erat finitum, et lectoribus Aeneidos videri debet brevi ante gestum, quia Aeneas profugus ab oris Troiae venit, et ultima pars belli in libro quarto narratur. Heynius putabat Maronem hos versus fuisse sublaturum. Ergo et illi displicebant. Equidem non credo poetam, qualis fuit Virgilius, qui tam lente festinans sua carmina componebat, eoque iudicio et ingenio valebat, tales versus potuisse concipere, vel conceptos unum diem in scidulis relinquere indeletos. Heynius, Valerium Flaccum I. 509: *Hoc metuens, et ne qua foret manus invida nato*, hos versus respexisse arbitratur. Quaero, cur magis hos, quam Aeneid. I. 60. *Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris Hoc metuens.*

Nec dum etiam causae. Imitationes apparent in Statio I. Theb. 246. *neque enim arcano de pectore fallax Tantalus, et saevae periit iniuria mensae.* Lib. V. 645. *Nec dum etiam responsa Deum monitusque vetusti Exciderant.* Iulius Firmicus de Errore Prof. relig. pag. 7. *quod irata mulier pro iniuria spretae fecerat formae.*

Tantae molis erat Romanam condere gentem.
Vix e conspectu Siculae telluris in altum
Vela dabant laeti et spumas salis aere ruebant;
Quum Iuno, aeternum servans sub pectore volnus,
Haec secum: Mene incepto desistere victam,
Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?
Quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem
Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto,
Unius ob noxam et furias Aiacis Oilei?
Ipsa, Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem,
Disiecitque rates, evertitque aequora ventis;
Illum, exspirantem transfixo pectore flammas,
Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.
Ast ego, quae divum incedo regina, Iovisque
Et soror et coniux, una cum gente tot annos

Tantae molis. Sulpitius Severus Histor. II. pag. 316. *magnae molis erat urbem restituere.*

Classem Argivum. Salvagnius ad Ibin. vs. 341. citat *gentem.* Errore memoriae, credo. Magis autem hic locus ad Graecam normam esset compositus, si legeretur *classem Argivam.* Ita saepe Homerus, ut Iliad. Σ. 47. *πυρὶ νῆας ἐνιπρῆσαι κτεῖναι δὲ καὶ αὐτούς.* v. D'Orvill. *Argivum*, *utque ipsos* minus exquisitum est.

Exspirantem. Statius Theb. XI. 2. *exspiravitque receptum fulmen.* Claudian. I. Rapt. Pros. 154. *Spirat inexhaustum flagranti pectore sulphur.* Propius huc pertinent illa Lucretii VI. 388. *icti flammas ut fulguris halent Pectore perfixo.* Valer. Flaccus I. 372. *tortum non ab Iove fulmen Oileus Qui gemet, Euboicas nato stridente per undas.* Ubi *stridente* infeliciter positum est ad exprimendum *flammas transfixo pectore exspirantem.*

Una cum gente. Pallas, minor dea, quam ego sum, propter unum Aiacem, classes Graecorum disiecit, Aiacem fulmine petiit, iniuriam adeo suam statim ulcisci potuit. Ego, maior Pallade, quae tot causas irarum habeam, iam tot annos bellum gero cum *una gente.* Nemo non sentit rationem oppositi esse mancam. Iunoni pugna esse debet cum inimico leviore, quam fuit Palladi. *Gens* plus est quam *classis*, magis etiam quam unus *Aiax.* Scio intelligi Troianos e patria fugientes. Sed hi non

Bella gero. Et quisquam numen Iunonis adorat
Praeterea, aut supplex aris imponet honorem?
  Talia flammato secum dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca feta furentibus austris,
Aeoliam venit. Hic vasto rex Aeolus antro
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat.
Illi indignantes, magno cum murmure montis,
Circum claustra fremunt. Celsa sedet Aeolus arce

amplius erant gens, sed gentis reliquiae, sicuti hoc loco erant appellandi. Neque *tot anni* ad bellum Troianum simul referri possunt. Hoc bellum erat finitum, et Iuno victrix discesserat. Bellabat nunc iam septimo anno contra reliquias. Et istae reliquiae cum Graecorum classe, quae parto triumpho domum ibat, non erant comparandae. Quid multa? Pro VNA *cum gente* reponendum est VICTA *cum gente*. Haec pulchre sibi opposita sunt. Diceres nullum esse laborem, vincere victos. Tamen cum victis tam diu bella gero. Pallas statim vicit victores. Pro mea emendatione haec affero exempla, quamquam non erat necessarium. Virgil. I. Aen. 68. *Ilium in Italiam portans victosque Penates* I. 529. *Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.* XI. 402. *extollere vires Gentis bis victae, contra premere arma Latini.* Eodem pertinent illa *bis victi Phryges*, et *num capti potuere capi.* Ovid. Remed. 368. *Pertulit huc victos quo duce Troia* deos. Seneca Agam. 206. *trahit Captiva Pergama et diu victos Phrygas.* Tumide Silius XVII. 363 *cineres Troiae Carthagine regnent.* Ovid. IV. Metam. 422. h. l. cogitabat, quum scriberet: *Iuno Nec tulit: et secum, Potuit de pellice natus, vertere Maeonios, pelagoque immergere, nautas? Nil poterit Iuno, nisi inultos flere dolores?*

Numen Iunonis adorat. Imitatio cernitur in Statio I. Theb. 362. *Cur usquam ara calet?* Ovid. III. Am. VI. 33. *Et quisquam pia thura focis imponere curet?* Val. Flaccus III. 514. *En ego nunc regum soror. Et mihi gentis Ullus honos?* Minus recte Scaliger pro *imponat honorem* volebat *odorem.* Iam Vossius ad Val. Flaccum I. 678. repudiavit.

Talia flammato. Statius I. Theb. 248. *ast illi saucia dictis Flammato versans inopinum corde dolorem, Talia Iuno refert.*

Circum claustra fremunt. Iungenda nimirum sunt *cum murmure montis*, non *circum claustra mon-*

Sceptra tenens, mollitque animos, et temperat iras.
Ni faciat, maria ac terras coelumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens, molemque et montis insuper altos
Imposuit, regemque dedit, qui foedere certo
Et premere, et laxas sciret dare iussus habenas.
Ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est:
Aeole, namque tibi divom pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento,

tis. Est magis exquisitum. Praetulerunt quoque Heyn. et Wagn. Ita etiam poëtae acceperunt. Lucan. X. 321. *ac multo murmure montis Spumeus invictis canescit fluctibus amnis*. Valer. Flaccus II. 566. *magnoque iugi stridore revulsas arbores*. Silius I. 469. *vasto Cori cum murmure*.

Sciret dare iussus habenas. Etiamsi *iussus* explices *a Iove* iussus, manet frigidum, et tamquam versui fulciendo natum. Atque illud *sciret dare*, et supra *ni faciat*, ostendunt regem, officii ac potestatis haud ignarum. Wakefieldii *iustus* non plane intelligo. Nam quae iustitia in ventis nunc cohibendis nunc laxandis cernitur? IVSSVS corruptum puto ex RVRSVS. Hoc Latinum est, *qui habenas premere ac rursus laxare sciret*. *Rursus* est *contra*, *vicissim*. Vide Burm. ad Val. Flacci III. 645. Lucanus II. 456. *ut*, *cum mare possidet auster Flatibus horrisonis*, *hunc aequora tota sequuntur: Si rursus tellus*, *pulsu laxata tridentis Aeolii*, *tumidis immittit fluctibus Eurum*, *Quamvis icta novo*, *ventum tenuere priorem Aequora*. Diceres Lucanum hic legisse *laxas dare rursus habenas*. Nam quid aliud est *tellus rursus laxata pulsu tridentis Aeolii?* Ut *pulsu tridentis* est Virgilianum *cuspide montem impulit*. *Tellus* apud Lucanum est corruptum, nec scio quomodo emendandum. Sed hoc nihil ad locum Virgilii. Lucanus voluit *rupem*, vel *carcerem*, quo Aeolus ventos emittit.

Tollere vento. MSS. quaedam, in quibus Palatinus, habent *ventos*. Mallem *ventis*. Aeolus *ventos imperio premit*, et mox rogatur ut incutiat *vim ventis*. Tollere *ventos* hic sententiae repugnat. Unde ergo in textum venire potuit, nisi corruptum ex *ventis?* Aequor *tollitur*. Explicabo difficilem locum Val. Flacci I. Argon. 670. *Seu casus nox ista fuit; seu volvitur axis*, *Ut super-*

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor,
Ilium in Italiam portans victosque Penates:
Incute vim ventis, submersasque obrue puppes;
Aut age diversos, et disiice corpora ponto.
Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae;
Quarum quae forma pulcherrima, Deiopea,
Connubio iungam stabili propriamque dicabo.
Omnis ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, et pulchra faciat te prole parentem.
  Aeolus haec contra: Tuus, o regina, quid optes,
Explorare labor; mihi iussa capessere fas est.

rum sic staret opus; tollique vicissim Pontus habet. Scribe *Et superum testatur opus.* Seu nox, tempestas illius noctis, casu accidit. Seu axis volvitur, et testatur hunc mundum a Deis esse factum, et certa lege regi, atque adeo pontus propter illum axis motum vicissim tollitur. Latine dicitur: *pontus habet hoc vicissim tolli*, pro, haec est natura ponti, ut vicissim tollatur. *Habet*, ut Horatii *habebat ille Tigellius hoc.* In Val. Flacco *habet* olim accepere pro *avet*, quos sequi non debuerat Schultingius ad Senecae Controv. I. pag. 60.

Age diversos. Minus vulgare quam *diversas.* Ut supra *classem Argivam atque ipsos.* Pro *disiice* antiquiora MSS. *dissice.* De qua re vide et Ciofan. ad Ovid. XI. Metam. 386.

Sunt mihi bis septem. Claudian. Cons. Prob. et Olybrii 142. *Sunt mihi pubentes alto de semine fratres.*

Quarum quae forma pulcherrima. Haud dissimili verborum ordine Silius III. 679. *Quarum Chaonias pennis quas contigit oras.* Ioseph. Iscanus de Bell. Troi. II. 235. *quarum quae maxima.* Heinsius autem praeferebat *formam.* *Forma* probari quoque potest ex Ovidio Heroid. XIX. 131. *laudatissima forma.* IX Metam. 451. *praestanti corpora forma.* Fast. III. 467. *Inter captivas facie praestante puellas.* III Heroid. 35. *forma praestante puellae Lesbides, eversa corpora capto domo.* Conf. Wagn. ad Aeneid. IX. 563.

Propriamque dicabo. Plautus Mostell. I. III. 68. *Illum amatorem tibi proprium futurum in vita.* Valer. Flaccus III. Argon. 535. *Quam tibi coniugio, tot dedignata dicavi, Nympha procos.*

Mihi iussa capessere fas est. Euripides in Ione 1024. σὸν λέγειν, τολμᾶν δ' ἐμόν. Seneca Hippol. 272.

Tu mihi, quodcunque hoc regni, tu sceptra Iovemque
Concilias; tu das epulis accumbere divom,
Nimborumque facis tempestatumque potentem.
  Haec ubi dicta, cavum conversa cuspide montem
Impulit in latus; ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, et terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a sedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
Africus, et vastos volvunt ad litora fluctus.
Insequitur clamorque virum stridorque rudentum.
Eripiunt subito nubes coelumque diemque
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra.

Meus iste labor est, aggredi iuvenem ferum. vs. 618. *Te imperia regere, me decet iussa exsequi.* Herc. Furent. 41. *Minorque labor est Herculi iussa exsequi, Quam mihi iubere.*

Sceptra Iovemque concilias. Valer. Flacc. IV. 28. *et iam mihi limina coeli conciliat.*

Montem impulit in latus. Val. Flaccus I. 609. *tum valido contortam turbine portam Impulit Hippodates. Fundunt se carcere laeti Thraces equi.* Ubi praestaret *valida contortam cuspide portam.* Nam incredibili studio Virgiliana sequebantur isti poëtae, sicuti idem Valer. I. 396. *placatque data fera murmura porta* — imitatus *qua data porta ruunt.*

Una Eurusque Notusque ruunt. Brevi ante legimus: *qua data porta ruunt.* Ibi significatione neutra, hic activa. Hoc non est castigati scriptoris. Pro RVVNT Virgilius longe melius scripsisset CIENT. *Ciere* et *excire a sedibus*, etiam de mari, eleganter dicitur. Virgil. II. Aen. 419. *saevitque tridenti Spumeus atque imo Nereus ciet aequora fundo.* Unde Seneca Herc. Fur. 86. *Adsint ab imo Tartari fundo excitae Eumenides.* Statius Theb. I. 228. *Excitam a sedibus imis Eumenidum bellasse aciem.*

Creberque procellis Africus. Creber mihi hoc loco nimis humile epitheton videtur, praecipue si cogitem *Africum* esse personam. Pro CREBERQVE Virgilius scribere potuit ATERQVE. Sic Lucan. V. 609. *non imbribus atrum Aeolii jacuisse Notum sub carcere saxi. Ater imbribus*, ut *ater procellis.* Valer. Flacc. II. 365. *Insequitur niger et magnis cum fratribus Eurus Intonat Aegeo.*

2*

Intonuere poli, et crebris micat ignibus aether:
Praesentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Aeneae solvuntur frigore membra.
Ingemit, et, duplicis tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert: O terque quaterque beati,
Quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis
Contigit oppetere! o Danaum fortissime gentis,
Tydide, mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse, tuaque animam hanc effundere dextra!
Saevus ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens
Sarpedon: ubi tot Simois correpta sub undis
Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit.

Intentant omnia mortem. Si quis olim in lucem denuo edat P. Albinovani Eleg. I. 360. *Ecce necem intentam coelo terraeque fretoque, Casurumque triplex vaticinantur opus:* ille fortasse de nostra coniectura melius edet: *Ecce necem intentant coelo.* Pulchre *intentant*, pro *intentari contendunt.* Ea formula huic ipsi argumento quasi propria videtur, quo neminem suas unius aerumnas respicere debere monstrabant. Quare et Albinovanus addit: *I nunc, et, rebus tanta impendente ruina, In te solum oculos et tua damna refer.* Seneca in Consol. ad Polyb. cap. 20. *Mundo quidam minantur interitum. Eat nunc aliquis, et singulas comploret animas.* Minut. Felix pag. 96. *Quid? quod toti orbi, et ipsi mundo cum sideribus suis minantur incendium, ruinam moliuntur?* Arnob. adversus Gentes p. 41. *Qui ignem minatur mundo, et, venerit cum tempus, arsurum.*

Animam hanc. Hanc, quam nihili facio. Ovid. VI. Metam. 539. *Quin animam hanc, ne quod facinus tibi perfide, restet, Eripis?* Vide Burmannum.

Iacet Hector. Et mox *Simois volvit*, quamquam anni iam erant septem. Sed Aeneas in tanto dolore rem sibi proponit, quasi heri acciderit. Idem iam vidit Wagnerus. Adde Senec. Agam. 512. *invidit Pyrrhus patri — quisquis ad Troiam iacet Felix vocatur.*

Corpora volvit. Heynius ad Aeneid. XI. 257. imprudens citavit *corpora torquet.* Nescio an illi tunc in memoria haereret Silii III. 474. *Et tunc imbre recens fusa correpta sub armis Corpora multa virum spumanti vertice torquens, Immersit fundo laceris deformia membris.*

Talia iactanti stridens Aquilone procella
Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit.
Franguntur remi: tum prora avertit, et undis
Dat latus: insequitur cumulo praeruptus aquae mons.
Hi summo in fluctu pendent: his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit; furit aestus arenis.
Tris Notus abreptas in saxa latentia torquet:
Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, Aras:
Dorsum immane mari summo. Tris Eurus ab alto

Fluctusque ad sidera tollit. Statim sequitur *in fluctu pendent* et *fluctus aperit. Fluctus* hic, *fluctus* illic! Negligentia Virgilio indigna. In Mediceo a prima manu erat FLVCTVSQVE. Vide quam prope accedat PONTVSQVE. Quidni scribamus? *pontumque ad sidera tollit.*

Dat latus. Valer. Flacc. IV. 303. *dat genibus iunctis latus:* de pugile, qui non amplius in gradu stat, quando genua non sunt iuncta, sed dextrum genu proiectum. Seneca Hippol. 1073. *qualis turbido rector mari Ratem retentat, ne det obliquum latus, Et arte fluctus fallit.*

Saxa vocant Itali. Vix in libello Chronico hoc ferres: Stridens procella ferit velum. Remi franguntur, prora avertit, mons aquae insequitur. Hi pendent in summo fluctu, his terra inter fluctus aperitur. Aestus furit. Notus tres naves arripit, et torquet in saxa latentia (Itali talia saxa, quae sunt in mediis fluctibus, Aras vocant) immane dorsum in summo mari. Quanto minus haec sunt ferenda in tam pulchra tempestatis descriptione! Frustra tentavi omnia, si possem versum explicare. Heynius adeo et Bryantius eum delendum esse censuerunt. Et plane sapit glossam Grammaticam, eamque inficetam. Iam veteres Grammatici in constituendo verborum ordine multum sudaverunt. Ipse Quintilianus VIII. 2. sic reprehendit: *Plus tamen est obscuritatis in contextu et continuatione sermonis, et plures modi. Quare nec sit tam longus, ut eum prosequi non possit intentio: nec traiectione tam tardus, ut in hyperbaton finis eius differatur. Quibus adhuc peior est mixtura verborum, qualis in illo versu:* Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, arae. Quintilianus igitur hunc versum vidit. Sed in eo loco tantum agebat de constructionis perspicuitate. Quamquam vel ista obscuritas admonere eum debuisset, haec scribi non potuisse a Virgilio, quem toties eminentissimum et acerrimi iudicii vocat.

In brevia et syrtis urget, miserabile visu,
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenae.
Unam, quae Lycios fidumque vehebat Oronten,
Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus
In puppim ferit: excutitur, pronusque magister
Volvitur in caput: ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, et rapidus vorat aequore vertex.
Apparent rari nantes in gurgite vasto;
Arma virum, tabulaeque, et Troia gaza per undas.
Iam validam Ilionei navem, iam fortis Achatae,
Et qua vectus Abas, et qua grandaevus Aletes,
Vicit hiems: laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.
Interea magno misceri murmure pontum,
Emissamque hiemem sensit Neptunus, et imis
Stagna refusa vadis, graviter commotus; et alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.
Disiectam Aeneae toto vidit aequore classem:
Fluctibus oppressos Troas coelique ruina.
Nec latuere doli fratrem Iunonis et irae.
Eurum ad se Zephyrumque vocat; dehinc talia fatur:
Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?

Miserabile visu. Valer. Flaccus 1. 636. in simili tempestate, *miscent suprema paventes Verba alii, iunguntque manus, atque ora fatigant: Adspectu tota in misero cum protenus alnus solvitur.* Ubi potius distingue, et lege: *atque ora fatigant, Adspectu toti in misero: cum* sq. *Ora fatigant* est Virgilianum *insequitur clamor virum. Toti in adspectu*, ut Horatius, *totus in illis.* Et expressit *miserabile visu*, per *in adspectu misero.*

Unam quae Lycios. Versus Ovidio in mente erat, quum scriberet Metam. 14. 241. *Una tamen quae nos ipsumque vehebat Ulyxem.* Unde tamen *ipsumque Orontem*, quod in MS. legitur, defendere nolim. Dolor Aeneae est acerbior, quia *fidus* Orontes sic ab aequore vorabatur.

Tantane vos generis. Claudian.

Iam coelum terramque meo sine numine, Venti,
Miscere, et tantas audetis tollere moles?
Quos ego! Sed motos praestat componere fluctus.

B. Gildon. 330. *Tantane devictos tenuit fiducia Mauros?*

Quos ego. Ita omnia MSS. praeter unum *quis*. Et *quos* verum est, non, quod Schraderus coniecit *vos*. Ruhnkenius ad Aquilam Rom. pag. 147. vulgatum defendit: a. 1768 ita Heynio scripsit: » Sed Schraderus pertinax est in tuendo invento suo, *vos ego*. Mihi quidem locus Macrobii VI. 6. p. 559. quo ille maxime nititur, nihil ad rem pertinere videtur. Sed huius causae te arbitrum statuo." Epistolam edidit vir Cl. amicus meus G. L. Mahnius, Vlissingae a. 1834, pag. 21. Heynius secundum Ruhnkenium iudicavit. Et nemo non hodie iudicabit. Miror, quomodo Schraderus, rei poëticae universae tam intelligens, elegantius Ruhnkenii iudicium hic sequi noluerit. Ruhnkenius poëtas Romanos interdum attingebat, ut emendaret vel explicaret. Sed in eo etiam genere se talem ostendit, ut satis appareat, omnes diligenter eum legisse, et, si v. c. in Virgilio elaborare voluisset, nos aliam habituros fuisse editionem, quam dedit Burmannus. Iam Servius comparavit Terentii Andr. I. I. 137. *quem quidem si sensero*. Ubi sic erat distinguendum: *quem quidem ego.. si sensero...* Nunc enim significant *si eum sensero ista moliri*; in quo vis minandi minus cernitur. Neptunus apud Virgilium ventos alloquitur. Tum ira studio et cursu loquendi magis exardescit, et oculos avertens, haec secum, pugno intentato, dicit: *Quos ego —*. Similes minantium formulae reperiuntur in Val. Flacco I Argon. 200. *ille aspera iussa Reperit, et Colchos in me luctumque meorum. Illum ego. Tu tantum non indignantibus undis Hoc caput accipias.* Burman. simile putabat VI. 213. *Hunc, age, vel caeso comitem me reddite fratri:* si nempe emendaretur *hunc ego*. Recte, credo. Propius accedit Ovid. Heroid. XII. 205. *Quod viris, quod habes nuptam socerumque potentem: Hoc ipsum, ingratus quod potes esse, meum est. Quos equidem actutum! sed quid praedicere poenam Attinet? ingentes parturit ira minas.* Heinsius volebat: *Quem quidem ego actutum.* Ut Metam. III. 557. *Quem quidem ego actutum (modo vos absistite) cogam Assumtumque patrem, commentaque sacra fateri.* Ego et ibi mallem: *Quem quidem ego actutum! Modo vos absistite, cogam Assumtumque patrem commentaque sacra fateri.* Silius IX. 55. *At quos Flaminius — sed Dira avertite Divi.* Homeri Iliad. *Γ.* 939. alia ratio est: κεῖνον δ' αὖτις ἐγώ. Nam praecedit Μενέλαος ἐνίκησε.

Post mihi non simili poena commissa luetis.
Maturate fugam, regique haec dicite vestro:
Non illi imperium pelagi saevumque tridentem,
Sed mihi sorte datum. Tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos: illa se iactet in aula
Aeolus, et clauso ventorum carcere regnet.
Sic ait, et dicto citius tumida aequora placat:
Collectasque fugat nubes, solemque reducit.
Cymothoe simul et Triton adnixus acuto
Detrudunt navis scopulo: levat ipse tridenti,
Et vastas aperit syrtis, et temperat aequor;
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.
Ac veluti magno in populo quum saepe coorta est
Seditio, saevitque animis ignobile volgus;
Iamque faces et saxa volant; furor arma ministrat:
Tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem

Clauso ventorum carcere regnet. Pro rege se gerat, et agat, quod libet. Ironia quaedam. Ita Tiberius apud Tacitum, nurum Agrippinam Graeco versu correptam admonuit, ideo laedi, quia non *regnaret*. Versum finxit Torrentius ad Sueton. Tiber. 53. *Εἰ μὴ τυραννεῖς, θύγατερ, ἀδικεῖσθαι δοκεῖς;* conf. Oudend. ad Lucan. IX. 458. et Cort. ad Plinii Epist. VII. 3. Virgilii memor erat Valer. Flaccus I. Argon. 416. *Qui maris insidias, clarae qui sidera noctis Novit, et e clausis quem destinet Aeolus antris.* Ubi legendum est: *quid destinet.* Ut Virgil. Aeneid. V. 14. *Quidve pater Neptune paras?*

Dicto citius. Sedulius in carmine Paschali: *Imperat, et dicto citius tumida aequora placat.* In Hamburg. MS. erat *citius dicto.*

Iamque faces et saxa volant. Freinshemii *iamque sudes* merito ab interpretibus repudiatur. Faces in seditione et tumultu cognitae. Seneca de Brevit. Vitae cap. 18. *Ferrum, saxa, ignes Caium excepturi.* Statius VI. Theb. 536. *rotantur saxa, faces.* v. Heins. Pro *volant* nonnulli, teste Servio, se invenisse dicebant, *volunt.* *Volant* iam defendit Cornutus. Et sic poëtae legerunt. Ovid. Metam. XII. 244. *prima pocula pugna Missa volant.* Valer. Flaccus I, 142. *Crateres mensaeque volant.*

Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant;
Ille regit dictis animos, et pectora mulcet:
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam
Prospiciens genitor, coeloque invectus aperto,
Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.
  Defessi Aeneadae, quae proxima, litora cursu
Contendunt petere, et Libyae vertuntur ad oras.
Est in secessu longo locus: insula portum
Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur

Coeloque invectus aperto. Heynius miratur neminem maluisse *pontoque invectus aperto.* Sed per *coelum apertum* simul indicatur maris tranquillitas, quae plane a coelo pendeat. Et praecedunt *pelagus* et *aequora.* Quare *coelum* hic est elegantius. Praeterea *pontus apertus* significaret *altum mare*, ubi non sunt vada et brevia, ut V. Aen. 212. *pelago decurrit aperto.* Quintilian. VII. 9. locum memoriter citavit: *ablativo ipsi inest naturalis amphibolia:* Coelo decurrit aperto. *Utrum, per apertum coelum, an cum apertum esset?* Amphibolia, puto, nulla est. Et ostendit Statius III. Theb. 316. *aperto flagrantes immittit equos.*

Est in secessu. In carminibus Claudiani, carm. 86. auctor locum Virgilii, exercitationis et animi causa, variavit. *Est procul ingenti regio summota recessu, Insula qua resides fluctus mitescere cogit, In longum producta latus; fractasque per undas Ardua tranquillo curvantur brachia portu.* Hae sunt illae exercitationes, quibus veteres poëtae tam saepe fuerunt aucti. In titulo carminis legitur: *Est in conspectu longe locus.* *Longe* emendavit Heinsius. Sed in MSS. *longe spatii* et *conspectu longe.* Claudianus in exemplari Virgiliano *conspectu* legisse videtur. Et sic emendandum erat *longe.* Si alia MSS. haberent: *est in conspectu longe locus: insula portum Efficit obiectu laterum*, hoc ego praeferrem. Nam *secessus* ille satis ostenditur per *obiectum laterum* et *reductos sinus.* Illud de lateribus ante oculos habebat Orosius IV. 22. *Mare obiectu protentae linguae tranquillatur.* Alterum Sidonius in Panegyr. Maioriani: *portumque reducto Efficiunt flexu fluvii.*

Minantur in coelum scopuli. Minantur omnia, quae ita in altitudinem surgunt, ut spectantibus iam iam casura videantur. *Minari* adeo est *mi-*

In coelum scopuli, quorum sub vertice late
Aequora tuta silent: tum silvis scena coruscis
Desuper horrentique atrum nemus imminet umbra.
Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum;
Intus aquae dulces, vivoque sedilia saxo;
Nympharum domus. Hic fessas non vincula navis
Ulla tenent; unco non alligat ancora morsu.
Huc septem Aeneas collectis navibus omni
Ex numero subit: ac, magno telluris amore
Egressi, optata potiuntur Troes arena,
Et sale tabentis artus in litore ponunt.
Ac primum silici scintillam excudit Achates,

naci specie surgere. Heyn. ad IV. Aeneid. 88. partim hoc vidit, melius certe quam Burm. ad Val. Flacci IV. Argon. 178. A verbo *minari* ductum est *eminere.* Silius IV. 2. *Nubiferos montes et saxa minantia coelo*, formulam mutavit, cogitans de Titanibus, qui Pelio Ossam imponebant. Nam aliud est scopuli minantur *in coelum* et *coelo*: hoc, *ipsi coelo ac Deis minantur*, illud, *surgunt in coelum specie hominibus, qui adspiciunt, minaci.* Recte Servius comparavit Virgil. Aeneid. II. 628. de arbore, quae succisa *usque minatur*, nempe *casum et ruinam*; qualia substantiva saepe adduntur. v. Oudend. ad Lucani VII. 450.

Aequora tuta silent. Valerius Flaccus III. 732. *Flamina conticuere, iacet sine fluctibus aequor.* Ubi plura Burm. qui *tacere* et *iacere* non recte distinxit. Mare *iacet* sine fluctibus, *tacet* sine murmure. Ad hanc rationem varias lectiones exigendas esse arbitror.

Silvis scena coruscis. Ambrosius Hexaem. II. 8. *Horrenti desuper scena gurgustium intus obscurius sit.*

Unco non alligat ancora morsu. Scaliger volebat *ullo.* Minus poeticum. Calpurnius Eclog. VII, 8. vulgatum expressit: *adunco fibula morsu.* Ubi Heinsius emendat *aheno.* Frustra.

Collectis navibus omni ex numero. Valerius Flaccus V. 327. *numeroque novem ducuntur ab omni.*

Potiuntur arena. Ovid. XI. Metam. 56. *Et Methymnaeae potiuntur litore Lesbi.* v. Ciofan.

Silici scintillam excudit. Imitatio Valerii Flacci est manifesta II. Argon. 447. *Desiliunt: pars hinc levibus candentia velis Castra levat: tracto pars frangit adorea*

Suscepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
Tum Cererem corruptam undis Cerealiaque arma,
Expediunt fessi rerum; frugesque receptas
Et torrere parant flammis et frangere saxo.
  Aeneas scopulum interea conscendit, et omnem
Prospectum late pelago petit; Anthea si quem
Iactatum vento videat, Phrygiasque biremis,
Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici.
Navem in conspectu nullam: tres litore cervos
Prospicit errantis, hos tota armenta sequuntur

saxo Farra: citum strictis alius de cautibus ignem Ostendit foliis, et sulphure pascit amico. E tali comparatione excellentia Virgilii magis elucet. Ambros. Hexaem. II. 3. *Ex lignis inter se collisis ignis excussus excipiatur foliis.* Scripsit, ni fallor, *excusus.* Quamquam de *lignis* melius verbo *elicere* fuisset usus.

Rapuitque in fomite flammam. Fomes et *nutrimentum* non differunt. *Fomes*, ex *fovimes*, flammam fovet, ut *nutrimentum* nutrit. Proprie igitur fomes rapit flammam. Achates hic rapit flammam in fomite. Lucan. III. 683. *faciles praebere alimenta carinae, Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.*

Et torrere parant. Illud *et* mihi non placet. Nam quae vis hic spectari potest: *non modo* torrere *sed etiam* frangere parant? Nisi *extorrere* sit nimium, illud praeferrem. Et sic scriptum erat in duobus Codicibus.

Anthea si quem. In magna dubitatione, an visurus esset. Si forte in mari aliquid prospiceret, quod navis Anthei speciem haberet. Servius laudavit Lucilii: *ecquem Pamphilum quaeris.* Non possumus iudicare, quam recte. Sed significare videtur, hominem quendam, quem invenire desperat. Omnia huiusmodi exempla non uno modo possunt explicari. Pendent a sententia. Virgil. Aeneid. IV. 322. *si quis mihi parvulus aula Luderet Aeneas.* Ubi notio *cari* et dilecti inest. Ut Ovid. I. Amor. XIII. 39. *At si quem manibus Cephalum complexa teneres.* Burmannus ibi exempla varia confudit.

Arma Caici. Pro *scutum Caici.* Habebat Caicus in scuto suum insigne, quod Aeneas eminus dignoscere poterat. Valer. Flaccus III. 28. *Haemoniam de monte ratem praefixaque regum scuta videt.* Conf. Heins. ad Val. Flacci. VII. 260.

A tergo, et longum per vallis pascitur agmen.
Constitit hic, arcumque manu celerisque sagittas
Corripuit; *fidus quae tela gerebat Achates;*
Ductoresque ipsos primum, capita alta ferentis
Cornibus arboreis, sternit, tum volgus; et omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.

Fidus quae tela gerebat Achates. Gestabat, credo, ipse Aeneas arcum et pharetram, ut vs. 12. *graditur comitatus Achate Bina manu lato crispans hastilia ferro.* An Aeneas gestabat arcum, Achates autem sagittas? Nam *tela* ad arcum referri non possunt. Credo haec non esse Virgilii.

Miscet agens telis. Hic, et vs. 117. *illum ter fluctus ibidem Torquet agens circum:* facile vim participii intelligimus. Burmannus ad Valerii Flacci III. 40. annotavit: »solent poetae illud *agens* adiungere alii verbo." Recte. Sed non est, certe non esse debet otiosum. Ita difficile dictu est, quid l. l. Valerii significet: *atque illum non ante sopor luctamine tanto Lenit agens divum imperiis.* Burm. bene separavit *lenit agens, Divum imperiis* seq. Difficile quoque VII. 150. *Orestes — iterum infesta se fervere caede Lacaenae Credit agens.* Silius VII. 241. *Fortunae Libys incumbit, flatuque secundo Fidit agens puppim. Dum desinat aura, sinusque Destituat tumidos subducto flamine, In rem cunctari fuerit:* restituendum puto: *Fidit agens. Puppim dum deserat aura* 19. Idem X. 219. *Viriathus agens telis — obtruncat hostem.* XVI. 273. *Tempus erit, quum ducet agens ad templa Tonantis.* Dubitari non potest, quin poetae Romani hunc usum participii a Graecis sumserint, qui ἄγων et φέρων ita utuntur. Atque illi fere iungunt cum verbis, in quibus notio aliqua motus cernitur, et accusativus vel adiunctus est, vel ex sententia intelligi potest. Sed apud Graecos etiam hic reperiuntur exempla, ut vix dicere possis, quid participia significent. In Homero Iliad. B. 557. Aiax ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας, Στῆσε δ' ἄγων, ἵν' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες: possumus, si necessarium sit, cogitare ἄγων νῆας. Sed in auctore Hymni Cereris 384. ubi praecedunt equi, βαθὺν ἠέρα τέμνον ἰόντες, Pluto eos στῆσε δ' ἄγων, vix cogitari potest ἵππους. Rectum est στῆσε, scilicet ἵππους: minus rectum ἄγων ἵππους. Nisi dicas fortasse, sistit equos et eos agit ad locum, ubi erat Ceres. Sed tum στῆσε solum sufficeret. Et qui equos sistit, eos non agit. Et tamen idem Latine dixit Statius V. Theb. 364. Iupiter super nubem *ratis armamenta Pelasgae sistit agens.* Quid dicemus? Credo equi-

Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
Corpora fundat humi, et numerum cum navibus aequet.
Hinc portum petit, et socios partitur in omnis.
Vina bonus quae deinde cadis onerarat Acestes
Litore Trinacrio dederatque abeuntibus heros,
Dividit, et dictis moerentia pectora mulcet:
O socii, (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora, dabit deus his quoque finem.
Vos et Scyllaeam rabiem penitusque sonantis
Accestis scopulos; vos et Cyclopia saxa
Experti. Revocate animos, moestumque timorem
Mittite. Forsan et haec olim meminisse iuvabit.

dem *agens*, si non additur vel vicinus est accusativus substantivi, quod cogitari potest, hanc habere *movendi* notionem, ut sit pro *se agens*, hoc est *celeriter veniens*. Sic adhortantes aliquem dicimus *age*, puto pro *age te*. Sopor eum *lenit agens*, celeriter venit et lenit. Orestes se fervere *credit agens*, venit et credit se iterum Clytaemnestram interficere, et, quia credit, in furorem vertitur. Neque in Virgilio fortasse *miscet agens telis*, aliter accipiendum est: *celeriter irruit*, et turbam telis miscuit.

Corpora fundat humi. Wagnerus ostendit Virgilium *humi* usurpare pro in *superficie terrae: humo* pro *a terra* vel *e terra*. Interim MSS. hic illic variant. Quod de Sallustio dicit, si apud eum *humi* significat *intra terram*, non hinc effici, Virgilium etiam ita scripsisse, hoc ita accipio, ut non effici quidem sed tamen vero simile esse arbitrer. Nam vetus ille stilus historicus et poeticus Virgilii in multis est similis.

Vina bonus quae deinde cadis. Ingratus verborum ordo, qui tamen in plurimis MSS. cernitur. Confirmat etiam Comment. Cruq. ad Horatii IV. carm. XI. Longe tamen praefero, quod est in paucioribus MSS. *Deinde bonus quae vina cadis*. Neque similis locus, ubi *deinde* sic traiectum est, ostendi potest.

O passi graviora. Seneca Octavia 652. *Graviora tuli. Dabit hic nostris Finem curis vel morte dies*. Ubi legendum *vel mortem*.

Forsan et haec olim meminisse juvabit. Locus communis, de quo praeter alios Manutius ad Ciceronis Epist. ad Diversos V. 12. Virgilium multi ante oculos habuere, et hanc sententiam satis inepte explicavit Orosius in Praefatione libri quarti. Valer. Flaccus I. 249. *Ite viri mecum dubiisque evincite rebus Quae me-*

Per varios casus, per tot discrimina rerum,
Tendimus in Latium: sedes ubi fata quietas
Ostendunt. Illic fas regna resurgere Troiae.
Durate, et vosmet rebus servate secundis.
  Talia voce refert: curisque ingentibus aeger
Spem voltu simulat, premit altum corde dolorem.

minisse iuvet. Seneca Herc. Furens 656. *quae fuit durum pati, meminisse dulce est.*

Spem vultu simulat. Vide brevem Virgilii gravitatem. Imitatores plerique addidere aliquid. Lucan. IX. 1106. *pectora lasta fronte tegunt.* Statius Silv. V. I. 159. *comites tamen undique ficto Spem simulant vultu.* XI. Theb. 233. *magnos ficto premitote timores.* Ovidii locus in Fast III. 633. est corruptus: *Omnia promittit, falsumque Lavinia vulnus Ments premit tacita, dissimulatque fremens.* Quanto melius *Mente premit, tacitos dissimulatque metus.* Valer. Flaccus III. 369. *Ipse etiam Aesonides, quamquam tristissima rerum Castiganda duci, vultuque premenda sereno, Dulcibus indulget lacrimis.* Pulchre Livius XLII. 62. *In adversis vultum secundae fortunae gerere, moderari animos in secundis.*

Premit altum corde dolorem. In nonnullis MSS. *alto.* Non indocte, dicit Heynius, et *altum* explicat quasi positum sit pro *alto.* Virgilius hic scribere non potuit *premit alto corde dolorem.* Significaret enim: *iram tacitam adeo alte in animum demisit, ut olii non statim animadverterent, ipse nunquam oblivisceretur.* Ita Aeneid. I. 26. *manet alta mente repostum.* Nemini incognitum est Sallustii B. Iug. XI. *Quod verbum in pectus Iugurthae altius, quam quisquam ratus est, descendit.* Hinc Seneca de Ira II. 32. *Multi leves iniurias altius sibi demisere, dum vindicant:* de Benefic. I. 1. *altius iniuriae quam merita descendunt: illa cito defluunt, has tenax memoria custodit.* Hinc *animi altitudo*, *βάθος* et *βαθύτης* v. Ernest. ad Taciti Annal. III. 44. *Tiberius in securitatem compositus, neque vultu mutato egit: altitudine animi, an compererat* sq. Lucanus VI. 228. *Ille tegens alta suppressum mente furorem, Mitis.* Ubi vide Cortium. *Altus dolor* est ingens, ut apud Catullum Carm. 68. *Sed tuus altus amor baratro fuit altior illo.* Graece ἐς βαθὺν ἄλλετ' ἔρωτα. Et Wagnerus, Heynium non sequens, recte citavit Taciti Annal. XVI. 29. *altus pavor.* Sic idem Tacitus II. Annal. 82. *Quamquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis moerebant:* id est, altiorem, vehementiorem moestitiam in animis habebant.

Illi se praedae accingunt dapibusque futuris:
Tergora deripiunt costis, et viscera nudant;
Pars in frusta secant, veribusque trementia figunt;
Litore aena locant alii, flammasque ministrant.
Tum victu revocant vires, fusique per herbam
Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinae.
Postquam exemta fames epulis, mensaeque remotae:
Amissos longo socios sermone requirunt;

Dapibusque futuris. Cogitavi aliquando de *futuris* mutando in aliud vocabulum, v. c. *parandis*. Imitatoribus tamen non displicuit. Valer. Flaccus IV. 592. *animos accings futuris.* Claudian Eutrop. II. 945. *More suis, dapibus quae iam devota futuris.* Ubi simul alterum ex Aeneid. IV. cogitavit: *pesti devota futurae.*

Mensaeque remotae. Quod in uno MS. invenitur, *mensaeque relictae*, multo mihi melius videtur. *Mensae* erant tori in herba, per quam fusi edebant. Liba, credo, substrata carni habebant. Coena finita socios requirebant. Non opus erat propterea mensas removere, sed relinquere.

Amissos longo socios sermone requirunt. Burman. et Heynius explicant: *multa de sociis amissis inter se conqueruntur.* Ego primum illud abhorrere puto ab ingenio Aeneadarum, et omnino omnium, qui in tali rerum conditione versantur. Quid enim? Viribus cibo vinoque revocatis, otiosi inter se de sociis sedentes ea longo sermone confabularentur, idque dubii, viverent an mortui essent? Imo, mensis relictis, statim quaesitum eunt, si forte hic illic errantes deprehendant. Deinde dubito an recte dicatur *longo sermone requirunt* pro desiderium inter se testantur. Denique illud, quod sequitur, *nec iam exaudire vocates*, explicari non potest, si *sermone requirunt* intactum relinquas. Lege CLAMORE pro SERMONE et omnes difficultates sustuleris: *amissos longo socios clamore requirunt.* Multum clamantes quaerunt socios. Ovid. III. Fast. 549. *Sidonis interea magno clamore per agros quaeritur.* Tales dicuntur *clamati* vide Burm. ad Ovid. Metam. II. 443. Et Hylas ille tam *multum clamatus* quam *multum quaesitus* vocatur. v. interpretes ad Valerii Flacci III. 596. Interea Silius X. 402. in Virgilio legisse videtur *sermone*, et *requirunt* accepisse, ut Burm. et Heynius. Imitatio non est obscura: *Interdum moeste socios clamore requirunt. Hic Galba, hic Piso, et, leto non dignus inerti, Curio deflentur.* Mutavit *longo sermone* in *moesto clamore*, ne imitatio esset nimia. Sed ipsum

Spemque metumque inter dubii, seu vivere credant,
Sive extrema pati, nec iam exaudire vocatos.
Praecipue pius Aeneas, nunc acris Oronti,
Nunc Amyci casum gemit et crudelia secum
Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Et iam finis erat: quum Iupiter aethere summo
Despiciens mare velivolum, terrasque iacentis,

illud *longo* nostrae coniecturae favet. *Longus clamor* in tali re usitatur. Valer. Flaccus III. 602. *Illum omnes lacrymis moestisque reposcere votis: Incertique metu: nunc longas litore voces spargere.* Quod Burm. non debebat mutare in *longo*. Notum est Homeri *μακρὸν ἄϋσας*. Et Moschus in Eidyll. I. 1. *Ἁ Κύπρις τὸν Ἔρωτα τὸν υἱέα μακρὸν ἐβώστρει.*

Nec iam exaudire vocatos. Vocatos, dicunt, quia mortui ab amicis invocantur et conclamantur. Sed nesciebant, utrum socii viverent, an extrema passi essent. Erant dubii inter spem et metum. Quale hoc omen fecissent, *conclamare eos*, qui fortasse vivebant! Neque *vocare* unquam sic unde ponitur pro *conclamare mortuos*. Si supra leges *clamore*, sana haec est et simplex explicatio: dubii inter spem et metum, seu inventuri socios essent et accepturi responsum ad longos clamores, seu iam mortui essent, neque adeo clamorem audire possent. *Vocatus* et *clamatus* idem est, et iuncta reperiuntur. Virgil. IV. Aen. 769. *Implevi clamore viam moestusque Creusam Nequidquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.* Ovid. X. Heroid. 21. *Interea toto clamanti litore Theseu, Reddebant nomen concava saxa tuum. Et quoties ego te, toties locus ipse vocabat. Vocati non exaudiunt*, quia sunt mortui, molli eum affectu dictum est. Bion in Adonidem 94. *Καὶ Μοῖσαι τὸν Ἄδωνιν ἀνακλαίουσιν, Ἄδωνιν. Αἱ μὲν ἀνακλαίουσιν, ὁ δὲ σφίσιν οὐκ ἐπακούει.* Ovid. IV. Fast. 483. *Perque vices, modo, Persephone, modo, filia, clamat, Clamat, et alternis nomen utrumque ciet. Sed neque Persephone Cererem, neque filia matrem audit: et alternis nomen utrumque perit.* Atque ea cogitatio omnibus Troianis erat tristissima, et Aeneas secum gemebat mortem Lyci, aliorum.

Et iam finis erat. Rei scilicet, quae praecessit. Ex antiqua, puto, Latinitate. Exemplum Ennii vel alterius non vidi. Virgilium secuti sunt Val. Flaccus I. 350. *Et iam finis erat.* Statius VI. Theb. 234. *Finis erat.* Sedulius Carm. Paschali *Et dictis jam finis erat.*

Litoraque, et latos populos, sic vertice coeli
Constitit, et Libyae defixit lumina regnis.
Atque illum talis iactantem pectore curas
Tristior et lacrimis oculos suffusa nitentis,
Alloquitur Venus: O qui res hominumque deumque
Aeternis regis imperiis, et fulmine terres,
Quid meus Aeneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere? quibus, tot funera passis
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,
Hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,

Sic vertice coeli constitit. Sic est sine certo consilio, nescio quid meditans. Primum omnes terras circumspiciebat, tum oculos in Africam defigit. Hoc momentum Venus arripuit, ut eum pro Aenea oraret.

Atque illum tales iactantem pectore curas. Nihil omnino de curis Jovis praecedit, neque haec verba unquam sic possunt interpretari, ut interpretantur ab Heynio: *cum hunc in modum oculis animoque in Aeneae fatis esset defixus.* Heynius iam sensit difficultatem, cum miratur neminem in *tales* haesisse, et conjecisse *tacitus.* Sed Iupiter non agitat curas, videtur magis similis furtum aliquod meditanti. Pro IACTANTEM Virgilius, ni fallor, scripsit IACTANS IN. Venus tristior, *tales iactans in pectore curas* alloquitur Iovem. Tales curas habebat in animo, easque sic Iovi expromit. Venus habebat curas, non Iupiter. Iupiter sciebat fata. Ideo mox dicit: *Parce metu*, et: *fabor enim, quando haec te cura remordet.* Virgil. Aeneid. V. 779. *At Venus interea Neptunum, exercita curis, Alloquitur, talesque effundit pectore questus.* Qui locus emendationem nostram plane confirmat. *Tales curae* nihil potest significare nisi quae sequuntur, vel similes iis, de quibus antea dictum est. Valer. Flaccus I. 733. *Ipsum etiam curisque parem, talesque prementem Corde metus ducit.* Statius Silv. II. 1. 193. *dum saepe domi nova serta ligantem Te videt, et similes volventem pectore curas.* Ex Scholiasta Lucani, qui ad I. 661. locum Virgilii laudat, nihil ad eum emendandum proficere possumus.

Tot funera passis. Statius III. Theb. 163. *Sed mortem obscuram miserandaque funera passi.* Ita legendum ibi puto pro *numerandaque.*

Qui terras omni ditione tenerent. In aliis MSS. *omnes.* Neque

Pollicitus, quae te, Genitor, sententia vertit?
Hoc equidem occasum Troiae tristisque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
Insequitur. Quem das finem, Rex magne, laborum?
Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,
Illyricos penetrare sinus atque intima tutus
Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi,
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum, et pelago premit arva sonanti.
Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit
Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit

omni neque *omnes* Virgilianum puto. *Terras* dicimus totum terrarum orbem. Quid autem est *omni ditione?* Humile epitheton, et plane vacuum. Equidem OMNI substituendum censeo DOMINI. Romani sunt *terrarum domini*. Veneri mox Iupiter ad hoc dictum respondet: *Imperium sine fine dedi:* et Iuno mecum fovebit *Romanos rerum dominos*. Satis quidem erat *ditione tenerent*. Sed additum *domini* simplicem formulam ornat, vim significationis auget.

Tristisque ruinas solabar. Solari est *levius ferre, facere*. Imprimis hoc proprium poëtarum. V. Burm. ad Claudian. IV. Cons. Honor. 234. et ad Val. Flacci II. 151. Neque incognitum historicis. Graeci ita variis modis utuntur *παραμυθεῖσθαι*. Vide Hemst. ad Luciani Prometh. T. I. p. 27.

Unde per ora novem. Duo versus ab illa Veneris oratione maxime alieni, adeo etiam, ut Ursinum, qui raro talia attingit, offenderint. Attulit Homeri locum, in quo veteres Grammatici, unde Eustathius, reprehenderunt, non convenire *τῇ οὕτως πενθούσῃ ἄδειαν εἶναι τοιαύτῃ τροπῇ ἐνευκαιρεῖν καὶ ἀστεΐζεσθαι*. Idem de versibus Latinis valet. Quamquam in Homero tam simplex garrulitas magis ferenda, quam in Virgilio. Heynius quoque improbat. Glossam censeo Geographicam. Nec, si propius adspicias, nihil vitiosi deprehendes. Timavus, dicunt, oritur ex septem fontibus, et statim in unum flumen collectus, maris speciem refert, agros inundantis. Sit ita. Sed illud *mare proruptum it* tam difficile est, ut vix intelligas, quae sententia tribui debeat. Vide Heynium in Excursu. Tum *vasto cum murmure montis* peti potuit ex I. Aeneid. 55. *magno cum murmure montis*.

Troia; nunc placida compostus pace quiescit:
Nos, tua progenies, coeli quibus adnuis arcem,
Navibus (infandum) amissis, unius ob iram
Prodimur, atque Italis longe disiungimur oris.
Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?
  Olli subridens hominum sator atque deorum
Voltu, quo coelum tempestatesque serenat,

Nunc placida compostus pace quiescit. Antenor, ut narrat Livius I. 1. variis casibus in intimum maris Hadriatici sinum venit, et Troiam condidit. Si liber Aurelii Victoris de Origine Patavina, quem ipse nominat in Origine gentis Romanae cap. 1., superesset, fortasse hinc disceremus Antenorem etiam vivente Aenea vixisse. Sed quamvis mortuus esset, Venus uti hoc exemplo non potuit, quae nato suo non placidam mortem, sed felicem vitam optaret. Neque Heynius dubitat quin *placida compostus pace quiescit* accipiendum sit de *vitae tranquillitate:* angit tamen eum Latinitas, putatque nove esse dictum, Antenor *compositus*, pro *rebus* Antenoris *compositis*, et *quiescit* pro *vitam quiete exigit. Compositus* quidem cum *rebus* jungitur, sed ita saepe ut hae res non multum a personis differant. Si dico *vitam componere*, est *me viventem*, si *senium componere*, est *me in mea senectute.* Varro Atacinus apud Senec. Controv. III. 16. *omnia noctis erant, placida composta quiete.* Ibi et homines intelliguntur. Agit quidem de *somno*, non tamen de *morte*. Valer. Flaccus V. 296. *Argo iactatam nostro componere coelo.* Collocare navem in coelo, atque ibi concedere quietem. Neque Virgilius frustra addidit *placida pace*, quod a cogitatione mortis nos revocat. *Quiescit in pace* Christianorum est. Antenor arma suspenderat, et pace fruebatur. Ut ille apud Valer. Flaccum III. 658. *Regna hodie et dulcem sceptris Calydona tenerem, Laetus opis pacisque meae.* Et sic accepit Schol. Lucani ad I. 240. »Ut Virgilius: *armaque fixit Troia:* et ut ostendat hoc fieri in pace, addidit: *nunc placida compostus pace quiescit.*" Handius quoque ad Statii Silv. I. pag. 50. male haec ad Antenoris mortem referri putat. De vocabulo *quiescit*, hoc non per se solum est interpretandum, sed cum *pace compositus* iunctum. Quamquam et a *laboribus quiescit aliquis.*

Sic nos in sceptra reponis? Ironia amara. Valer. Flaccus IV. 7. *Sic Iuno ducem fovet.* Ubi Burm. acutius vidit Heinsio.

Tempestatesque serenat. Suavis imitatio Ovidii IV. Fast. 6. Venus risit: *et aether Protinus ex illa parte serenus erat.*

Oscula libavit natae; dehinc talia fatur:
Parce metu, Cytherea; manent immota tuorum
Fata tibi; cernes urbem et promissa Lavini
Moenia, sublimemque feres ad sidera coeli
Magnanimum Aenean; neque me sententia vertit.
Hic tibi (fabor enim, quando haec te cura remordet,
Longius et volvens fatorum arcana movebo)
Bellum ingens geret Italia, populosque ferocis
Contundet; moresque viris et moenia ponet,
Tertia dum Latio regnantem viderit aestas,
Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur, (Ilus erat, dum res stetit Ilia regno)

Manènt immota tuorum fata tibi. Inclusa pereuni adamante in tabulariis ex aere et ferro. Vide Ovid. XV. Metam. 810. Ideo Iupiter rogat Venerem: *insuperabile fatum*, *Nata*, *movere paras? Manere* inprimis de *immutabili fato* adhibetur. Valer. Flaccus IV. 709. *id fati certa nam lege manebat.* Idem II. 572. *Priami sed quis iam vertere regni Fata queat? Manet immotis nox Dorica lustris*, *Et genus Aeneadum et Troiae melioris honores.* Ubi Burm. pessime coniicit *iustis.* Nam *lustris immotis* significat, certum tempus veniet, quod iam nunc constitutum est. Ita Virgil. I. Aen. 287. *veniet lustris labentibus aetas.* Ea aetas est *immota*, ut apud Valerium *lustra.* Claudian. Bell. Gild. 29. *Stant immota Sibyllae carmina.* Idem III. Rapt. 65. *Hoc sanctum: mansura fluant hoc ordine fata.*

Cui nunc cognomen Iulo additur. Quem nunc vocare incipiunt cognomine Iuli pro Ilo, quod cognomen habebat, dum res Ilia stetit. Idque cognomen ei non temere addunt. Nam hinc orietur gens Iulia. Iupiter sic loquitur, quasi Troiani suo monitu et voluntate, ipsi tamen nescientes et imprudentes, hoc fecissent. Ut alibi Virgilius: *sic Iupiter ille volebat.* Ascanii ergo cognomen hoc ipso tempore, quo Iupiter loquitur, mutabatur.

Ilus erat, dum res stetit Ilia regno. Latinum est *res Ilia stetit: regnum Ilium stetit.* Non Latinum est *res Ilia stat regno.* Ita Ovid. XIV. Metam. 609. *Inde sub Ascanii ditione binominis Alba, Resque Latina fuit.* Conf. Heins. ad Metam. VII. 510. Sed hanc difficultatem facile tollere possumus, scribentes: *dum res stetit*

Triginta magnos volvendis mensibus orbis
Imperio explebit, regnumque ab sede Lavini
Transferet, et longam multa vi muniet Albam.
Hic iam ter centum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea; donec regina sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupae fulvo nutricis tegmine laetus
Romulus excipiet gentem, et Mavortia condet

Ilia, *regni Triginta magnos volvendis mensibus orbes Imperio explebit.* *Regnum* et *imperium* saepe sunt diversa. Ita Livius I. 13. de Romanis et Sabinis: *Regnum consociant*, *imperium omne conferunt Romam.* Hoc est *imperium regni consociati.* Sie fortasse haec explicari possunt. Non tamen dissimulabo mihi omnia videri suspecta. Heynius tantum Virgilii esse putabat *cui nunc cognomen Iulo additur:* vel, *cui nunc cognomen Iulo.* Ovidius tamen, ubi vocat *Ascanium binominem*, hunc versum legit, ac fortasse in suo exemplo habuit: *cui nunc quoque nomen Iulo.*

X*Romulus excipiet gentem*, *et Mavortia condet Moenia.* Reges ex gente Troiana tercentum annos Albae Longae regnabunt. Romulus eam gentem regiam excipiet et condet novam urbem. Succedet adeo ultimo regi Albano. Sed hoc omne est contra historiam. Fuere Romulo aequales reges Albani, et diu post Romulum Alba stetit. Ultimus rex a Tullo Hostilio fuit discerptus. Ipse Virgilius rem narrat: *Mendacisque viri raptabat viscera Tullus.* Itaque interpretes coacti sunt hoc ita expedire, ut dicant: *excipiet*, *accipiet regendam gentem Troianam*, non Albae sed Romae. Quod ego per Latinitatem fieri non posse arbitror. Neque Romulus accepit gentem Troianam regendam. Erant mixta ex variis gentibus colluvies. Fuere in iis Albani. Sed fuerit Roma Albanorum colonia, ne tum quidem Romulus dici poterat gentem Albanam accepisse regendam, nisi metropolis esset deleta. Si Virgilius secutus esset id, quod Sallust. Bell. Catil. cap. VI. se legisse tradit, *urbem Romam a Troianis*, *Aenea et sociis*, *fuisse conditam*, ferrem. Quare scribendum puto: *Inde*, *lupae fulvo nutricis tegmine laetus*, *Romulus excipiens*, *gentem et Mavortia condet Moenia.* Venus dixerat Iovem esse pollicitum fore ut Romani ex Aenea orirentur. Iupiter respondit: *Orientur Romani.* Aeneas auctor erit Lavinii. Ascanius Albae Longae. Aeneas regnabit tres annos. Tum Ascanius regnabit triginta annos. Deinde reges Albani regnabunt

Moenia, Romanosque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi. Quin aspera Iuno,
Quae mare nunc terrasque metu coelumque fatigat,
Consilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos, rerum dominos, gentemque togatam.
Sic placitum. Veniet lustris labentibus aetas,
Quum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
Servitio premet, ac victis dominabitur Argis.
Nascetur pulchra Troianus origine Caesar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris,
Iulius, a magno demissum nomen Iulo.

ter centum annos, donec Romulus *excipiens*, *veniens*, *nascens*, rem fato promissam, ab Aenea, Ascanio aliisque regibus quasi inceptam, perficiat. Tum vero Romulus, natus ex stirpe Aeneae, nutritus a lupa, excipiet, et auctor erit gentis Romanae. Hic gentem Mavortiam et urbem condet. *Excipiens* ornate, pro simplici *inde*. Romulus *inde condet*, suffecisset. Sed Romulus erat hic princeps persona, vir ille, qui Romam statueret. Igitur pro *tum vero*, *tum autem*, *at tunc* dicit *inde excipiens*. In *excipiens* intelligi potest *illud* de quo loquimur, Romam condendam.

Metas rerum. Silius VII. 478. *Hic regna, et nullae regnis per saecula metae.*

Imperium sine fine dedi. Sulpitia Satyra vs. 33. *Aut frustra uxori mendaxque Diespiter olim Imperium sine fine dedi, dixisse probatur.* Ubi cum Burmanno legendum est *aut frustra Veneri*. Nisi decepta sit Sulpitia eo, quod sequitur, *aspera Iuno.*

Iulius a magno demissum nomen Iulo. Haec omnia ad neminem nisi ad Augustum referri possunt. Sed Romani *Iulius Caesar* nunquam de alio, nisi de patre, qui Augustum adoptavit, acciperent. Sueton. August. VII. *Postea Caesaris et deinde Augusti cognomen assumsit: alterum testamento maioris avunculi, alterum Munatii Planci sententia.* Atque hic erat Caesar Augustus, Iulius autem Caesar, victor Pompeii. Ita ipse Virgil. Aeneid. VI. 790. *Hic Caesar, et omnis Iuli Progenies. Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis, Augustus Caesar, Divi genus.* Manil. I. 796. *Venerisque ab origine proles Iulia descendit coelo, coelumque replevit, Quod regit, Augustus, socio per signa Tonante.* Si pro

Hunc tu olim coelo, spoliis Orientis onustum,
Accipies secura; vocabitur hic quoque votis.
Aspera tum positis mitescent saecula bellis.
Cana Fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus,

IVLIVS A scribas IVLIA STIRPS, versum efficies ex difficillimo facilem. Nascetur ex hac origine Caesar, *Iulia stirps, magno demissum nomen Iulo.* Caesar, filius Iulii, qui Iulius genus ducit ab Ascanio, cui *nunc quoque nomen Iulo*, quod nomen adeo non frustra illi datum est, sed meo monitu. *Iulia stirps, genus Divi*, et *proles Iulia*, idem est.

Spoliis Orientis onustum. Valer. Flaccus I. 745. *Scythiae spoliis nuribusque superbus.* Claudian. IV. Consul. Honor. 653. *Arcadius captae spoliis Babylonis onustus.*

Remo cum fratre Quirinus, Iura dabunt. Longum est exponere quantum operae antiqui et novi interpretes in hoc versu explicando posuerint. Optime Heynius in Excursu: »Temporum antiquorum integritas et puritas restituentur, qualis fuit ante necem Remi. Romulus et Remus iterum pacatis animis et pristina fraterna concordia iura dabunt." Et tamen ista Heynii explicatio admitti non potest. Virgilius felicem rerum statum, qualis, parta terra marique pace sub Augusto fuit, describit. In tali pace Romulus alter iura dare non potest. Hic nunquam habuit pacem. Neque iuvat additus *Remus*. Nam Romulus et Remus simul non regnaverunt. Vix ceperant consilium urbis condendae, quum cogitationibus intervenit avitum malum, regni cupido. Itaque consulunt deos, uter novae urbi nomen daret et conditam regeret. Statim post capta auspicia ad certamen ventum est. Remus occiditur. Romulus solus imperio potitur. Poteratne infelicior pacis et concordiae imago sumi, quam ex hoc fratrum exemplo? Virgilius addidisset saltem aliquid, ex quo concordiam fraternam positis odiis intelligeremus: v. c. *Iura dabunt fraterno animo: compagibus artis Claudentur Belli portae.* Sed etiam hoc constanti poetarum mori repugnaret, qui, quando tempus aliquod praeteritum esse rediturum dicunt, et res et homines illius temporis ita proponunt, ut vere fuerunt, non ut fuisse optant. In ipso Virgilio sunt exempla, quae quod posui, confirmant. Nunc hoc dicit: tempora Romuli et Remi redibunt. Caedes igitur fraterna et perpetua bella redibunt. Locus est corruptus et coniectura restituendus. Pro REMO CVM FRATRE QVIRINVS conieci NVMA CVM VATE QVIRITI. *Cana Fides et Vesta Numa cum vate Quiriti Iura dabunt.* Fides et Vesta cum vate suo Numa Romanis iura dabunt. Numa omnino requiritur, ubi species iusti boni et pacem

Iura dabunt; dirae ferro et compagibus arctis

amantis principis proponitur. Augustus hic dici potest alter Numa, non alter Romulus. Tertius post Numam Ianum clausit, ne de aliis virtutibus dicam, quas poetae in eo admirabantur. Ita etiam Antoninus Pius cum Numa comparabatur. Apponam verba Aurelii Victoris Epitome cap. XV. quia plane eadem ad Augustum referri possunt: *Antoninus tantae bonitatis in principatu fuit, ut haud dubie sine exemplo vixerit. Quamvis eum Numae contulerit sua aetas, cum orbem terrae nullo bello per annos viginti tres auctoritate sola rexerit, adeo trementibus eum atque amantibus cunctis regibus nationibusque et populis, ut parentem seu patronum magis quam dominum imperatoremve reputarent, omnesque uno ore in coelestium morem propitium optantes, de controversiis inter se iudicem poscerent.* Ita Claudian. IV. Cons. Honorii 493. exempli diversitatem ostendit: *fruimurque quietis Militiaeque bonis, ceu bellatore Quirino, Ceu placido moderante Numa.* Ubi legendum videtur *cum placido moderante Numa.* Quos Romani *alteros Romulos* nominabant, in iis similitudinem Romulo, urbis conditori, respiciebant. Ita Camillus a militibus canebatur *Romulus ac parens patriae conditorque alter urbis.* vide Liv. V. 49. et VII. 1. Sueton. in Augusto cap. VII. *quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi et ipsum conditorem urbis, praevaluit ut Augustus vocaretur.* »Sed, ait Servius ad h. l., adulans populus Romanus Octaviano, tria ei obtulit nomina, utrum vellet *Quirinus* an *Caesar* an *Augustus* vocari. Ille, ne unum eligendo partem laederet, quae aliud offerre cupiebat, diverso tempore omnibus usus est. Et primo *Quirinus* dictus est, inde *Caesar*, postea *Augustus*, sicut et Suetonius probat." Idem fere Servius ad Georg. III. 27. repetiit: nam Commentarios de Aeneide prius scripsit. Ad Georgica sententia Suetonii sic edita est, a Burmanno quidem, quasi sint ipsa Suetonii verba. Quod non recte factum est. Nam in Vita Augusti longe alia leguntur de nominibus *Caesaris* et *Augusti*. De nomine *Quirini* nihil legitur. Sed Octaviano infanti cognomen *Thurini* inditum fuisse, Suetonius narrat: »A M. Antonio saepe *Thurinus* appellabatur. Postea *Caesaris*, et deinde *Augusti* cognomen assumsit." Haec sunt verba Suetonii. Sive iam Servius memoria deceptus fuit, sive ab interpolatoribus corruptus, ex vocabulo *Thurinus* illud *Quirinus* fluxisse arbitror. Neque Romani Octaviano cognomen *Quirini* offerre ausi fuissent. Erat amara Ironia et pessimum omen. Romulus enim non nisi post mortem appellatus est *Quirinus*. *Quirinum te appellamus*, idem est atque, *mortem tuam speramus*: sic Bassianus

Claudentur Belli portae. Furor impius intus,
Saeva sedens super arma, et centum vinctus aenis

quum occidisset Antoninum Getam, audissetque posse mitigari facinus, si fratrem divum appellaret, dixisse fertur: *sit Divus, dum non sit vivus.* Vide Jul. Capitol, in Vita Getae cap. 2. Tale est illud Vespasiani in accessione morbi: *ut puto, Deus fio.* Virgilius igitur Augustum appellare *Quirinum* non potuit, neque cum Romulo comparare, ubi Fides et Vesta iura darent. Fidei et Vestae amicus erat Numa. Liv. I. 21. *Deorum insidens assidua cura ea pietate omnium animos imbuerat, ut fides ac iusiurandum, proximo legum ac poenarum metu, civitatem regerent.* Quid Numa Vestae fecerit, apparet ex Virginibus Vestalibus. Quid Fidei fecerit, narrat Livius I. 21. *Et soli Fidei solemne instituit. Ad id sacrarium flamines bigis vehi iussit.* Ubi scribendum puto: *solemne instituit et sacrarium. Ad id sacrarium* sq. Hinc facile intelligitur, quam pulchre Numa Fidei et Vestae vates, et ea numina cum tali sacerdote, iura *Quiriti*, hoc est *Romanis*, dare dicantur. Erat Theocratia quaedam. Numinum interpres Numa. Superest ut *Quiriti* explicem. *Quiris* numero singulari saepe positum invenitur. Exempla collegerunt interpretes ad Horatii Carm. II. VII. 3. Ovidii Amor. I. VII. 30. et Lucani II. 386. ubi Cato dicitur esse vestitus *Romani more Quiritis:* antiqui illius Romani, luxuria nondum corrupti, ut unus ex populo vetere Quiritium. Nam quod multi putant esse in hoc vocabulo *Quiritis* tantum notionem plebei et vilis, hoc non in ipso vocabulo sed in adiunctis cernitur. Ut Ovidius: *Nam si pulsassem minimum de plebe Quiritem.* Iuvenalis: *ima plebe Quiritem Facundum invenies.* Si pulsassem *civem Romanum* vel de minima plebe. Invenies *Romanum* facundum vel in ima plebe. Errasse in ea re nunc iudico Oudend. ad Sueton. August. 2. quem olim laudavi ad Horatium. *Quiris* cum gravitate ponitur pro *Romanus.* Romanus autem pro *Romanis* seu populo Romano. Sic Claudian. Fescenn. 58. *Epulisque iam repleto, Resonet Quirite Tibris.* Romanus apud Virgil. VI. Aen. 852. *Tu regere imperio populus, Romane, memento.* Et sic apud historicos centies. Nostram coniecturam mire firmat Ovid. XIV. Metam. 823. ubi Mars de coelo venit in collem Palatinum: *Reddentemque suo iam regia iura Quiriti Abstulit Iliadem.* Iliades, Romulus, ibi reddit *iura Quiriti*, hoc est populo Romano, ut hic apud Virgilium Numa dabit *iura Quiriti.* Nemo igitur dubitare poterit, an hoc Latinum sit.

Furor impius intus. Locum affert Orosius VII. 5. ubi male legitur *furor impius impius. Belli portae* ante oculos erant Valerio Flacco V. 308. *Sanguinei magna ostia belli.*

Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.
  Haec ait: et Maia genitum demittit ab alto,
Ut terrae, utque novae pateant Carthaginis arces
Hospitio Teucris, ne fati nescia Dido
Finibus arceret. Volat ille per aera magnum
Remigio alarum, ac Libyae citus adstitit oris.
Et iam iussa facit; ponuntque ferocia Poeni
Corda, volente deo; *in primis regina quietum*
Accipit in Teucros animum mentemque benignam.
  At pius Aeneas, per noctem plurima volvens,
Ut primum lux alma data est, exire, locosque
Explorare novos, quas vento accesserit oras,
Qui teneant, nam inculta videt, hominesne feraene,
Quaerere constituit, sociisque exacta referre.
Classem in convexo nemorum, sub rupe cavata
Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris
Occulit: ipse uno graditur comitatus Achate,

Inprimis regina quietum Accipit in Teucros animum mentemque benignam. Haec adeo sunt humilia, ut, qui admonitus, Virgilio plane esse indigna non sentiat, nihil non admittere et pati possit. Silius VIII. 160, hunc locum imitatur: *Motus erat placidumque animum mentemque quietam Troius in miseram rector susceperat Annam.* Quamquam in libro isto Silii multa, et totum illud de Aenea episodium spuria esse arbitrer, magnam quippe partem ex centonibus fere Virgilianis conflata. Ibi Rupertus annotavit: *Vellem minus haec languerent.* Quodsi ea sic Ruperto displicent, homini neque hanc Critices partem agenti, neque in poetis Latinis satis versato, quid dicemus de nostro loco, quem omnes adhuc pro Virgiliano acceperunt? *Ponuntque ferocia Poeni Corda volente Deo*, grave et poeticum est. Caetera vel orationem prosam dedecent.

Locosque explorare novos. Silius VI. 168. *Scire nemus pacemque loci explorare libebat.*

Sociisque exacta referre. Silius I. 684. *mittitque viros qui exacta reportent.* Partim ex Aeneid. IX. 193. *mittitque viros qui certa reportent.* Hi poetae Virgilium in his quoque minutiis sequebantur, iudicio illius fidentes, quid in dictione esset poeticum, quid prosa.

Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Cui mater media sese tulit obvia silva,
Virginis os habitumque gerens et virginis arma,
Spartanae, vel qualis equos Threissa fatigat

Crispans hastilia. Martorellus in Dissert. de Theca calamaria pag. 285. putat haec minus recte ex Homero fuisse translata..

Sese tulit obvia. Multi Codices habent *obtulit obvia.* Burm. reiecit propter repetitum *ob.* Wagnerus, quia *sese tulit* exquisitius est. Puto *obtulit obvia* habere aliquid antiqui coloris atque adeo esse exquisitius. Iam Lucretius III. 1054. *leto caput obvius obtulit ipse.* Alia exempla exposui in Biblioth. Critica Nova. Vol. IV. pag. 291.

Virginis os habitumque gerens, et virginis arma Spartanae. Heynius iure miratur repetitum *virginis* nemini displicuisse. Nec ferendum est *virginis — et virginis Spartanae.* Wagn. locum sic distinxit: *Virginis os habitumque gerens et virginis arma, Spartanae, vel qualis* sq. Arma virginis interpretatur, *quae virgini conveniunt*, parvus arcus. Ingeniose, credo, non vere. Nam sic Virgilius diceret: Venus gerebat os, quale vulgo habet virgo, et arma, qualia vulgo habet virgo, sive ea sit Spartana sive Threissa. Neque credibile est viragines Spartanas vel Harpalycem arcus habuisse tam parvos. Neque hoc volebat Virgilius, sed Venerem fuisse vestitam et armatam, ut solebant virgines Spartanae vel Thraciae, verbo, Venerem sumsisse speciem virginis venatricis, quod poeta ex historia illustrat. Vix dubito quin Virgilius pro VIRGINIS scripserit NVMINIS, pro ET autem SED. *Numinis os habitumque gerens, sed virginis arma Spartanae, vel qualis* sq. Venus os et habitum Deae servaverat, sed vestitum mutaverat. Ab Aenea agnosci cupiebat. Itaque Aeneas statim videbat in ista forma esse aliquid divini, ac tandem plane non dubitabat. Vide quam poeta hoc quasi per gradus quosdam ostendat. Quam te dicam. Haud tibi vultus mortalis. O dea certe. Tandem eam iam alloquitur. *O dea.* Et Venus eum postremo sic relinquit *ut vera incessu dea pateret.* Seneca Agam. 736. Virgilium respiciens, dixit: *Lacaena vultu, ferrum Amazonium gerens.* Sed hoc nihil facit ad tentandam emendationem. Vocabula *virginis* et *numinis* etiam permutata sunt in Ovid. XII. Metam. 28. In Virgilio quoque permutatum est eo facilius, quia sequebatur *virginis.* Unde multi errores in optima MSS. fluxerunt.

Spartanae. Virginis venatricis, qualis verbi causa Spartana. Marklandi *Sarranae* merito ab interpretibus repudiatur.

Harpalyce, volucremque fuga praevertitur Hebrum.
Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis,
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentis.
Ac prior, Heus, inquit, iuvenes, monstrate mearum
Vidistis si quam hic errantem forte sororum,
Succinctam pharetra et maculosae tegmine lyncis,

Praevertitur Hebrum. In uno tantum MS. legitur *Euro*. Sed etiamsi in nullo legeretur, et *Euro* requireretur, ita reponere non cunctarer. Nam *Ebrum* et *Eurum* in MSS. nihil fere differunt, et *Eurus* a multis sic pronuntiabatur ut *Ebrus*: quare et in Graecis υ et β centies permutantur. Hinc multi, alter alterum ignorantes, in eandem coniecturam inciderunt, et *Eurum* hic esse scribendum voluerunt. Burmannus primam inventi laudem Rutgersio tribuit. Sed Rob. Titius iam antea sic divinaverat. Exstant in Bibliotheca Academiae nostrae Leidensis Controversa MSS. Rob. Titii, nunquam edita. Sunt duo libri. Titius longa disputatione coniecturam commendat. Argumenta huc redeunt: Hebri cursus tunc erat tam lentus, ut, in quam partem ferretur, non dignosceres. *Eurus* et *Ebrus* idem est, ut Graeci interdum nullo discrimine scribebant λαυρὸν ὕδωρ et λαβρόν. Ventis tribuuntur *alae*. Solennis est apud poetas comparatio celeritatis cum *vento*. Haec Titius. Equidem sic statuo. *Hebri* nomen hic suave est, quia Harpalyce Threissa ad ripas habitabat. Sed habet illud nomen haec incommoda: *volucer* est contra naturam fluminis, non dico, quale erat aetate Titii, sed etiam Virgilii. Neque veteres poetae tantam in Geographia sumebant libertatem, quantam volunt interpretes. Dixi ea de re nonnulla ad Horatii Epod. XIII: tum ipsum epitheton *volucer* de *aqua* celerrime fluente, dici, credo, non potest. *Fuga* quidem me non offendit, nam Harpalyce *fuga praevertitur*, non *celerem fuga* Hebrum praevertitur. Lectio *Eurum* nullum plane habet incommodum, et similibus ex ipso Virgilio locis confirmari potest, *Hebrum* nullo. Petrus Angelius, ut narrat Titius, emendabat: *volucremque fuga praevertitur auram.*

Ac prior, Heus, inquit, iuvenes. Ovid. III Amor. I. 15. *Et prior: ecquis erit, dicit, tibi finis amandi?* In MS. *Haec prior.* Unde malim *ac prior.* *Iuvenes* autem appellat, quia nomina se nescire fingit. Aetas in hoc nomine minus respicitur. Lucan. V. 533. ubi Caesar senem alloquitur, *iuvenis.* Quod Oudendorpius non cogitavit. Plautus ita saepe utitur *adolescens.*

Aut spumantis apri cursum clamore prementem.
Sic Venus; et Veneris contra sic filius orsus:
Nulla tuarum audita mihi neque visa sororum,
O, quam te memorem, virgo? namque haud tibi voltus
Mortalis, nec vox hominem sonat; o, dea certe;
An Phoebi soror? An Nympharum sanguinis una?
Sis felix, nostrumque leves, quaecunque, laborem,

O dea certe. Nam Venus *numinis os habitumque gerebat.* Sic Ovid. Metam. XIV. 841. *O dea, namque mihi nec quae sis dicere promptum, Et liquet esse deam.* Virgilium cogitabat Appuleius Metam. V. pag. 319. *Mirus prorsus homo, imo semideus, vel certe deus.* Quae verba non transponam: *imo deus vel certe semideus.* Imitatio Virgiliana docet sic esse accipienda: *non est homo, non semideus, sed certe, revera deus.* Seneca Epist. 95. tres versus citavit. Illa o *dea certe* omissa sunt: a librariis puto, non a Seneca. Nam ad rem pertinent, de qua agit. Recte et hic et supra distinxit Wunderlichius, a Wagnero laudatus o — *quam te memorem, virgo:* et, o, *dea certe.* Est aposiopesis quaedam. Sic Aeneid. V. 195. *Quamquam o, sed superent, quibus hoc Neptune dedisti.*

An Phoebi soror? an Nympharum sanguinis una. Deam esse sentiebat Aeneas. Dianam putabat, ex vestitu. Iam interrogatio est contumeliosa et ridicula: *esne ipsa Diana, an nata ex Nymphis Dianae comitibus?* Diana pudica, omnem virorum contactum exosa, neque Nymphas habebat matres, neque natas ex incesto Nympharum. Quis unquam diceret Vestae: *esne Vesta, an nata ex sanguine virginis Vestalis?* Neque pius Christianus his verbis ad Abdissam uteretur: *esne Abdissa, an una ex sanguine Nonnarum?* Verum est, poetae Nympharum improbitatem et lasciviam saepe notaverunt: conf. Burm. ad Ovid. III. Metam. 345. II. Art. 584. Sed erant plerumque aliud Nympharum genus. Diana quidem minime ferebat, ut apparuit ex poena Callistus, quam statim de coetu suo discedere iussit. Pro *Nympharum* SANGVINIS melius puto AGMINIS. Post vocabulum *an* facile *pars* excidere potuit. *An Phoebi soror, an pars Nympharum agminis una?* Ipse versus, minus leniter fluens, dubitantis animum exprimit. Vestigia imitationis apparent in Statio II. Achill. 225. *Unam virgineo natarum ex agmine poscunt.* Claudiano III. Rapt. 58. *natus licet ille sororve, Vel coniux fuerit, natarumve agminis una. Pars una agminis* Latinum est. Ovid. V. Metam. 577. *Pars ego Nympharum, quae sunt in Achaide, dixit, Una fui.* Fastor. II. 155. *Inter Hamadryadas,*

Et, quo sub coelo tandem, quibus orbis in oris
Iactemur, doceas. Ignari hominumque locorumque
Erramus, vento huc et vastis fluctibus acti.
Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.
Tum Venus: Haud equidem tali me dignor honore;
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios et Agenoris urbem;

iaculatricemque Dianam, *Callisto sacri pars fuit una chori.* Metam. II. 426. ubi ipsa Diana loquitur: *o comitum virgo pars una mearum.*

Purpureoque alte suras vincire cothurno. Alte, quia cothurni sunt alti. v. Heins. ad Ovidii III. Amor. I. 14. Locum veteris poetae: *Et iam purpureo suras include cothurno*, illustravimus in Biblioth. Crit. Nova Vol. II. p. 34. Emendanda hic sunt illa Catulli in Epithal. 132: perhibent Ariadnen *Tum tremuli salis adversas procurrere in undas*, *Mollia nudatae tollentem tegmina surae. Tegmina surae* sunt cothurni. Sed Theseus eam somno devinctam reliquerat. Dormiens autem non gestabat cothurnos, ne vigilans quidem. Vestis, qua erat induta, et corpus totum et suras tegebat. Pars vestis, quae suram tegebat, dici non potest *tegmen surae*. Ariadne tollebat vestem, ne fieret madida, et ita suras nudabat. Catullus scripsit: *Mollia nudatis tollentem tegmina suris.* Ut Ovid. Fast. I. 407. *Illa super suras tunicam collecta ministrat.*

Tyrios et Agenoris urbem. Urbs Agenoris de colonia recens condita nunquam mihi placere potuit. Si ipsa Tyrus sic appellaretur, aequius ferrem. Longe aliud est, quando Ovid. Amor. I. VIII. 41. dicit: *Nunc Mars externis animos exercet in armis: At Venus Aeneae regnat in urbe sui.* Ovidius iocatur et ludit in opposito Marte et Venere. Neque unquam serio Romam vocasset urbem Aeneae. Ac vide quam ingrata repetitio *urbem Agenoris — Dido urbe Tyria profecta.* Virgilium magis agnoscerem, si legeremus: *Punica regna vides.* Ut caetera alii addiderint ad supplendum hemistichium. Vides, inquit, regnum Phoenicum. Regina est Dido, quae ex Tyro cum colonis venit. Quid opus est *Tyrios* et *Tyria* urbe profecta? Interea haec diversa literarum forma non insignivi. Fortasse coniectura restitui possunt. Si in MS. aliquo inveniremus TVRIAQVE AB ORIGINE STIRPEM pro TVRIOS ET AGENORIS VRBEM non dubito quin hoc omnes vulgatae lectioni essent praeposituri. Posses etiam TV-

Sed fines Libyci; genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit urbe profecta,
Germanum fugiens. Longa est iniuria, longae
Ambages; sed summa sequar fastigia rerum.
Huic coniunx Sychaeus erat, ditissimus agri

RIOQVE AB AGENORE STIRPEM. Sive igitur legas: *Punica regna vides Tyrioque ab Agenore stirpem:* sive *Punica regna vides Tyriaque ob origine stirpem:* utroque modo insipidum illud *Agenoris urbem* tolles. Nescio an Statius II. Theb. 613. hunc versum cogitaverit: *Chromis Tyrii demissus origine Cadmi.* Virgilius ante oculos habere potuit versum Cinnae: *atque alte Tyrii ab origine Cadmi.* Statius Theb. IV, 49. *memores transmissi ab origine regis.*

Sed fines Libyci; genus intractabile bello. Nullam video causam cur Venus in tam brevi oratione *sed* uteretur. Orationis Latinae et concisae natura hoc respuit. Vides regna Punica, Tyrios, stirpem ab origine Tyria. Fines sunt Libyci. Dido regina. Si Virgilius *sed* scripserit, scripsisse apparet, quia versui deerat syllaba. Atqui hoc nunquam quisquam bonus poeta fecit, nisi addita huiusmodi syllaba linguam non corrumperet. MS. quaedam hic variant, videmusque *sunt fines* et *sed fines Libye.* Pro SED FINES LIBYCI conieci VICINI LIBYES. *Vicini Libyes, genus intractabile bello.* Postrema omnino ad Libyas, non ad Tyrios referenda sunt. Venus nolebat Aeneam terrere, si audiret Tyrios, in quorum regionem venerat, tam feroces esse. Neque erant adeo bellicosi, necdum occasio fuerat tales animos ostendendi. De Libybus verum est. Dederant Didoni litus arandum et loci leges. Et Dido timebat ne se captam duceret Gaetulus Iarbas. Contra Aeneas, audito Libyas esse genus Tyriis timendum, sperare debebat se melius iri receptum. Didoni opus erat auxilio. *Troum comitantibus armis Punica se quantis attollet gloria rebus!*

Longa est iniuria. Statius II. Theb. 267. *longa est series, sed nota malorum prosequar.* Priscianus in Laude Anastasii 148. *laudum relego fastigia summa.*

Huic coniunx Sychaeus erat, ditissimus agri. Hic prima in *Sychaeus* producitur, mox in eodem corripitur. Ea licentia non est moris Virgiliani. Exempla, quae viri docti, ut hoc defendant, attulere, non sunt similia. Et nomine *Sychaei* hic melius caremus. Statim nominatur. Pro SYCHAEVS reponendum censeo AEQVAEVVS. *Huic coniux aequaevus erat.* Illud *aequaevus* mire facit ad significationem amoris augendam. Virgilius: *Et nunc aequali tecum pubesceret aevo.* Hinc *aetate pares.*

Phoenicum, et magno miserae dilectus amore;
Cui pater intactam dederat, primisque iugarat
Ominibus; sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scelere ante alios immanior omnis.
Quos inter medius venit furor. Ille Sychaeum
Impius ante aras atque auri caecus amore
Clam ferro incautum superat, securus amorum
Germanae; factumque diu celavit, et aegram,
Multa malus simulans, vana spe lusit amantem.
Ipsa sed in somnis inhumati venit imago

Statius V. Silv. I. 48. *Qualiter aequaevo sociatam palmite vitem Ulmus amat.* V. Theb. 226. *Flet super aequaevum soror exarmata Lycaste Cydimon.* I. Achill. 637. *aequaevam facem* vocavit amorem Achillis et virginis Scyriae. Si Virgilius voluisset, facile in quantitate sibi constare potuisset. Silius diversis locis ter eo nomine utitur, I. 90. III. 245. et IV. 825. Ubique primam fecit brevem. Si vidisset primam a Virgilio etiam productam, mirum, ni et ipse semel produxisset. Propter hoc et similia huic argumenta, imitationes talium poetarum diligenter annotavi. Erat Sychaeus *ditissimus auri.* Hoc enim verum puto, ex emendatione Huetii. Vulgo *agri.* Agricultura Tyri non poterat florere. Frumentum etiam aliunde habebant. Ditissimus auri, cuius *auri amore coecus* Pygmalion, mox Sychaeum obtruncat. *Auri amore,* id est, auri illius, quod hic legitur.

Primisque iugarat ominibus. Amoris magnitudo in vocabulo *primus* ostenditur. Silius III. 64. *Virgineis iuvenem taedis primoque Hymenaeo Imbuerat coniux, memorique tenebat amore.* XVII. 73. *Ceu face succensus prima taedaque iugali.*

Quos inter medius venit furor. Plurima et antiquissima MSS. *medios.* Et hoc recte diceretur. Alterum maiorem vim habet. Indicavit Lactantius Scholiasta Statii I. Theb. 84. *I media in fratres.* » Signum est discordiae, ut Virgilius *quos inter medius venit furor.*" Seneca Epist. 14. *Qui furentium principum armis medius intervenit.* Contra Valerius Flaccus II. 174. *Has inter medias — flet Venus.* Ubi *media* idem significaret, nempe *palam*, ut a quovis conspiceretur. v. Burm.

Vana spe lusit amantem. Valerius Flaccus III. 555. *Hoc pueri spes lusa modo est.* Ubi legendum: *Hac pueri spes lusa mora est.* Sic ibi requiritur: et verum esse apparet e MS. Burmanni *more est.*

Coniugis; ora modis attollens pallida miris,
Crudelis aras traiectaque pectora ferro
Nudavit, caecumque domus scelus omne retexit.
Tum celerare fugam patriaque excedere suadet,
Auxiliumque viae veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.
His commota fugam Dido sociosque parabat.
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat; navis, quae forte paratae,
Corripiunt, onerantque auro. Portantur avari
Pygmalionis opes pelago; dux femina facti.

Ora modis attollens pallida miris. Appuleius Metam. pag. 530. *Umbra illa misere trucidati Tlepolemi, sanie cruenta et pallore deformem attollens faciem, quietem pudicam interpellat uxoris.*

Crudelis aras. Concinnior oratio, si scribas *crudelisque aras.* Et sic Wagnerus.

Pygmalionis opes pelago; dux femina facti. Interpretantur: quas opes Pygmalion animo et spe praeceperat. Et sic *divitiae* saepe pro spe divitiarum ponuntur. Ut in sententia Syri: *Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet.* Statius III. Silv. III. 35. *ferat ignis opes haeredis*, pro *spem* haeredis. X. Theb. 35. *praedam asservatis opesque Iam vestras.* Hinc illa: *spe votisque tenere*, *animo tenere.* v. Oudend. ad Appul. IX. Metam. p. 926. Sed talium exemplorum alia est ratio. *Spes* et *votum* facile ex sententia vel ex addito aliquo vocabulo intelliguntur. Si simpliciter dicas *opes Pygmalionis portantur*, vix alias cogitare poteris, quam quae revera Pygmalionis erant: atque ita Ovidius accepisse videtur Heroid. VII. 150. ubi Dido scribit Aeneae: *Hos potius populos in dotem — Accipe, et advectas Pygmalionis opes.* Et tamen sic accipi *opes* non possunt. Dido et socii naves, quae forte paratae erant, corripiunt, onerant *auro*; illud aurum, opes Pygmalionis, portatur pelago. Illud aurum propterea quoque non appellari potest *opes Pygmalionis*, quia erat *ignotum*. Sychaeus metuens Pygmalionem, terra absconderat. Pro OPES malim SPES. *portantur avari Pygmalionis spes pelago; dux femina facti.* Ratio caesurae in versu me quidem non offendit. Suavem puto in illa orationis brevitate et indignatione. Habet aliquid abrupti. Optimi poetae, Propertius inprimis, interdum tales numeros amant. Vere de iis indicavit

Devenere locos, ubi nunc ingentia cernis
Moenia surgentemque novae Carthaginis arcem,
Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circumdare tergo.
Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris,
Quove tenetis iter? Quaerenti talibus ille
Suspirans, imoque trahens a pectore vocem:
O dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales nostrorum audire laborum:
Ante diem clauso componat Vesper Olympo.

Burm. ad Lotichium pag. 267, Propertium II. xxiv. 9. et alibi. Virgilius facile numeros volubiliores facere potuisset, v. c. *Corripiunt, onerantque auro. Dux femina facti. Portantur pelago spes Pygmalionis avari.* Sed vidit illud *dux femina facti* in fine sententiae requiri. Habet gravitatem. Imitatus est Hegesippus Excid. Hieros. I. pag. 85. *Dux facti Iosippus.* Illud *opes* vidit Alcimus Avitus V. *portantur avari sic Pharaonis opes.*

Mercatique solum. Duo versus inficeti. Quando praecedit *dux femina facti*, et statim sequitur Byrsam esse appellatam de *nomine facti*, vix aliud factum a lectore, historiae obscure traditae imperito, intelligetur, quam quod praecessit. Wagnerus quidem haec ita transponit: *Mercatique solum, facti de nomine Byrsam, Taurino quantum possent circumdare tergo, Devenere locos, ubi nunc ingentia cernis Moenia.* Sed *solum* et *locos* non potes separare. Sunt eadem. Iam Beckio iidem versus displicuerunt. Legit tamen Silius I. 24. *Tum pretio mercata locos nova moenia ponit, Cingere qua secto permissum litora tauro.*

Ante diem clauso componat Vesper Olympo. In Cod. Graev. sequitur glossa grammatici poetae, arbitrantis post *ante* legi debere *quam.* Finxit igitur: *Quam tibi nostrorum statuatur summa laborum.* Est ille Codex multo recentior quam Mediceus. Sed quod in eo factum est, hoc et in Mediceo fieri potuit. Quo codices sunt recentiores, hoc versus insititii plerumque sunt peiores, et se ipsi produnt. Itaque nemo de spuriis dubitat. Versus paullo meliores, in quibus tamen multa sunt reprehendenda, patienter pro Virgilianis accipimus, et quia illepidum non statim ita in oculos incurrit, et quia maior Codicum antiquitas eos tuetur. Sed quid est Codicum antiquitas? Mediceus longiore spatio ab aetate Virgilii abest, quam Graevianus a Mediceo. Et quis

Nos Troia antiqua, si vestras forte per auris
Troiae nomen iit, diversa per aequora vectos
Forte sua Libycis tempestas appulit oris.
Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates
Classe veho mecum, fama super aethera notus.
Italiam quaero patriam et genus ab Iove summo.
Bis denis Phrygium conscendi navibus aequor,
Matre dea monstrante viam, data fata secutus.

novit e quibus quam vetustis fontibus hi Codices saepe sint derivati? Ideo dixi, ne Codicum antiquitate plus fidamus, quam bonum et aequum est. Per eos facilius in admittendis spuriis quam per recentiores decipimur.

Diversa per aequora vectos Forte sua Libycis tempestas appulit oris. Molestum ac difficile est FORTE SVA. Heynius explicat *casu qualem tempestas afferre solet.* Non video cur hoc adderetur. In tempestate semper est casus, nunquam consilium, nisi interveniat deorum voluntas. In MS. quibusdam legitur *iactos* pro *vectos*, et *mala* pro *sua*. *Forte* h. l. etiam ideo ingratum est, quia proxime praecedit *forte per aures.* Si considero quam similia sint VECTOS et VENTIS, neque ab altero multum abeat IACTATOS, Virgilii manum fuisse suspicor: *diversa per aequora ventis Iactatos, Libycis tempestas appulit oris.* Nemo certe, si hoc in uno MS. inveniretur, cum vulgatis permutaret.

Sum pius Aeneas. Cursus orationis longe melius hoc modo procederet: *Sum pius Aeneas, fama super aethera notus. Italiam quaero patriam: genus ab Iove summo. Classe veho mecum raptos ex hoste Penates.*

Et genus ab Iove summo. Sic Wagnerus. Burm. *et* bene delevit. *Sum genus ab Iove*, antique et Graece. Notum et satis ab interpretibus sacrorum librorum illustratum est illud Arati, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Iustin. XVII. 3. *Quae et ipsa genus Aeacidarum erat.* v. Gronov. et Burm. ad h. l. Aeneas in Italia quaerere poterat patriam, *genus ab Iove* non poterat quaerere. Hoc secum ferebat. Erat ipse hoc genus.

Data fata secutus. Variae sunt interpretationes: *data*, cum per *auspicia*, tum per *oracula*. *Fata* pro *ipsa oracula*, ut fata Sibyllina. *Data a Iove.* Minus recte, puto. Quoties Virgilius de adventu Aeneae in Italiam loquitur, toties ante oculos habet, *fata* quasi personam: haec *Fata* eum agunt, ducunt; haec ille, quo trahunt, retrahunt, vocant, sequitur; haec sedes ostendunt. Sic initio dicitur *profugus fato:* et Liv. I. 1. *ad maiora initia rerum ducentibus fatis*

Vix septem convolsae undis Euroque supersunt.
Ipse ignotus, egens, Libyae deserta peragro,
Europa atque Asia pulsus. Nec plura querentem
Passa Venus medio sic interfata dolore est:
  Quisquis es, haud, credo, invisus coelestibus auras
Vitales carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modo, atque hinc te reginae ad limina perfer.
Namque tibi reduces socios classemque relatam
Nuntio, et in tutum versis aquilonibus actam,
Ni frustra augurium vani docuere parentes.
Adspice bis senos laetantes agmine cycnos,

Aeneam. Ubi Virgilius *oracula* memorat in hac causa, non sic utitur vocabulo *fatorum*, sed *sortium* vel alterius. Aen. III. 375. *sic fata deum rex Sortitur volvitque vices:* ex additis *prohibent nam caetera Parcae et farique vetat Saturnia Iuno*, apparet Iovem et Iunonem fatorum consilia scire, et aliunde constat deos fata posse morari, sed non rumpere. *Fata Iovis* et *fata deum* aliud significant. In Codicem Medic. multos errores irrepsisse constat ex male repetito vocabuli alicuius sono, vel etiam sono praecepto. Ante *fata* praecedebat adiectivum. Quale? Credo *mea*. Festinans librarius iam *fata* ante oculos habens, *meta* scribere potuit. In MS. Graeviano certe legitur *ata*, litera prima erasa. Neque ipsa vocabula DATA et MEA multum differunt.

Ipse ignotus, egens, Libyae deserta peragro. Pro LIBYAE elegantius esset EXSVL. Calamitates istas saepe coniunctas invenimus, et patiebatur Aeneas. Ovidius in Ibin. 113. *Exsul, inops erres.* Seneca propius ad Virgilium accedit. Dicit Medea 20. *per urbes erret ignotas egens, Exsul, pavens.* Hinc dirae illae tragicae apud Aelian. Var. Hist. III. 29. *Ἄπολις, ἄοικος, πατρίδος ἐστερημένος, Πτωχὸς, πλανήτης, βίον ἔχων ἐφήμερον.* Quem locum tractavit Valcken. ad Eurip. Hippol. vs. 1029.

Nec plura querentem passa Venus. Valer. Flaccus VI. 469. *Nec passa precari ulterius.* Silius XIII. 661. *Nec passi plura in medio sermone loquentis, Sic adeo incipiunt.*

Adspice bis senos laetantes agmine cycnos. Versus sono et cursu tam illepido, ut Virgilium sic finxisse non credam. Heinsius, qui aures habebat superbas et elegantes, hoc probe sensit. Itaque volebat vel *laetanti bis senos*, vel *bis seno laetantes*, vel denique *bis senos laetanti examine*

Aetheria quos lapsa plaga Iovis ales aperto
Turbabat coelo, nunc terras ordine longo
Aut capere aut captas iam despectare videntur:
Ut reduces illi ludunt stridentibus alis,
Et coetu cinxere polum, cantusque dedere,
Haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum

Heynius mutat interpunctionem: *adspice bis senos, laetantes agmine, cycnos*, ut legendo moram faciamus. Sed etiamsi fastidium sic minueretur, quod tamen vix fieri potest, moram hic facere non licet, quia *adspice bis senos* sine *cycnis* nihil significat. Transpositione et parva mutatione versum efficies suavissimum: *agmina bis senos laetantia conspice cycnos*. Pulchra appositio *cycnos agmina laetantia*. Duodecim cycni recte agmina vocantur. Virgilius Furias *agmina Eumenidum* appellat.

Aut capere aut captas iam despectare videntur. Terras capiunt, et captas, metu demto, statim relinquunt, et in altum evolant. *Despectare terras* est super terras se tollere. Idem vidit Wagnerus.

Et coetu cinxere polum. Coetu cingere polum, videtur nimium in tanto coeli spatio. Et si terras despectaverint, seque in altum sustulerint, hoc ita de plagis summis accipere contra avium, modo pulsarum, naturam est. Pro POLVM dedisse Virgilium iudico LACVM. *Et coetu cinxere lacum.* Lacus cycnorum sedes gratissima. Hinc *sonori* dicuntur a Statio III. Theb. 258. Virgil. XI. Aen. 457. *piscosove amne Padusae Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni.* Et sic centies poetae, Graeci quoque. Eurip. Iphig. Taur. 1103. *Λίμναν θ' εἱλίσσουσαν ὕδωρ κύκνειον, ἔνθα κύκνος μελῳδὸς Μούσας θεραπεύει.* v. Wyttenb. Plut. Moral. Animadv. T. II. p. 461.

Puppesque tuae pubesque tuorum. Quintil. Instit. IX. 3. »quando verbum verbo simile aut non dissimile valde quaeritur, ut *puppesque tuae pubesque tuorum*." Animadversio pertinet ad *puppes* et *pubes*. Quare Virgilius dixisset *puppes tuae* et *pubes tuorum*, non intelligo. Aliud est Statii V. Theb. 46. *laudesque tuae gemitusque tuorum.* Pro TVAE elegantius esset DVCVM. *Puppesque ducum pubesque tuorum.* Latinum est *pubes tuorum*, ut *turba tuorum*. Sed cum *tuae* coniunctum, diversum significare videtur, ut puppes sint *Aeneae*, pubes *aliorum*. Emendandus et hic est Lucan. V. 680. *Circumfusa duci flevit, gemituque suorum Et non ingratis incessit turba querelis.* Scribendum est *gemituque furorem.* Factum illud Caesaris temerarium vere erat *furor*. Ut Virgilius: *hunc sine me furere ante furorem.*

Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.
Perge modo, et, qua te ducit via, dirige gressum.
  Dixit, et avertens rosea cervice refulsit,
Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem
Spiravere; pedes vestis defluxit ad imos;
Et vera incessu patuit dea. Ille, ubi matrem
Agnovit, tali fugientem est voce secutus:
Quid natum toties, crudelis tu quoque, falsis
Ludis imaginibus? Cur dextrae iungere dextram
Non datur, ac veras audire et reddere voces?
Talibus incusat, gressumque ad moenia tendit.
At Venus obscuro gradientes aere saepsit,
Et multo nebulae circum dea fudit amictu,
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,
Molirive moram, aut veniendi poscere caussas.
Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit
Laeta suas: ubi templum illi, centumque Sabaeo
Ture calent arae, sertisque recentibus halant.
  Corripuere viam interea, qua semita monstrat.
Iamque adscendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet, adversasque adspectat desuper arces.

Et vera incessu patuit Dea. Silius variavit VII. 194. *haud ultra latuit deus.*

Talibus incusat. Minor maiorem *incusat*, non *accusat*, ut putat Servius. Vide et Burm. ad Ovid. Remed. Amoris 479.

Plurimus urbi imminet. Adscendebant altissimum collem, qui imminebat urbi. Stat. I. Theb. 114. *abrupta qua plurimus arce Cithaeron Occurrit coelo.* Vide interpretes ad Gratii Cyneget. 30

Adversasque adspectat desuper arces. Servius: »civitates. A parte totum." Obscura interpretatio, nisi legatur *civitatem.* Nam de variis partibus Carthaginis, Cothone, Megaris et Byrsa, non est cogitandum. *Arces* etiam significare potest domos splendidas et magnificas. Sed non bene *arces* hic memorantur, quia statim sequitur, Poenos *moliri arcem.* Pro ARCES lege AEDES. Collis *adversas adspectat desuper aedes:* ut II Aen. 47. machina

Miratur molem Aeneas, magalia quondam,
Miratur portas, strepitumque, et strata viarum.

Inspectura domos, venturaque desuper urbi. Urbi et *domos*, ut hic *urbem* et *aedes*.

Miratur molem Aeneas, magalia quondam. Quam molem? Totum oppidum, an magna aedificia? Si oppidum, vix Latine dici puto; si aedificia, *moles* oportebat. Tum Aeneas miratur nunc stare molem, ubi quondam steterant magalia. Iam veteres hic invenerunt difficultatem. Servius interpretatur *admirationem molis* referri ad Aeneam, *magalia* ad Virgilium. De magalibus enim Troianum scire non potuisse. Stulta interpretatio, sed in tali versu necessaria. Inepte frigidum poetam, si tale additamentum inseruit. Referamus autem ad poetam. Ne hoc quidem verum est. *Magalia* in eo loco, ubi Carthago iam condebatur, nulla steterant. Si Aeneas Amstelodamum venisset et initia urbis ex historia vel fando audivisset, recte diceretur mirari *palatia*, casas quondam piscatorias. De discrimine *magalium* et *mapalium*, hic non quaeram. Dicunt *magalia* esse aedificia agrestia, stativa, priore syllaba producta, *mapalia*, plexa e cannis, priore correpta. Ipse Virgilius in Georgicis III. 340. mapalia descripsit: *Quid tibi pastores Libyae, quid pascua versu Prosequar, et raris habitata mapalia tectis?* Addit, Afrum armentarium, Nomadem, omnia secum agere, etiam tuguria ista. Haec igitur tuguria, hi Nomades in eo litore, quo appulit Dido, non fuerunt. Neque fuerunt *magalia*, villae Afrorum. Quid enim ibi ararent? Et si fuissent, hanc agri partem Didoni non vendidissent. Sed aliud est argumentum, quo versus esse spurius probatur. Virgil. IV. Aen. 259, adventum Mercurii in urbem Carthaginis sic describit: *Ut primum alatis tetigit magalia plantis, Aenean fundantem arces ac tecta novantem conspicit.* Hic Virgilius novas domos, quas Tyrii construxerant, vocat *magalia*. Poteratne idem tam esse obliviosus, ut de eadem re scripserit: »*Aeneas miratur palatia*, ubi quondam steterant *magalia*," et: »Mercurius Aeneam invenit Karthagine, ubi stabant *magalia?*" Silius Italicus bis *mapalia* adhibuit, quatenus ad initia Carthaginis pertinent. Lib. XIV. 7. *vel Tyriae quondam regnata mapalia genti.* Et Lib. XV. 416. *Forte dies priscum Tyriis solemnis honorem Retulerat, quo, primum orsi Carthaginis altae Fundamenta, novam coepere mapalibus urbem.* Discrimen *mapalium* et *magalium* non observavit. Aedificia, Didonis tempore condita, *mapalia* appellavit, respiciens Virgilii IV Aen. 259 et 265. *Tu nunc Carthaginis altae Fundamenta locas.* Atque ista Silii bene cum Virgilianis conveniunt, versui autem, quem eiiciendum putamus, adversantur.

Instant ardentes Tyrii: pars ducere muros,
Molirique arcem, et manibus subvolvere saxa;
Pars optare locum tecto, et concludere sulco;
Iura magistratusque legunt, sanctumque senatum;
Hic portus alii effodiunt; hic alta theatri
Fundamenta locant alii, immanisque columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.
Qualis apes aestate nova per florea rura
Exercet sub sole labor; quum gentis adultos
Educunt fetus, aut quum liquentia mella
Stipant, et dulci distendunt nectare cellas;
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a praesepibus arcent;
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum iam moenia surgunt!
Aeneas ait, et fastigia suspicit urbis.
Infert se saeptus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miscetque viris; neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit media, laetissimus umbrae,

Molirique arcem. Iure displicet Wagnero *arcem*, quia praecedit *desuper arces.* Ingratum sustulimus, emendato *desuper aedes.*

Iura magistratusque legunt sanctumque senatum. Plane assentior viris doctis, qui haec aliena manu inserta esse censent. Vel illud, quod sequitur: *Hic portus alii effodiunt* sq. novam orationis formam post infinitivos *ducere*, *moliri*, *subvolvere*, *optare*, *concludere*, ostendit. Ea forma minus recte inciperetur a verbis *Iura magistratusque legunt.*

Alta theatri fundamenta locant. Dudum pro ALTA conieceram LATA: quia sequitur statim *decora alta.* Diversa vocabuli significatio repetitionem non excusat. Falso hoc nobis ex nostrae linguae consuetudine fingimus. Romani quod supra terram tollitur et infra deprimitur, utrumque eodem vocabulo indicant. In *latis* fundamentis intelligitur *latum* theatrum. Seneca Epist. 31. vocat fundamenta quae *multum loci occupaverunt.* In fragm. Vatic. legitur *lata.*

Laetissimus umbrae. Magis exquisitum, quam *umbra.* Heinsius genitivum istum saepe ex MSS. reposuit,

Quo primum, iactati undis et turbine, Poeni
Effodere loco signum, quod regia Iuno
Monstrarat, caput acris equi; sic nam fore bello
Egregiam et facilem victu per saecula gentem.

interdum ex ingenio calidius. Val. Flaccus VI. 260. *Scyrus adest, laetusque virum cognoscit Anausin.* Et ibi volebat *laetusque viri.* Legendum est: *Scyrus adest, laetusque virum cognoscit Anausis.* Anausis Styrum cognoscit. Medea Styro Albano erat pacta. Vide vs. 43.

Egregiam et facilem victu per saecula gentem. Locus difficilis. Plerique interpretes tamen in eo conveniunt esse gentem *facilem victu*, quae habet annonam affluentem ex agrorum ubertate. Wagnerus hanc interpretationem ornat et intendit, ut sit: opibus et omni rerum abundantia affluens. Si versus Virgilii ita posset interpretari, intactum relinquerem. Nam praeclara esset sententia *gens fortis et potens et dives.* Sed ego simpliciter nego *potentem et divitem* Latine dici posse *victu facilem.* Wagnerus provocat ad viros doctos, qui formulam *facile vivere* de omni rerum abundantia exposuerunt. Possem virorum numerum augere. Sed usi sunt omnes iisdem fere exemplis. Iam primum si *facile vivere* illud, quod vult Wagnerus, significaret, non sequitur, *facilis victu* idem debere significare, nec, si de singulis hominibus dicatur *facile vivere*, idem recte dici de tota gente. Unus omnium optime Graevius ad Ciceronis Epist. ad Divers. III. 12. vim dictionis ostendit: »*facile vivere* dicuntur, qui ex animi sententia sine molestiis cum sumtuum tolerandorum tum aliarum rerum vivunt.” Ruhnkenius, qui et ipse veram Latinitatis indolem penitus intelligebat, et eleganter verbis declarabat, desperavit se hoc melius potuisse indicare. Itaque iisdem Graevii verbis utitur ad Terent. Adelph. III. IV. 66. Atque hoc ita esse, apparet ex ipso Terentii loco: *Quam vos facillime agitis. Quam estis maxime Potentes, dites, fortunati, nobiles!* Ubi postrema adduntur, quia *facillime agitis* ipsum ex indicio loquentis minus significat. Talis est ratio omnium exemplorum. Et si Iustinus II. 1. scripsit: *ibi primum homines natos videri, ubi educari facillime possunt*, non opus est explicare *in magna rerum affluentia;* sufficit enim, *facilius* quam in aliis regionibus. *Facillime* in loco aliquo esse, significat *libentissime: res faciliores erunt*, opponitur *difficilioribus;* pro *impeditis* erunt *expeditae*, feliciores, meliores. V. Cortium ad Ciceron. Epist. VI. 5. et alibi. Sed etiam si in *facile vivendo* cerneretur ea felicitas et potentia, quae requiritur, si dea toti populo hanc praedixit, hoc nihil ad *facilem victu.*

Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum et numine divae:
Aerea cui gradibus surgebant limina, nexaeque

Videamus quid illud Latine significet. *Facilis victu*, idem est, ac *facilis* quod ad victum attinet. Sive dicas *victu* esse supinum sive substantivum, eodem redit: nam supina proprie sunt substantiva. *Facilis victu* dicitur, ut *facilis amicitia* apud Sallust. B. Iug. 95. ubi v. Cort. Homo *facilis*, ex opposito *difficilis* optime intelligitur: est scilicet *lenis*, cito contentus. Qui *facilem victu* dixerit, adhuc unum inveni Senecam Epist. 90. *Sapiens facilis victu fuit.* Seneca ante oculos habebat Diogenem, qui obviis et parabilibus contentus, nullis instrumentis aut divitiis, ut viveret, indigebat. Apparet, credo, gentem *facilem victu* in Virgilio non posse accipi de omnium rerum abundantia. Adde, quod *victu* ita cum *egregia bello* coniunctum, a castigato scriptore nunquam nisi de *victoria* poneretur. Praeterea *victus* fere significat *id quod necessarium* est ad *vitam* sustentandam, et plerumque de *re tenui* usurpatur. Hoc iam observavit Burm. ad Val. Flacci IV. 459. *trahitur victu crudelis egestas;* ubi est *crudelis victu*, ut Silius III. 280. *Asper mensis populus victuque maligno.* Credibile igitur est locum Virgilii manum emendatricem postulare. Iam fuit vir doctus, ait Heynius, qui *haud facilem victu* corrigeret. Nescio quis ille sit. Sed Burm. annotavit: »laborant admodum interpretes an *victu* derivandum a *vinco*, et quum duplex inde interpretatio sit orta, *illam facile posse vinci* explicant, ut apparuit exitu belli Punici, quod tamen non admodum facile confectum, sed post tria maxima et difficillima bella: ita ut debuisset tunc dicere *haud facilem victu*. Sed si hoc voluisset, debuisset dicere *Egregiam, at facilem victu*. Altera est, qua *victu* capiunt active pro *facilem ad vincendum alios*." Vides, etiamsi corrigamus *haud facilem victu*, remanere ingratam ambiguitatem. Nihil igitur superest, nisi ut locum difficillimum levissima mutatione, plane expediamus, et pro *bello Egregiam*, ET *facilem* VICTV *per saecula gentem* scribamus *bello Egregiam*, HAVD *facilem* VINCI *per saecula gentem.* Laus Romanorum augetur, si victoriam difficilem reportavit.

Condebat. Templum iam erat absolutum. Ergo *condebat* positum est pro *condiderat*. Sed Dido etiam nunc maxime occupata erat in condendis variis operibus. Itaque *condebat* non satis perspicue dictum puto, et ipsum illud *condiderat* praefero. Wagnerum non fugit. Explicat tamen inde, quod Virgilius rem inprimis memorabilem expositurus est. Ingeniose.

Nexaeque aere trabes. Elegantius arbitror, quod est in antiquis MSS.

Aere trabes; foribus cardo stridebat aenis.
Hoc primum in luco nova res oblata timorem
Leniit; hic primum Aeneas sperare salutem
Ausus, et afflictis melius confidere rebus.
Namque, sub ingenti lustrat dum singula templo,
Reginam opperiens, dum, quae fortuna sit urbi,
Artificumque manus inter se, operumque laborem
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque iam fama totum volgata per orbem,
Atridas, *Priamumque*, *et saevum ambobus Achillen.*

nixaeque. Omnia erant ex aere. Gradus, columnae in foribus et in templo, ianua. Trabes premunt columnas aereas. Laudantur columnae, non trabes.

Artificumque manus inter se operumque laborem Miratur. Serviana: »Hoc est, habebat artificum comparationem. *Inter se* autem *certantium*, aut aliquid tale." Duplex, ut videtur, olim fuit interpretatio. Heynius in *comparatione* acquievit. Velim mihi exemplum ostendi, in quo aliquis opera variorum artificum *mirari inter se* dicitur, pro mirari et inter se comparare. Interea Virgilium scripsisse credam *Artificumque manus inter se operumque laborem Mirantur.* Aeneas et Achates inter se mirantur. Virgil. VII. Aen. 452. *Illi inter sese multa vi brachia tollunt.* IX. 457. *agnoscunt spolia inter se.* Silius VIII. 196. *dumque inter se mirantur.* Virgilius in *mirantur* optime pluralem adhibuit. Nemo, comitem habens, solus secum miratur, sed admirationem cum eo communicare gestit.

Atridas, Priamumque, et saevum ambobus Achillen. Dicendum erat *Atridem.* Et ita legit Seneca Epist. 104. Et cur Achilles Atridis saevus? Lis inter eum et Agamemnonem non pertinebat ad opera et picturas, quae Aeneas et Achates mirantur. Videt *Iliacas ex ordine pugnas*, et Priamum. Irae illius nulla in sequentibus est mentio. Cur *saevus Priamo?* Quia Hectorem occidit, Heynius ait. Quod quam sine nervo sit, nemo non sentit. Quid? quod ipse Priamus Achillem laudavit Il. 640. Achilles non *Talis in hoste fuit Priamo, sed iura fidemque Supplicis erubuit — meque in mea regna remisit.* Aeneas hic res, quas spectat, universas miratur, homines nondum distinguit. Ideo mox exclamat, agnita Priami facie: *En Priamus!* Qui hoc scripsit, supra scribere non potuit, Aeneam iam vidisse Priamum. Cornelius Fronto in Exemplis Elocutionum pag. 495. ed. Maii, legit *saevum ambobus Ulyssen.* Apparet versum iam antiquis tempo-

Constitit, et lacrimans, Quis iam locus, inquit, Achate,
Quae regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus. Sunt hic etiam sua praemia laudi;
Sunt lacrimae rerum, et mentem mortalia tangunt.

ribus fuisse turbatum, quod maxime in spuriis accidebat. In MSS. sunt aliae varietates, ut, *scaevum*, *Priamum saevumque*, *ferumque*.

Sunt lacrimae rerum, *et mentem mortalia tangunt.* Heinsius et Burmannus haec coniecturis restituere conati sunt. Coniecerunt: *sunt lacrymae: rerum et mentem mortalia tangunt*: vel, *sunt lacrymae*, *et rerum mentem mortalia tangunt.* Heynius et Wagnerus tales coniecturas merito reiecerunt. An ipsi felicius interpretati sint, aliorum esto iudicium. Equidem haud credo, si recte dicitur, *rerum inconstantia*, *spes ultima rerum*, et *lacrymae Creusae* et *Lausi dolores* pro *lacrymae et dolores propter Creusam et Lausum*, propterea quoque recte dici *lacrymae rerum* pro *lacrymae propter res.* Euripides quidem Hecub. 743. *ὁρᾷς νεκρὸν τόνδ', οὗ καταστάζω δάκρυ;* minime huc erat referendus. Nam genitivus iste pendet a vi praepositionis *κατὰ*, notione *conspergendi*. Infinitam exemplorum vim collegi, ubi genitivi eo modo ponuntur, qui a consuetudine recentiorum linguarum valde abhorret. Nullum vidi, quod vel e longinquo ad *lacrymas rerum* accedat. Neque *mentem* sic solum recte positum arbitror. *Humanas mentes*, vel certe *mentes* Latinum est. Ut Virgilius: *humanas motura tonitrua mentes.* Neque Aeneas hoc voluit: *unam* saltem inventum iri *mentem*, quae mota esset tantis Troianorum miseriis. Inspiciamus versum: *Sunt lacrymae* RERVM ET MENTEM *mortalia tangunt.* Si cogites in MSS. plerumque scribi RERV et MENTE lineola supra ultimas vocales ducta, et ATQVE compendio exprimi, non multum mutabitur, si legas: *sunt lacrymae*, REOR, ATQVE HOMINES *mortalia tangunt. Sunt lacrymae*, *reor*, *atque homines mortalia tangunt.* Aeneas ex pictura sperare audet, fore ut ibi essent, qui virtuti honorem et miseriis lacrymas tribuerent. *Mortalia*, res humanae, hic calamitosae. Hoc plane est illud Terentii Heant. I. 1. 25. ubi Chremes Menedemo, roganti ne aliena curaret, respondet: *homo sum*, *humani nihil a me alienum puto. Humana* et *mortalia* eadem sunt. Seneca Epist. 76. *Hominem paravi ad humana.* Graece *τὰ ἀνθρώπινα.* Conf. Wyttenb. ad Plut. Moral. Vol. I. Animadv. p. 781. et Rubnk. ad Rutil. Lup. II. p. 114. Locus Silii VIII. 68. aliquam habet Virgiliano similitudinem: *lacrymasque dedisse Casibus humanis facilis*, *qui supplice visa*, *Intremuit regum eventus.*

Solve metus; feret haec aliquam tibi fama salutem.
Sic ait, atque animum pictura pascit inani,
Multa gemens, largoque humectat flumine voltum.
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graii, premeret Troiana iuventus;
Hac Phryges; instaret curru cristatus Achilles.
Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
Agnoscit lacrimans; primo quae prodita somno
Tydides multa vastabat caede cruentus,
Ardentisque avertit equos in castra, priusquam
Pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent.
Parte alia fugiens amissis Troilus armis,
Infelix puer, atque impar congressus Achilli,
Fertur equis, curruque haeret resupinus inani,
Lora tenens tamen: huic cervixque comaeque trahuntur
Per terram, et versa pulvis inscribitur hasta.
Interea ad templum non aequae Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant,

Instaret curru cristatus Achilles. Ovid. XII. Metam. 73. *Iam curru instabat Achilles.*

Primo quae prodita somno. Primus somnus est altus et quietus. Virgil. II Aen. 268. *Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris Incipit, et dono Divum gratissima serpit.* Et VIII. 407. Phaedrus III. x. 31. *Sopita primo quae nil somno senserat.* Nescio quare Wagnerus ab hac interpretatione discedat, et pro *nocte prima*, quam Rhesus ad Troiam transegit, accipiat. Thraces alte dormiebant. Sic et Ovid. Heroid. I. 39. *Retulit et ferro Rhesumque Dolonaque caesos: Utque sit hic somno proditus ille dolo. Ausus es, o nimium nimiumque oblite tuorum, Thracia nocturno tangere castra dolo.* Ubi pro DOLO legendum est PEDE. Ut Claudian. Praef. ad II. Rapt. Proserp. 10. *Thracia pacifero contigit arva pede.*

Multa vastabat caede cruentus. Lucan. IV. 2. *Caesar Martem saevus agit non multa caede nocentem.* In MS. est *nocentum.* Lucanus, puto, scripsit, *cruentum.*

Pulvis inscribitur hasta. Silius XIII. 328. *Pan imo — vix ulla inscribens terrae vestigia cornu.*

Crinibus Iliades passis. In MSS.

Suppliciter tristes, et tunsae pectora palmis;
Diva solo fixos oculos aversa tenebat.
Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo,
Ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici
Tendentemque manus Priamum conspexit inermis.
Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis,
Eoasque acies, et nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet,
Aurea subnectens exsertae cingula mammae,
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
  Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur,

quibusdam *sparsis*. Au *sparsi* sint *furentium*, *passi lugentium*, non quaeram. Sed *passis* praefero, etiam propter Ennium iu Carmine de Sabinis, ni fallor: *aegro corde*, *comis passis*. Ovidius III. Fast. 219. *Ut medium campi passis tetigere capillis.* Livius I. 13. de eodem Sabinarum raptu, in quo tam multa Ovidio similia, ut uterque ex Ennio hausisse videantur: *Tum Sabinae mulieres, crinibus passis scissaque veste, ausae se inter tela volantia inferre, ex transverso impetu facto, dirimere infestas acies, dirimere iras* sq. In quibus vestigia versuum Ennianorum agnosco. Hi potuerunt esse tales: *Crinibu' tum passis et scissa veste Sabinae Transversae ausae inter se inferre volantia tela, Infestas dirimunt acies, dirimunt irasque.* Carmen *Sabinarum* laudant Macrobius et Servius: quibus cum nuper auctoritas grammatici, ex quo Maius ad Ciceron. Republ. II. 7. novum fragmentum edidit, accedat, *Sabinarum* apud Macrobium et Servium non est mutandum in *Satyrarum.* Metrum fuisse puto heroicum, licet ex fragmentis fortasse aliud appareat.

Tendentemque manus. Tendere et *intendere*, utrumque satis frequentatum. Nescio quare Heins. ad Valer. Flacci III. 269. ubique *intendere* velit.

Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur. Pro *conspiciuntur.* Ut II. Aen. 624. *Tum vero omne mihi visum considere in ignes Ilium.* Formam versus cogitavit Val. Flaccus I. 149. *Haec quamquam miranda viri stupet Aesone natus.*

Dum stupet, obtutuque haeret defixus in uno:
Regina ad templum, forma pulcherrima Dido,
Incessit, magna iuvenum stipante caterva.
Qualis in Eurotae ripis, aut per iuga Cynthi,
Exercet Diana choros, quam mille secutae
Hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram
Fert humero, gradiensque deas supereminet omnis;
Latonae tacitum pertentant gaudia pectus:
Talis erat Dido, talem se laeta ferebat
Per medios, instans operi regnisque futuris.
Tum foribus divae, media testudine templi,

Tum foribus Divae media testudine templi. Non credo aliquem, licet excellenter Latine scientem, haec esse intellecturum. Dido sedit *in foribus*, et sedit *in medio templo*, simul eodem tempore. Heynius tamen hoc inprimis esse Latinum putat: »*Media testudine templi*, inquit ille, hoc est *medio templo*, Latino usu, quatenus intra fores consederat, cum omnia dicantur *media*, quae sunt post principia." Ipsam hanc interpretationem intelligere non facile est. Quid enim? Qui *intra fores* sedet, sedetne necessario *in media* parte aedis? Putabam a principio ad medium esse intervallum. Et sic intellexit Silius l. 617. *In foribus sacris primoque in limine templi Captivi currus, belli decus, armaque rapta Pugnantum ducibus, saevaeque in Marte secures, Perfossi clypei, et servantia tela cruorem, Claustraque portarum pendent.* Iam olim grammatici hic laboraverunt. Inveni in Servianis tria: *tum foribus instans, fores sub medio tecto sunt, media scutorum testudine.* Omnia vana. Rem, sicuti accidit, animo nobis informemus, et facilis emendatio sequetur. Dido per medios Tyrios incesserat, eosque praesentia sua et voce ad opus festinandum incitaverat. Ibat ad templum, ut negotia publica ordinaret, ius diceret, laborem divideret. Gradus templi adscendit, et in vestibulo consedit. Vestibulum erat satis amplum, quale supra descripsit Silius. In vestibulis et foribus talia olim fiebant. In medio vestibulo erat solium, his negotiis destinatum. In eo solio, quod stabat e regione testudinis, medii templi, regina sedit, tergo ad testudinem verso. Hoc omnes intelligimus, hanc sententiam accipimus mutata distinctione et inserta una literula: *Tum foribus divae media, a testudine templi, Saepta armis solioque alte subnixa resedit. Media foribus*,

Saepta armis, solioque alte subnixa, resedit.
Iura dabat legesque viris, operumque laborem
Partibus aequabat iustis, aut sorte trahebat:
Quum subito Aeneas concursu accedere magno
Anthea Sergestumque videt fortemque Cloanthum,
Teucrorumque alios, ater quos aequore turbo
Dispulerat, penitusque alias avexerat oras.
Obstupuit simul ipse, simul percussus Achates
Laetitiaque metuque; avidi coniungere dextras
Ardebant: sed res animos incognita turbat.
Dissimulant; et nube cava speculantur amicti,
Quae fortuna viris; classem quo litore linquant;
Quid veniant cuncti: nam lecti navibus ibant,

cum dignitate. Ut I Aen. 697. *aulaeis iam se regina superbis Aurea composuit sponda mediamque locavit.* Qui se *medios* in solio collocant, se dignos, qui occupent, sentiunt, et occupare solitos ostendunt. Plebeii reges partem solii interdum occupavere. Non erant, ubi esse debebant. Statius IX. Theb. 826. *vides mediam se ferre virorum coetibus.* Ubi Lactantius: »*media* ad vim et gravitatem pertinet." Iam, *a testudine templi* est ab ea parte, ubi iacet testudo templi. Ut dicimus *a fronte*, *a tergo*. Caesar B. Gall. I. 1. *Una pars attingit a Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum.*

Solioque alte subnixa, resedit. Nonnulli Cod. *alto.* Heyn. recte praetulit *alte*, ut exquisitius et ad ornandum *resedit*. Ita et Statius II. Theb. 385. accepit: *sublimem solio septumque horrentibus armis.*

Penitusque alias avexerat oras. Alias, quam in quas ipse venerat. Sed neque Aeneas consilium habebat in Africam appellendi. Cursus erat in Italiam. Tempestas eum ab Italia Carthaginem avexit. Socii ad *alias* oras advecti sunt. Si legas *avexerat*, magis viderentur cursum destinasse in Africam. Propterea praefero *advexerat*. Idem volebat Lachman. ad Propert. IV. VI. 63. Quare, non explicat. Virgil. I. Aen. 558. *freta Sicaniae unde huc advecti*. Ibi nulla in MSS. varietas.

Quid veniant cuncti: nam lecti navibus ibant. Varietas in MSS. haec est, ut pro *cuncti* et *lecti* legatur *cunctis* et *lectis*. Wagnerus, quod edidit, sic interpretatur: »Hi Troes iustae legationis speciem prae se ferebant; nec singuli, sed una cuncti et e singulis navibus lecti veniebant."

Orantes veniam, et templum clamore petebant.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi;
Maximus Ilioneus placido sic pectore coepit:
O Regina, novam cui condere Iupiter urbem
Iustitiaque dedit gentis frenare superbas,
Troes te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos a navibus ignis;
Parce pio generi, et propius res adspice nostras.
Non nos aut ferro Libycos populare Penates
Venimus, aut raptas ad litora vertere praedas:
Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebae;
Oenotri coluere viri; nunc fama, minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
Huc cursus fuit:
Quum subito assurgens fluctu nimbosus Orion
In vada caeca tulit, penitusque procacibus austris
Perque undas, superante salo, perque invia saxa

Ego alterum puto facilius ac melius: *Quid veniant, cunctis nam lecti navibus ibant.* Aeneas miratur quae illorum fuisset fortuna, ubi classem reliquissent, quare venirent ad Didonem, quid vellent. Nam classem esse salvam ex eo coniiciebat, quod ex cunctis navibus lecti erant legati. *Lecti cunctis navibus*, ut Valer. Flaccus V. 327. *numeroque novem ducuntur ab omni.* Statius VI. Theb. 192. *numero dux legerat omni.*

Orantes veniam. Heynius: ne escendere in litus prohiberentur; Wagnerus: veniam reginae conveniendae. Simplicius puto: misericordiam reginae implorantes, dum ramos supplices vel vittas manibus praeferebant, quod ex *orantes veniam* tacite intelligitur. Caeterum huic versui optime subiiceretur ille supra positus: *Dissimulant, et nube cava speculantur amicti.*

Ventis maria omnia vecti. Frustra corrigunt *huc per maria.* Valer. Flaccus V. 670. *Ibimus indecores frustraque tot aequora vecti.* Ubi Burm. volebat *per aequora* vel *aequora passi.*

Huc cursus fuit. In MS. D'Orvill. suppletur: *huc cunctis ire voluntas.*

Dispulit; huc pauci vestris adnavimus oris.
Quod genus hoc hominum? quaeve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenae!
Bella cient, primaque vetant consistere terra.
Si genus humanum et mortalia temnitis arma:
At sperate deos memores fandi atque nefandi.
Rex erat Aeneas nobis, quo iustior alter,
Nec pietate fuit nec bello maior et armis.
Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Aetheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris:
Non metus, officio ne te certasse priorem
Poeniteat. Sunt et Siculis regionibus urbes,
Arvaque, Troianoque a sanguine clarus Acestes.
Quassatam ventis liceat subducere classem,
Et silvis aptare trabes et stringere remos;
Si datur Italiam, sociis et rege recepto,
Tendere, ut Italiam laeti Latiumque petamus;
Sin absumta salus, et te, pater optime Teucrum,
Pontus habet Libyae, nec spes iam restat Iuli:
At freta Sicaniae saltem sedesque paratas,
Unde huc advecti, regemque petamus Acesten.
Talibus Ilioneus; cuncti simul ore fremebant
Dardanidae.
Tum breviter Dido, voltum demissa, profatur:
Solvite corde metum, Teucri, secludite curas.
Res dura et regni novitas me talia cogunt

Hospitio prohibemur arenae. Laudavit Orosius V. 2; cogitavit Val. Flaccus III. 305. *quae* (tellus) *nos primis prohibebit arenis.*

Solvite corde metum. MSS. quaedam *corda metu.* Alterum confirmat Silius XII. 324. *Solvite graviores corde timores.* Ubi non poterat mutari *corda.*

Res dura et regni novitas me talia cogunt. Burm. *Res dura. At regni novitas me talia cogit.* Non

Moliri, et late finis custode tueri.
Quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem,
Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?
Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni;
Nec tam aversus equos Tyria Sol iungit ab urbe.
Seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva,
Sive Erycis finis regemque optatis Acesten:
Auxilio tutos dimittam, opibusque iuvabo.
Vultis et his mecum pariter considere regnis?
Urbem quam statuo, vestra est; subducite naves;
Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.

credo hoc esse, quod Dido volebat. Dixisset enim: *hoc vobis quidem durum est, sed ita agere cogor.* Sed ea durities non erat diuturna magis, quam ipsa vellet. Et statim remittit. Nec durum erat fines tueri, sed prudens. Neque *res dura* hic tam Latine diceretur, quam *durum. Res dura* est aspera conditio, in qua versor, metus Pygmalionis. Minus recte se haberet *res durae.* Ita in Sallust. B. Iug. 91. praeferendum *res trepida*, de calamitate, quae tunc subito Romanos opprimebat. Livius I. 27. *Tullus in re trepida duodecim vovet Salios.* Contra XXXIV. 11. *Legati orant ne se in rebus tam trepidis deserat:* ubi plures erant coniunctae. *Regni novitas* placuit Valerio Flacco II. 83. *regni novitate tumentes.*

Quis Troiae nesciat urbem. Statius I. Theb. 227. *quis funera Cadmi nesciat?* Virgilius *nesciat* posuisse videtur pro *audivit sine commiseratione.* Hinc sequitur *non obtusa adeo gestamus pectora.*

Nec tam aversus equos Tyria Sol iungit ab urbe. Tam procul a sole, a terra habitabili et culta, remoti non sumus. Silius aliter accepit XV. 334. *Sed quisnam aversos Phoebum tunc iungere ab urbe Romulea dubitaret equos, qui tempore eodem Marcellum acciperet letum oppetiisse sub armis?* Quasi Virgilius dixisset, solem equos a Tyriis non avertisse propter eorum crudelitatem, ut ab urbe Roma, ne videret moerorem ob funus Marcelli. Quintilianus quomodo explicaverit, non apparet, Instit. V. 12. *Nec tam aversa unquam videbitur ab opere suo providentia.*

Urbem quam statuo, vestra est. Ovid. III. Fast. 572. *Haec tellus, quantulacumque, tua est.* Appul. Metam. I. pag. 90. *Accede hospitium fiducia, imo vero iam tuum proprium Larem.*

Atque utinam rex ipse, noto compulsus eodem
Adforet Aeneas! Equidem per litora certos
Dimittam, et Libyae lustrare extrema iubebo,
Si quibus ciectus silvis aut urbibus errat.
His animum arrecti dictis, et fortis Achates
Et pater Aeneas iamdudum erumpere nubem
Ardebant. Prior Aenean compellat Achates:
Nate dea, quae nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides; classem sociosque receptos.
Unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi
Submersum; dictis respondent cetera matris.
Vix ea fatus erat, quum circumfusa repente
Scindit se nubes, et in aethera purgat apertum.
Restitit Aeneas, claraque in luce refulsit,
Os humerosque deo similis: namque ipsa decoram

Si quibus eiectus silvis aut urbibus errat. MSS. quaedam *montibus.* Burmannus praefert. Et melius videtur. Naufragi errant in locis *solis*, non adeo in *urbibus*. *Montes* et *silvas* habent aliquid proverbiale. Anacreon: *Τί γάρ με δεῖ πέτασθαι Ὄρη τε καὶ κατ' ἀγρούς Καὶ δένδρεσιν καθίζειν;* Virgil. XI. Aen. 569. *solis exegit montibus aevum. Montibus* etiam legit Sedulius Carm. Pasch. 18. *Omnibus hirsutus silvis et montibus errat.*

Ipsa decoram Caesariem nato genetrix afflarat. Venus genetrix nato afflarat caesariem decoram, afflarat nato lumen purpureum iuventae, afflarat nato laetos honores oculis. Afflarat igitur aliquid, quod natus non habebat. In his ridiculum *afflarat caesariem decoram.* Servius quidem ita interpretatur, ut Aeneas iam habuisse caesariem decoram intelligatur: sed tum poeta dixisset *afflat illius comam*, ut afflat illius oculis laetos honores. Malim: *Ipsa decorem Caesarii nato genetrix* sq. Rotunda oratio. Afflat decorem *caesarii*, lumen iuventae (virili corpori Aeneae) honores oculis. *Caesarii* pro *caesariei*, quae forma, praecipue in genitivis olim satis usitata fuit. Vide interpr. ad Aen. I. 636. *Afflarat* est Graecum. Auctor Hymni Cerer. 238. *Χρίεσκ' ἀμβροσίῃ, ὡσεὶ θεοῦ ἐκγεγαῶτα, Ἡδὺ καταπνείουσα, καὶ ἐν κόλποισιν ἔχουσα:* divinum vigorem afflabat. Vide Rubnkenium.

Caesariem nato genetrix, lumenque iuventae
Purpureum, et laetos oculis afflarat honores:
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.
Tum sic reginam alloquitur, cunctisque repente
Improvisus ait: Coram, quem quaeritis, adsum,
Troius Aeneas, Libycis ereptus ab undis.
O sola infandos Troiae miserata labores,
Quae nos, reliquias Danaum, terraeque marisque
Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos,
Urbe, domo socias! grates persolvere dignas
Non opis est nostrae, Dido, nec quidquid ubique est
Gentis Dardaniae, *magnum quae sparsa per orbem.*
Di tibi, si qua pios respectant numina, si quid

Lumenque iuventae Purpureum, et laetos oculis afflarat honores. Imitationes sunt Valerii Flacci duae: IV. 551. *tam largus honos, tam mira senectae Maiestas infusa. Vigor novus auxerat artus.* Et V. 366. *Mole nova et roseae perfusum luce iuventae.* In altero *lumen iuventae* accepit pro dativo, in altero loco pro genitivo. *Laeti honores* sunt eximie florentes. Redde vocabulum Senecae Herc. Oeteo, 380. *Ut laeta silvas forma vernantes alit, Quas nemore nudo primus investit tepor.* Ubi nunc perverse legitur *alta.*

Coram, quem quaeritis, adsum. Appuleius V Metam. 332. *Quam lugetis, adsum.*

Omnibus exhaustos iam casibus. Quidam Cod. *exhaustis.* Utrumque Latine dicitur. Hic certe *exhaustos* requiritur. Munckerus Lactantium in Argum. Metam. Ovid. XIV. fab. 15. male ex Virgilio corrigit: *Venus, ut animadvertit filium Aeneam laboribus exhaustis ad finem venisse aevi.* Volebat *exhaustum.* Aeneas ibi non recte appellaretur *exhaustus*, ut hoc loco.

Magnum quae sparsa per orbem. Hemistichium aliena manu additum. Vidi vel in recentibus MSS. longe meliora. Neque Aeneas de aliis Troianorum coloniis quidquam sciebat, ne de Antenore quidem. Quid? quod ipse dixit, *se esse reliquias Danaum.* Ergo non erant alii per orbem dispersi. Variant quoque MSS. *quae magnum* et *aspersa.* Heynius etiam dubitare videtur, an genuinum sit.

Si quid usquam iustitia est. Fluctuant interpretes inter *iustitia* et

Usquam iustitia est et mens sibi conscia recti,
Praemia digna ferant. Quae te tam laeta tulerunt
Saecula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae

iustitiae, quod est in aliis MSS. Heynius recte *iustitia* praetulit, bene explicans *si non inane nomen est*, sed res. Pulchre. Quasi cogitaverit Euripideum, quo usus est Brutus: ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ'. ἐγὼ δέ σε Ὡς ἔργον ἤσκουν. Alterum *iustitiae* reiici propterea non potest, quasi cum veterum opinione non conveniret, conscientiam bene factorum probos homines praemiis ornare, idque una cum diis. Ecce Ciceronem II. Philipp. 44. *Etsi enim satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat.* Quo loco utitur Servius ad Aeneid. IX. 252. ubi Virgilius et conscientiam et deos coniunxit: *praemia — pulcherrima primum di moresque dabunt vestri. Si quid usquam iustitiae est* significat, si uspiam, sive in coelo sive in terra sint iusti, si qua est iustitia apud Deos et homines. Sed locus prava interpunctione laborat, quam sic instituendam iudico: *Di tibi*, (*si qua pios respectant numina, si quid Usquam Iustitia est*,) *et mens sibi conscia recti*, *Praemia digna ferant*. Di et conscientia. Caetera parenthesi inclusi, ut sententia clarius perspiceretur. Haec ornavit poeta pro simplici *si numina sunt* et pios curant, si iustitia aliqua est. Ut alibi: *Di*, *si qua est coelo pietas quae talia curet*. Et IV Aen. 208. *Iupiter — adspicis haec? An te, genitor, quum fulmina torques, Nequidquam horremus?* Virgilius dicere debuisset *mens tibi conscia recti*. Sed *tibi* praecesserat. *Sibi* est συνείδησις: *tibi* ἡ συνείδησις. Eodem redit. *Di et mens conscia* nihil differt a *Di moresque*. Nam ibi Virgilius subiungit: *tum caetera reddet pius Aeneas*. Et *praemia* pro ista pietate Nisus et Euryalus *mortalia* acceperunt pessima. Nam morte Inciderunt. Servius sine dubio talem interpunctionem sequebatur, quando explicabat: »secundum Stoicos, qui dicunt ipsam virtutem esse pro praemio, etiamsi nulla sint praemia." Scripsi autem *Iustitia*. Est enim dea, *Δίκη*. Sic etiam intellexit Statius II. Theb. 359. *Sciat haec Saturnius olim Fata parens, oculosque polo demittere si quos Iustitia, et rectum terris defendere curat.*

In freta dum fluvii current. Locus apud poetas communis pro *aeternum*: hic a Grammatico aliquo satis infeliciter elaboratus. Quis intelligat *dum umbrae montibus lustrabunt convexa?* Tum fluvii diutius in freta currerent, quam Aeneas viveret. Sed, dicunt, Aeneas efficeret ut in iis terris, in quibus consideret, perennis

Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet:
Semper honos nomenque tuum, laudesque manebunt,
Quae me cumque vocant terrae. Sic fatus, amicum
Ilionea petit dextra, laevaque Serestum;
Post alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Obstupuit primo adspectu Sidonia Dido,
Casu deinde viri tanto; et sic ore locuta est:
Quis te, nate dea, per tanta pericula casus
Insequitur? quae vis immanibus applicat oris?
Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,
Finibus expulsum patriis, nova regna petentem

tanti beneficii memoria conservaretur. Vix ita interpretari licet. Nam sententia plane est absoluta: *dum fluvii current*, honos et nomen tuum semper manebunt. Adde *quae me cumque vocant terrae* — est: *manebunt apud me, quocumque veniam, et manebunt, quamdiu hic mundus stabit.* Dele inscitos versus, omnia praeclare cohaerent. Inspice praeterea plurima illa exempla, in quibus simplex notio *aeterni* sic expressa est; videbis semper referri ad tale factum, quod sua natura non nisi cum mundo interire posse iudicabant, cuius fama per totum terrarum orbem dispergeretur, quod ad omne genus humanum pertineret. Regina hic exsuli egeno beneficium praestat. Hoc mundus curabat scilicet! Aeneas autem, se populi Romani auctorem fore, ignorabat. Si Virgilius tale aliquid addidisset, et ipsi versus essent meliores, aequius fortasse ferremus.

Obstupuit primo adspectu. Malim *primum*, quod et Heinsio in mentem venit. In Mediceo erat *prim*, *o* superscriptum.

Casu deinde viri tanto, et sic ore locuta est. Melius, credo: *Casu deinde viri: tandem sic ore locuta est.* Elegantius consequuntur *primum*, *deinde*, *tandem*. *Casu* gravius, quam *tanto casu*. Ita legisse diceres Valer. Flaccum VII. 288. *Cumque ipsa moverer Alloquiis casuque viri.*

Immanibus applicat oris. Litori periculoso, et propter Syrtes. Marklandi *ausis* iure interpretes spernunt.

Tune ille Aeneas. Frustra Venet. *An tu ille.* Valer. Flaccus IV. 467. *Tune ille Odrysiae Phineus rex inclytus orae?* V. Heins. ad Heroid. Ovidii XIV. 95.

Auxilio Beli: genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum, et victor ditione tenebat:
Tempore iam ex illo casus mihi cognitus urbis
Troianae, nomenque tuum, regesque Pelasgi.
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,
Seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat.
Quare agite, o tectis, iuvenes, succedite nostris.
Me quoque per multos similis fortuna labores
Iactatam hac demum voluit consistere terra.
Non ignara mali miseris succurrere disco.
Sic memorat: simul Aenean in regia ducit
Tecta; simul divom templis indicit honorem.
Nec minus interea sociis ad litora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pinguis centum cum matribus agnos,
Munera laetitiamque dii.

Non ignara mali miseris succurrere disco. Eximia sententia, quam et Paulus in Epist. ad Hebraeos IV. 15. pulcherrime adhibuit: *οὐ γὰρ ἔχομεν ἀρχιερέα μὴ δυνάμενον συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, πεπειρασμένον δὲ κατὰ πάντα.*

Munera laetitiamque dii. Versus, *quem quidam non intelligi posse* putabant, ut annotavit Servius. A. Gellius N. Attic. IX. 14. scribendum contendit *dii* pro *diei*. Et sic edidit Wagnerus, recte tamen animadvertens, nec *munera diei* nec *laetitiam diei* satis commode dici, et, si *munera* aliquid diversum a supra memoratis indicat, non bene omitti copulam *et*. Apparet *munera* non posse referri ad antecedentia. Dido regina mittit sociis *tauros*, *sues* et *agnos*. Sponte intelligitur *dono* mitti. Ergo *munera* de aliis rebus accipiendum, quibus socios indigere putabat, v. c. *vestibus*. Sed ita requiritur copula. Deinde *laetitia dei* significare debebit *vinum*. Nam *vinum* rerum series et consuetudo postulant. Sed *vinum* nusquam appellatum est *laetitia Bacchi*, multo minus, credo, appellaretur *laetitia dei*. Interea *dei* in plerisque MSS. legitur, in paucioribus *die*, in uno *Diae*, in duobus Parisin. *diei*. Videor mihi excogitavisse, quod verum, certe verosimile dici possit. Pro MVNERA LAETITIAMQVE DEI scribamus MVNERAQVE LATICEMQVE LVAEI.

At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisque parant convivia tectis:
Arte laboratae vestes, ostroque superbo;
Ingens argentum mensis, caelataque in auro
Fortia facta patrum, series longissima rerum,
Per tot ducta viros antiquae ab origine gentis.
Aeneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad naves praemittit Achaten,
Ascanio ferat haec, ipsumque ad moenia ducat.
Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.
Munera praeterea, Iliacis erepta ruinis,
Ferre iubet, pallam signis auroque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argivae Helenae; quos illa Mycenis,
Pergama quum peteret inconcessosque Hymenaeos,
Extulerat, matris Ledae mirabile donum.
Praeterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
Maxima natarum Priami, colloque monile
Baccatum, et duplicem gemmis auroque coronam.

Muneraque laticemque Lyaei. Virgilius saepe tales versus fecit: ut *Liminaque laurusque dei.* Vide Erythraeum in Indice. Si extremam manum Aeneidi imposuisset, aliud substantivum a vocali incipiens et in *que* desinens, addidisset. Statim non inveniebat. Desideratur, credo, *panis.* *Laticem** *Lyaei*, ut I Aen. 686. *laticemque Lyaeum.* Ad illud *Lyaei* ducunt lectiones MSS. *diei* et *Diae.* Possis fortasse et *muneraque laticemque Lyaei* sic explicare, ut accipias pro *laticem, quae sunt munera Lyaei*, ut *munera Bacchi* saepe pro *vino.* Sic Silius VII. 748. *munera grata Lyaei.* Caeterum *die* pro *diei* saepe invenitur. Restitue hoc Valerio Flacco IV. Argon. 179, de tenebrosa spelunca: *Non quae dona deum, non quae trahat aetheris ignem.* Scribendum: *Non quae dona die.*

At domus interior. Memorabilis lectio *interea*, in Cod. Ambrosiano Frontonis in Exempl. Elocutionum, quae vulgo tribuuntur Arusiano Messo. V. Opera Frontonis ed. Maio pag. 525. Fortasse hoc elegantius est, etiam quia sequitur convivium parari in mediis tectis, quod idem est ac *domus interior.*

Haec celerans, iter ad navis tendebat Achates.
At Cytherea novas artis, nova pectore versat
Consilia: ut faciem mutatus et ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat, donisque furentem
Incendat reginam, atque ossibus implicet ignem;
Quippe domum timet ambiguam Tyriosque bilinguis.
Urit atrox Iuno, et sub noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis affatur Amorem:
Nate, meae vires, mea magna potentia solus,
Nate, patris summi qui tela Typhoia temnis,
Ad te confugio, et supplex tua numina posco.
Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum
Litora iactetur, odiis Iunonis iniquae,
Nota tibi; et nostro doluisti saepe dolore.
Hunc Phoenissa tenet Dido, blandisque moratur
Vocibus; et vereor, quo se Iunonia vertant
Hospitia: haud tanto cessabit cardine rerum.
Quocirca capere ante dolis et cingere flamma
Reginam meditor, ne quo se numine mutet,
Sed magno Aeneae mecum teneatur amore.
Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem:

Tela Typhoia. Grammaticus ineditus in copiis Bondami Biblioth. Leidensis: »*Typhoea* correptum protulit. Doricum est. Illi enim de *ei* diphthongo *i* abiiciunt et *e* sola brevis remanet."

Nota tibi. Pro *notum.* Claudian. II. Rufin. 294. *ut cessisse duces — cognita Rufino.*

Tenet Dido. Vis verbi *tenet* ex adiuncto *moratur* optime sentitur. v. Burm. ad Valer. Flacci VII. 257.

Haud tanto cessabit cardine rerum. Summo discrimine. Vide Burm. ad Valer. Flacci V. 19.

Magno Aeneae mecum teneatur amore. Duplex fertur explicatio. *Mecum* pro me annitente: ut *mecum erit iste labor.* Haec est Servii. Sed toto coelo differunt: *Mecum erit labor* — apud me erit, meus erit labor, et: *Aeneas mecum teneatur amore.* Alii, ut Heynius, sic interpretantur: amet Dido Aeneam, sicuti ego amo, tueor, tamquam mater. Sed amor maternus longe aliud erat,

Regius accitu cari genitoris ad urbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura,
Dona ferens, pelago et flammis restantia Troiae:
Hunc ego, sopitum somno, super alta Cythera,
Aut super Idalium sacrata sede recondam,
Ne qua scire dolos, mediusve occurrere possit;
Tu faciem illius noctem non amplius unam
Falle dolo, et notos pueri puer indue voltus:
Ut, quum te gremio accipiet laetissima Dido
Regalis inter mensas laticemque Lyaeum,
Quum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem, fallasque veneno.
Paret Amor dictis carae genetricis, et alas
Exuit, et gressu gaudens incedit Iuli.
At Venus Ascanio placidam per membra quietem

quam amor quo Cupido feminas incendere solebat, et Didonem debebal. Hine illa: *furentem incendat reginam atque ossibus implicet ignem.* Et Venns hie eam *flamma cingere* volebat. Atque hoc ex tota historia satis apparet. Quare pro MECUMTENEATUR omnino scribendnm eenseo MENTEMINCENDATUR. *Sed magno Aeneae mentem incendatur amore.* Ita Dido consilia sua mutare non poterat. *Incendatur*, ut II. Aen. 343. *insano Cassandrae incensus amore. Mentem*, ut statim: *expleri mentem nequit.*

Fallasque veneno. Edit. Veneta *fallaxque venenum.* Heynius vocat errorem non infelicem. Potius credam esse emendationem non capientis elegantiam verbi *fallas.* Nam arcte iungenda sunl *inspires et fallas*, id est elam inspires, ut non sentiat, *λαθών.* Non, *fallas Didonem veneno*, sed ipse *lateas*, dum ignem per venenum tuum et animam et dona inspiras. Plane idem dixit VII. 350. *fallitque furenti Vipeream inspirans animam.* Ubi male legitur *furentem.* Livius V. 2. *Nec se fefellisse, id donum inimicorum veneno illitum fore.* Iam ad Horatii Carm. III. 16. verba Livii sic constitui: *nec se fefellisse id donum inimicorum veneno illitum.* Quare post *ignem* non erat signum distinctionis ponendum. Comparandi sunt Valer. Flaccus VII. 259. *Occupat amplexu Venus, et furialia figit Oscula, permixtumque odiis inspirat amorem.* Claudian. II. Eutrop. 188. *Infunditque animo furiale per oscula virus.*

Irrigat, et fotum gremio dea tollit in altos
Idaliae lucos, ubi mollis amaracus illum
Floribus et dulci adspirans complectitur umbra.
Iamque ibat, dicto parens, et dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce laetus Achate.
Quum venit, aulaeis iam se regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamque locavit;
Iam pater Aeneas, et iam Troiana iuventus
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantelia villis.
Quinquaginta intus famulae, quibus ordine longo
Cura penum struere, et flammis adolere Penates;

Mediamque locavit. Cum dignitate, *mediam;* non, *mediam inter vicinos;* sed *mediam in lecto suo.* Si *media inter alios* honoris causa ponitur, plerumque additum invenimus, quis ad sinistram sederit. Valer. Flaccus etiam sic explicandus est II. 346. *Iam medium Aesonides, iam se regina locavit.* Ita recte Heinsius pro *medio.*

Dant famuli manibus lymphas. Duos versus habeo suspectos. Hic *famuli*, et mox *famulae* et *ministri.* Famuli aquam apportant ad manus lavandas, iidem panem in mensa ponunt, et mantilia ferunt ad manus tergendas. *Panis* in medio valde alienus est, et *mantilia* pariunt fastidium. Quae res fortasse nonnullos movit, ut cogitarent de mappis ad mensas tegendas. Et cur hi famuli iam nunc panem ponerent, quum statim memoretur fuisse famulas quae intus cibos pararent, alias et ministros qui cibum et vinum inferrent? In MSS. hic iterum varietas: *dant famulae: dant manibus: dant lympham.* Tum *panis* in ipsis canistris apponebatur, et apud Homerum et Virgilium, VIII. 180. *Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris Dona laboratae Cereris.* Denique illud *tonsisque ferunt mantelia villis*, idem legitur Georgic. IV. 376. ad quem locum duo versus videntur esse formati: *manibus liquidos dant ordine fontes Germanae, tonsisque ferunt mantelia villis. Pars epulis onerant mensas, et plena reponunt pocula.* Ubi meliorem vides rerum ordinem, *aquam, mantelia, cibum.* Virgilianam convivii descriptionem imitati sunt Valer. Flaccus II. 346. Statius I Theb. 512. et Silius XI. 278.

Centum aliae, totidemque pares aetate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, et pocula ponant.
Nec non et Tyrii per limina laeta frequentes
Convenere, toris iussi discumbere pictis.
Mirantur dona Aeneae; mirantur Iulum,
Flagrantesque dei voltus, simulataque verba,
Pallamque, et pictum croceo velamen acantho.
Praecipue infelix, pesti devota futurae,
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
Phoenissa, et pariter puero donisque movetur.
Ille, ubi complexu Aeneae colloque pependit,
Et magnum falsi implevit genitoris amorem,

Et magnum falsi implevit genitoris amorem. Servius: »*arduum:* difficile est enim imitari verum filii affectum.“ Hic igitur *magnum* pro *arduum* accepit. Nisi in parenthesi legerit: *Et, magnum! falsi implevit genitoris amorem.* Sed hoc Cupidini, deo, Veneris filio, qui probe a matre doctus erat, minime difficile accidere poterat. Corradus interpretatur: »Ascanius falsus desiderium patris, a quo, absentiam filii impatienter ferente arcessitus erat, primis amplexibus et osculis explevit.“ Burmannus: »partes filii, patrem vehementer amantis, bene egit.“ Heynius putat, toti rationi aliquid coacti ac duri subesse, nec dictu facile, quorsum amor *magnus* pertineat, et Aeneae desiderium potius esse explendum, cuius omnis in Ascanio cura stabat. v. Heyn. in Excursu ad h. l. In annotatione sic scribit: »desiderium ex absentia, quo pater tenebatur, dixit *amorem magnum*, quem puer nunc satiavit amplexu.“ Haerent adeo interpretes. Ego non video, quid *filius amorem patris* vel *erga patrem implet* aliud significare possit, nisi *filius se erga patrem ita gerit, ut ad amorem et pietatem nihil desit.* Multa de verbo *implere* scripserunt Cortius ad Plinii Epist. pag. 530. ad Lucan. VI. 213. Ruhnkenius ad Vell. Paterc. II. 95. et Walchius ad Taciti Agric. 44. Sed omnia exempla ad unam notionem exigenda sunt, *mensuram* nempe. Proprie dicendum erat, *mensuram rei implere.* Usu invaluit ut etiam diceretur *rem implere.* Igitur *implevit amorem* est *mensuram amoris implevit:* nihil ad summum amorem deest. Sed hoc non ostenditur solo amplexu, et obstat *falsi genitoris* nomen. Multa hic esse turbata suspicor.

Reginam petit. Haec oculis, haec pectore toto
Haeret; et interdum gremio fovet; inscia Dido,
Insidat quantus miserae deus! At memor ille
Matris Acidaliae, paullatim abolere Sychaeum
Incipit, et vivo tentat praevertere amore
Iam pridem resides animos desuetaque corda.
Postquam prima quies epulis, mensaeque remotae,
Crateras magnos statuunt, et vina coronant.
Fit strepitus tectis, vocemque par ampla volutant

Haec oculis, haec pectore toto haeret. In falso Ascanio. Valer. Flaccus VI. 657. *Regina virum, neque enim deus amovet ignem, Persequitur lustrans, oculisque ardentibus haeret.* Silius formam dicendi mutavit XII. 518. *Roma auribus haeret Roma oculis.*

Incipit, et vivo tentat praevertere amore. Tentat lenius est de Cupidine, cuius hoc erat opus, ut, quas vellet, facilis incenderet. Et Didonem iam fere incenderat. Regina oculis et toto pectore haerebat in parvulo Aenea, imagine patris: patrem amabat ipsum. *Praevertere* est obscurum et huic loco minus idoneum, etiamsi explices, ut optime convenire videtur. Servius accipit, *praeoccupare*, propter Iunonem. Heynius, pro simplici *occupare*, et exquisitum putat. Wagnerus, *ante incendere*, quam Sychaei memoria refricetur. Si versus iste: *Et magnum falsi implevit genitoris amorem* paulum mutatus huc pro *vivo tentat praevertere amore* transponeretur, multis difficultatibus eramus soluti, et haberemus locum vulgato longe meliorem: *paulatim abolere Sychaeum Incipit, et falsi implevit genitoris amore Iam pridem resides animos desuetaque corda. Implevit amore animos*, iamdudum amare desuetos. Nam Sychaeum proprie non amabat, sed illius memoriam eximie venerabatur. Ac propterea quoque frigidum est *vivo amore*, tamquam oppositum sit *mortuo amori.*

Iam pridem resides animos desuetaque corda. Cogitabat ista Claudian. Praefat. Rapt. Proserp. II. *Otia sopitis. ageret cum cantibus Orpheus, Neglectumque diu seposuisset ebur: Desuetae repetit fila canora lyrae. Et resides levi modulatus pectine nervos.*

Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant atria. In quibusdam *it strepitus*, et *vocesque*. Utrumque lubens prae vulgatis amplector. *It tectis* non est *ad tecta*, sed *per tecta*, conclavia, ubi sedebant, ut dicimus *totis tectis*. Nec *strepitus* est ferox iste Scytharum

Atria; dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, et noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina gravem gemmis auroque poposcit
Implevitque mero pateram, quam Belus, et omnes
A Belo soliti; tum facta silentia tectis:
Iupiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur,
Hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis
Esse velis, nostrosque huius meminisse minores.
Adsit laetitiae Bacchus dator, et bona Iuno.
Et vos, o, coetum, Tyrii, celebrate faventes.
Dixit, et in mensam laticum libavit honorem,
Primaque, libato, summo tenus attigit ore;
Tum Bitiae dedit increpitans; ille impiger hausit

clamor, sed murmur, semper altius, ut in coenis huiusmodi fit, magis magisque dispergitur. Primum unus et alter, plures, tum, vino incalescunt, et omnes incipiunt. *Strepitus* mox explicatur per *voces volutant*, volutant se, volutantur.

Primaque, libato, summo tenus attigit ore. Tum Bitiae dedit. Sonus valde ingratus *libato summo*, in hoc quidem loco. Iam *libato* intelligi potest, scilicet *postquam ita libaverat*, quales ablativos absolutos neutro genere positos, ut etiam apud Graecos, saepe reperimus. Vide Drakenb. ad Livii I. 41. et Perizon. ad Sanctii Minerv. III. 9. Sed hoc esset nimis tenue et orationi prosae aptius: *vinum libavit*, et *postquam libaverat*, *attigit.* Heinsius emendabat: *libatos*, nempe *latices*, vinum, unde erat libatum. Wagnerus iure dubitat, an hoc Latine dicatur. Neque Dido *vinum libatum* poterat attingere, quia non erat in poculo, sed in mensam effluxerat. Habet etiam *primaque*, quod reprehendas. Explicant *primum ipsa attigit, tum dedit.* In eo *primum* plane supervacuum est. Sponte apparet et ex decori natura, reginam debuisse attingere ante Bitiam, et sequens *tum* facit ut libentes eo vocabulo careamus. Inspiciamus totum versum: PRIMAQVE LIBATO SVMMO *tenus attigit* ORE. Vide quam similes hi sint literarum ductus: VINAQVE VIX LABIO SVMMA *tenus attigit* ORA, *Cum Bitiae dedit increpitans.* VIX facila excidisse potuit ob antecedens VE. *Cum* erat in uno MS. *Vinaque vix labio summa tenus attigit ora, Cum Bitiae dedit increpitans.* Virgilius in Didone summam modestiam et pudorem observavit. Supra loquitur *voltum demissa.* Hic inprimis cavet, ne vel aliquid bibisse

Spumantem pateram, et pleno se proluit auro;
Post alii proceres. Cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quae maximus Atlas.
Hic canit errantem lunam, solisque labores;
Unde hominum genus, et pecudes; unde imber et ignes;
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones;
Quid tantum oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausu Tyrii, Troesque sequuntur.
Nec non et vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem,
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa:
Nunc, quibus Aurorae venisset filius armis;
Nunc, quales Diomedis equi: nunc, quantus Achilles.
Imo age, et a prima, dic, hospes, origine nobis
Insidias, inquit, Danaum, casusque tuorum,
Erroresque tuos. Nam te iam septima portat
Omnibus errantem terris et fluctibus aestas.

videatur. *Vina*, id est poculum, ut, *vina coronant;* vina attigit uno labio inferiore, a summa poculi ora, margine, et vix attigit, cum statim dedit Bitiae. Si paulo diutius ori admotum tenuisset poculi marginem, malevolorum suspicionem non vitasset. Bitias totum os inseruit, a Didone etiam admonitus, ut strenue rem gereret. *Ora summa* poculi, ut Lucret. I. 935. *prius oras pocula circum Contingunt mellis dulci flavoque liquore, Ut puerorum aetas improvida ludificetur Labrorum tenus.*

Quid tantum oceano properent. Valer. Flaccus V. 37. *quid tanto insensa repente numina?* Ubi Burm. non recte intelligebat *parant.*

Quibus Aurorae venisset filius armis. Dido multa rogabat, ut noctem traheret, eoque diutius praesentia Aeneae frueretur. Praeterea feminae sunt cupidae rerum cognoscendarum, praecipue quae ad ornatum pertinent. Ergo quaerebat de huius armis, de illius equis, de alterius habitu et forma. Heynius miratur nemini in mentem venisse *oris*, et in Excursu h. l. doctius illustrat, quam naturae ac rei simplicitas postulat.

Fluctibus aestas. Huic versui in MS. Goth. additur: *Funera Dardaniae narrat fletusque secundo.*

P. VIRGILII MARONIS

A E N E I D O S

LIBER SECUNDUS.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.
Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:
Infandum, Regina, iubes renovare dolorem,
Troianas ut opes et lamentabile regnum
Eruerint Danai; quaeque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulixi,
Temperet a lacrimis! Et iam nox humida coelo

Quorum pars magna fui. Seneca Consol. ad Marciam 18. *Erisque et spectatrix, et ipsa pars magna conantium.* De Tranq. An. 14. *Canus Caianae caedis magna portio.* Aliam dicendi formam, a scena deductam, explicavit Gronov. ad Senecae Consol. Polybii, 25.

Temperet. Recte. Ut alibi *quis nesciat.* In MS. Frontonis, pag. 546. ed. Maii, *temperat.* Silius II. 650. *Quis diros urbis casus — Imperet evolvens lacrymis?*

Nox humida coelo praecipitat. Fronto servavit verba Catonis, pag. 69. *Dum se intempesta nox praecipitat.* Quod Fronto de *concubia nocte* explicat. Virgilius dicit noctem in *coelo praecipitare*, maiorem cursus partem absolvisse, festinare ut totum absolvat. Seneca Troad. 438. *Partes fere nox alma transierat duas, Clarum-*

Praecipitat, suadentque cadentia sidera somnos.
Sed si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et breviter Troiae supremum audire laborem;
Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit;

que septem stellae verterant iugum. Fuit adeo nox media, ut sidera iam prope occiderent. *Sidera* sunt praecipue *Ursa.* Ita solent poetae Graeci. Theocritus Eidyll. XXIV. 11. *Ἆμος δὲ στρέφεται μεσονύκτιον ἐς δύσιν ἄρκτος.* Ovid. Trist. I. III. *Iamque morae spatium nox praecipitata negabat, Versaque ab axe suo Parrhasis arctos erat.* Ubi notandum *praecipitata.* Idem II. Fast. 635. *Iamque ubi suadebit placidos nox ultima somnos.* Conf. Ciofan. ad Ovid. Metam. X. 446. Heynius et hic et in Excursu rem alio modo exponit, non tamen reprehendendus a Wakefieldio ad Lucretii V. 623. quod statuit noctis cursum ab occidente versus orientem fieri. Wakefieldius volebat ab *oriente* ad *occidentem.* Iudicanda haec sunt ex opinionibus veterum. Sol subit in Oceanum occidentalem, Nox ex eodem Oceano occidentali oritur.

Si tantus amor casus cognoscere nostros. Placuit Statio Silv. III. II. 40. *Si vestras amor est mihi pandere Thebas.* I Theb. 698. *flavos amor est tibi mergere crines.* Graeci ἔρως ἔχει τινα, et πόθος apud Aristoph. Acharn. Alterum, etiam nunc, restituendum puto Anacreonti Carm. IV. *Πρὶν, Ἔρως, ἐκεῖ μ' ἀπελθεῖν Ὑπὸ νερτέρων χορείας, Σκεδάσαι θέλω μερίμνας.* Scribendum nempe: *Πρὶν ἔρως ἔχει μ' ἀπελθεῖν.*

Quamquam animus meminisse horret luctuque refugit. Non possum dissimulare, quid sentiam. *Horret et refugit* ita coniuncta nemo Romanus unquam acciperet aliter, quam de eodem praesenti tempore, ac *refugit* pronuntiaret media correpta. Muretus Var. Lect. V. 3, comparavit locum Ciceronis Philipp. XIV. *Refugit animus eaque reformidat dicere.* Ibi et Cicero sic pronuntiavit, ut praesens audiretur: sicuti ipse Muretus sine dubio fecit, quando recitabat Orationem suam XX. *Horret et refugit animus ea memorare, quae post illas pestes ac furias, ab humani generis hoste immissas, contigerunt.* Sic Ovid. IX. Heroid. 135. *Mens fugit admonitu, frigusque perambulat artus.* Seneca Agam. 415. aperte Virgilium expressit: *Acerba fata poscis. Infaustum iubes Miscere laeto nuntium. Refugit loqui — Mens aegra, tantis atque inhorrescit malis.* Utitur tamen praesenti, quamquam in iambo facile potuisset uti praeterito, si Virgilium in eo gratiam aliquam posuisse censuisset, aut ita in suo exemplari vidisset. Et sic omnes accepere. Ianus Dousa filius Carm. p. 87. *Sed dicere cuncta Mens refugit luctu.*

Incipiam. Fracti bello, fatisque repulsi
Ductores Danaum, tot iam labentibus annis,
Instar montis equum divina Palladis arte

Heynius causam ita explicat: »ad formam *aoristi*, exquisite, cum iu re, quae per plura momenta durat, etsi vulgari usu praesens frequentatur, praeteritum tamen non minus locum habeat." Gronovius ad Senecam Agam. 891. perfectum aliquod in mediis praesentibus, melius exponit: simul enim et fit et factum est, dum narratur. Idem usum *praeteriti* pro *praesente* ostendit ad Troad. 1085, et praecipue ad Hippol. 510. Libens adeo verba Gronovii ad hunc locum Virgilii accommodarem, si exempla essent similia. In Virgilio exspectassem vel *horruit* et *refugit*, vel *horret* et *refugit*. Non enim sunt diversa, sed eadem: quamquam animus *luctu horret et refugit* meminisse. Nescio quid in hac re statuendum sit. Sed maluissem *refugitque dolore*. Possem coniicere *luctu refugitque*. Quod non durius esset illo X. 505. *socii multo gemitu lacrymisque*. Et solent optimi poetae horrorem rerum horridis versibus imitari. Sed satis habebo difficultatem ostendisse et felicioribus fortasse expediendam reliquisse.

Instar montis equum divina Palladis arte aedificant. Servius: »aut *ingeniose*, aut *dolose*, ac si diceret, consilio iratae deae, quae fuit inimica Troianis." Vides illud *arte* iam ambigue esse dictum: nam et accipi potest pro *dolo deae Palladis*. Idque hoc loco maiorem habet veri speciem, quod *equus* a Virgilio appellatur *dolus*, II. Aen. 264. *doli fabricator Epeus*: et Homerus Iliad. O. 71. Troiam dicit captam *Ἀθηναίης διὰ βουλάς, arte Palladis*. Addita haec a rhapsodo fuisse putant. Virgilius tamen legit. Quid, quod Proclus e Lescheo tradit Epeum fecisse *δούρειον ἵππον κατ' Ἀθηνᾶς προαίρεσιν*. Hyginus Fab. 108. *Epeus monitu Minervae equum fecit*. Praeterea Virgilius bis in eodem hoc libro totam illam fraudem appellavit *artem Pelasgam*. Accedit alterum ambiguum. Nam *ars Palladis* esse potest *ars architectonica* et *textoria*, ut *artes* Musarum, Apollinis, aliae: velut ipse Virgil. XII. 393. *Iapidi — Ipse suas artes sua munera laetus Apollo Augurium citharamque dabat, celeresque sagittas*. *Artis textoriae* nulla hic est ratio. Ergo intelligendum, Palladem fabris in equo construendo suas dedisse artes: et apud Q. Calabrum Minerva Epeo dedit *τέχνην ἐρατεινήν*: apud Homerum Epeus fecit *σὺν Ἀθήνῃ*. Sed hoc iterum non accurate expressum est *arte divina Palladis*. Omne ambiguum tolles et Virgilio elegantiam restitues, scribendo: *Instar montis equum, divinam Palladis artem, Aedificant*. Ductores aedificari iubent. Epeus auxilio Minervae perfecit, tanta elegantia, ut

Aedificant, sectaque intexunt abiete costas;
Votum pro reditu simulant: ea fama vagatur.
Huc delecta virum sortiti corpora furtim
Includunt caeco lateri, penitusque cavernas
Ingentis uterumque armato milite complent.

non illius, sed revera *ars*, *artificium* esset ipsius Minervae. Et equns esse debebat pulcherrimnm opus, quia erat donnm, et ne Troiani frandem suspicarentur, sed, tamquam rem sacram, admirarentur. Tryphiodorus vocat *ἱππήλατον ἔργον Ἀθήνης*. Ita navis Argo, *quae cura pugnacis facta Minervae est*, nt dicit Ovid. Trist. III. 9. apnd Catull. Epithal. 8. ab ipsa Pallade facta esse dicitur. *Ars* pro *artificiosum opus* satis cognitum est. Afferam tamen, propter similitudinem exemplorum, Virgil. V. Aen. 359. *clypeum*, *Didymaonis artes*. Ubi in aliis MSS. erat *arte:* ortnm quippe a librariis, qui elegantiam istam non intelligebant; quod etiam hoc loco fieri potnit. Propert. III. vii. 39. *Nec referam Scaeas et Pergama*, *Apollinis arces*, *Et Danaum decimo vere redisse rates*, *Moenia cum Graio Neptunia pressit aratro Victor Palladiae ligneus artis equus*. Propertius respexit Virgilium, diceus se non tam grandis soni opus esse susceptnrum, quam est Aeneis. Equus *artis Palladiae* est, equus *ars Palladis*, magis, quam equus, quem alii *arte Palladis* aedificant.

Votum pro reditu simulant. Pro VOTVM exspectaveram DONVM. Simulant se dedisse Minervae, ut sibi reditum secundaret. *Votum* solvebatur demum post reditum, si voti compotes et rei essent. Igitur Aeneas vs. 31. vocat *innuptae donum exitiale Minervae*. Qnod facere non posset, nisi iam hic appellasset *donum:* vs. 44, *dona Danaum*, et vs. 189. *dono Minervae*. Accius apnd Servinm inscriptionem memorat: *Minervae donum armipotenti Danai abeuntes dicant*. Hyginus Fab. 108. *In equo scripserunt: Danai Minervae dono dant*. Seneca Agam. 626. *Vidimus simulata dona molis immensae*. *Votum* nusquam in hac causa legitnr, nisi obscure apud Petronium cap. 89. *Danai — in voto latent*. Et si simulassent esse *votum*, Troiani statim frandem olfecissent. Nam equus stabat, quem voverant pro reditu. Quid adepti eraut? Felicem reditnm in patriam? Minime. Ergo hoc erant adepti, nt Troiam relinquere et reditnm tentare possent. Sed ea res voto non digna erat, similis quippe cladi. Nam videbantur victi discedere.

Uterumque. In annotatione Servii ad h. l. »et in Tragoedia de hoc equo *εὐροίμονα* legitur." Hemsterh. emendat *ἐγκύμονα*. Et sic Dorvillius volebat.

Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant,
Nunc tantum sinus et statio male fida carinis.
Huc se provecti deserto in litore condunt.
Nos abiisse rati, et vento petiisse Mycenas.
Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu.
Panduntur portae; iuvat ire, et Dorica castra
Desertosque videre locos litusque relictum.
Hic Dolopum manus, hic saevus tendebat Achilles;
Classibus hic locus; hic acie certare solebant.
Pars stupet innuptae donum exitiale Minervae,
Et molem mirantur equi: primusque Thymoetes
Duci intra muros hortatur, et arce locari;
Sive dolo, seu iam Troiae sic fata ferebant.
At Capys, et quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona
Praecipitare iubent, subiectisque urere flammis:
Aut terebrare cavas uteri et tentare latebras.
Scinditur incertum studia in contraria volgus.

Tenedos, notissima fama insula. Tenedos cum regno Priami florebat et cadebat. Hoc scire poterat Aeneas, qui post Troiam deletam aliquamdiu in vicinia fuit. Nonnulli putant Virgilium haec de Tenedo non potuisse vere dicere, quod ad Aeneae tempora attinet. Locum imitatur Seneca Troad. 224. *Nota fama Tenedos:* sequentia, Silius XIV. 201. *Et iusti quondam portus, nunc litore solo Subsidium infidum fugientibus aequora nautis.*

Iuvat ire, et Dorica castra visere. Omnis haec imago ante oculos versabatur Silio XII. 741. Formam versus respicit Statius Theb. I. 616. *iuvat ire et visere iuxta Liventes in morte oculos.*

Donum exitiale Minervae. Valer. Flaccus V. 448. *gemmiferae donum exitiale coronae.*

Sic fata ferebant. Valer. Flacc. VIII. 174. *te venti procul et tua fata ferebant.* Ubi legendum: *sed venti procul et sua fata ferebant.*

Scinditur incertum studia in contraria volgus. Statius Theb. V. 147. *Nec varius fremor, aut studia in contraria rapti Dissensus, ut plebe solet.*

Primus ibi ante omnis, magna comitante caterva,
Laocoon ardens summa decurrit ab arce;
Et procul: o miseri, quae tanta insania, cives?
Creditis avectos hostis? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? sic notus Ulixes?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,
Aut haec in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos, venturaque desuper urbi;
Aut aliquis latet error; equo ne credite, Teucri.
Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentis.
Sic fatus, validis ingentem viribus hastam
In latus inque feri curvam compagibus alvum
Contorsit. Stetit illa tremens, uteroque recusso
Insonuere cavae gemitumque dedere cavernae.
Et, si fata deum, si mens non laeva fuisset,
Impulerat, ferro Argolicas foedare latebras;
Troiaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.
Ecce, manus iuvenem interea post terga revinctum
Pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidae: qui se ignotum venientibus ultro,
Hoc ipsum ut strueret, Troiamque aperiret Achivis,
Obtulerat, fidens animi, atque in utrumque paratus,

Sic notus Ulixes? Ovid. Pont. III. vii. 32. *An fortuna mihi sic mea nota fuit?* Lucan. V. 567. *Sic est tibi cognita, Magne, nostra fides.* Conf. interpretes ad Silii II. 110.

In utrumque paratus, Seu versare dolos, seu certae occumbere morti. *Versare dolos* significat dolos *moliri*, *tentare*. Ipse Virgilius ostendit XI. 704. ubi filius Auni, videns se pugnam non posse evadere, *consilio versare dolos ingressus et astu*, Camillam decipere conatur: *doli* non successere, et occiditur. Valerius Flaccus II. 568. dixit *dolos volutare.* Sinon ille igitur in *utrumque erat paratus*, tamquam in res magnas et memorabiles, cupiebat *mori* vel *dolo agere.* Vides primum, quam *dolo agere* nullam hic habeat vim, quae esse debet in opposito: deinde falsa est enuntiatio. Poterat *dolo* agere, dolum

Seu versare dolos, seu certae occumbere morti.
Undique visendi studio Troiana iuventus

non ad felicem exitum perducere, et tamen *incolumis* redire. Hoc interpretes non latuit. Nam, Heynius v. c. explicavit *versare dolos* cum adiuncta notione *efficere*, ad exitum perducere. Sed multum hic interest inter *conatum* et *effectum;* neque huius Latinitatis in tali causa ullum vidi exemplum, neque ex natura linguae cultioris extare potest, ubi praecedat, aliquem, tamquam votorum summam, alterum utrum velle, seu *mori* seu *vincere*. Afferam nonnulla huiusmodi opposita. Iam Homerus, quo loco et Ursinus utitur, Iliad. N. 424. ἵετο δ' αἰεὶ Ἠέ τινα Τρώων ἐρεβεννῇ νυκτὶ καλύψαι, Ἢ αὐτὸς δουπῆσαι, ἀμύνων λοιγὸν Ἀχαιοῖς. Seneca de Vita Beata 8. *Incorruptus vir sit externis, et insuperabilis, miratorquo tantum sui: fidens animi atque in utrumque paratus, artifex vitae.* Ubi *utrumque* sunt vel *res secundae*, vel *adversae:* bono animo exciperet, quidquid eveniret. Lipsius minus recte *mori aut vivere*. Livius I. 1. *animum vel bello vel paci paratum.* Hine illa in ducum orationibus apud historicos: *scitote vobis vel vincendum vel moriendum.* Idem recte efferas: *scitote vobis vel victoriam reportandam, vel mortem oppetendam.* Ineptum esset, *vel victoriam tentandam vel mortem oppetendam.* Catull. in Epithal. 101. *Cum saevum cupiens contra contendere monstrum, Aut mortem oppeteret Theseus aut praemia laudis.* Sed ante omnia memorabilis est oratio ipsius Sinonis apud Q. Smyrnaeum, qui sequi in talibus solet antiquos poetas, eosdem, quibus Virgilius in hac parte Aeneidis utitur. Smyrnaeus igitur XII. 246. τὸ γάρ νύ μοι εὔαδε θυμῷ Ἢ θανέειν δηΐοισιν ὑπ' ἀνδράσιν, ἢ ὑπαλύξαι Ἀργείοις μέγα κῦδος ἐελδομένοισι φέροντα. Atque hoc ipsum erat, credo, quod Virgilius de Sinone dixerat, paratum esse *vel dolo vincere vel mori.* Idque nanciscemur, VERSARE mutantes in SVPERARE et DOLOS in DOLO. Optimas semper eas coniecturas habui, quae ex levi literarum transpositione nascuntur. Incredibile dictu est, quantopere codices Virgiliani ista librariorum negligentia fuerint corrupti. Hinc monstra interdum lectionum orta sunt, quorum causam Burmannus et alii saepe non intellexere, quia scilicet non cogitabant, rectum literarum ordinem vel ab audientibus vel a scribentibus frequenter fuisse neglectum. Plura de hoc corruptelarum fonte postea dicam. Recte iam et praeclare se habent: Sinon in utrumque paratus, *seu superare dolo, seu certae occumbere morti. Dolo* in plurimis MSS. invenitur. Ex *dolo* ortum est *dolos*, repetita prima sequentis vocabuli litera. Sinon autem dolo vincere vo-

Circumfusa ruit, certantque illudere capto.
Accipe nunc Danaum insidias, et crimine ab uno
Disce omnes.

lebat, dolo consilium perficere, ut viam Graecis in urbem Troiae aperiret. Quare Aeneid. II. 329. *victor incendia miscet*, voto uempe potitus. Formulam *in utrumque paratus*, adhibuit Valer. Flaccus VI. 756. *in quodcunque paratae Thyades.* Mutavit Gratius Cyneg. 158. *in utroque paratus.*

Certantque illudere capto. Hegesippus de Excid. Hieros. III. 18. *alii certabant capto illudere.*

Crimine ab uno disce omnes. Servius: »hoc est *causa*, ut X. 188. *Crimen amor vestrum.* Ab eo, quod praecedit, id quod sequitur. Si enim simpliciter intellexeris *crimine*, de uegotio ad personam vitiosum transitum facis. Alii sic legunt: *Danaum insidias et crimen.*" De significatione vocabuli *crimen* eadem leguntur iu Scholio ad Lucan. IX. 425. Fuere igitur iam olim, qui *crimine ab uno* ita acciperent, quasi esset *ab uno criminis auctore*, putantes alioquin male sequi *disce omnes.* An alii propterea mutaverint *crimen*, ignoro. Sed etiamsi scribas: *accipe nunc Danaum insidias et crimen: ab uno Disce omnes*; vix aliter haec legere poteris, quin tacite addas *ab uno crimine.* Paullo quidem melius esset *insidias et crimina.* Neque hoc tameu huiusmodi est, ut poetam elegantem in eo agnoscas. Sana ratio et Latinitas postulant: *et crimine ab uno Disce omnia.* Atque hoc esse ipsius Virgilii iudico. Ex hoc *uno crimine*, quod omninm unquam ab ullo populo commissorum est maximum, facile alia Graecorum scelera iudicabis. Crimen uou est solius Sinonis, sed Danaum, quorum insidias narraturus est. Omnes ductores Danaum, inprimis equo inclusi principes, omnes Danai, eodem crimine teuebautur, quod, quum Troiam aperta vi capere non possent, religionem meutiti, (quod pio Aeneae inprimis displicebat), tam crudeli fraude usi sunt. Tale est illud Isaei, iam laudatum ab Ursino: "*Ἓν δὲ μόνον ἀκούσαντες τῶν τούτῳ πεπραγμένων, ῥαδίως καὶ τὴν ἄλλην αὐτοῦ πονηρίαν γνώσεσθε.* Cicero in Pisonem, 35. *Cognoscis ex particula parva scelerum et crudelitatis tuae genus universum.* Castigati scriptores probe discernunt *ex uno crimine omnia*, et *ex uno homine omnes*, ut Graeci *ἐξ ἑνὸς πράγματος πάντα*, et *ἐξ ἑνὸς ἀνθρώπου πάντας.* Proverbium, quod legitur apud Suidam, *ἐξ ἑνὸς τὰ πάνθ' ὁρᾷ* non est, *ex uno homine omnia*, sed *ex una re omnes.* Et tale iudicium universe tam iniquum est, quam si *ex uno homine omnes* metiare. *Omnia* ut disyllabum non est cur post interpretes ad Aeneid.

Namque, ut conspectu in medio turbatus, inermis,
Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
Heu, quae nunc tellus, inquit, quae me aequora possunt
Accipere? aut quid iam misero mihi denique restat?
Cui neque apud Danaos usquam locus, et super ipsi
Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt.
Quo gemitu conversi animi, compressus et omnis
Impetus. Hortamur fari, quo sanguine cretus,
Quidve ferat; *memoret, quae sit fiducia capto.*

I. 2., explicem. Illud Virgilio obstare non potuit, quominus versum aliquando suppleret.

Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit. Ovid. VI. Metam. 169. *Constitit, utque oculos circumtulit alta superbos.*

Heu, quae nunc tellus. Quintil. IX. 2. vidit *quae me tellus.* Cuningh. praetulit. Et ego aptius ad misericordiam puto, praesertim quum sequatur *quid iam misero mihi denique restat. Iam* et *nunc* eadem sunt. Comparandus hic est Valer. Flaccus III. 304. *quae me hospita tellus accipiet?*

Poenas cum sanguine poscunt. Melius fortasse legeretur *poscant.* Quid restat, cum nec mihi locus apud Danaos sit, et Troiani praeterea vitam poscant.

Quo gemitu conversi animi. Silius X, 623. *His dictis sedere minae, et conversa repente pectora.*

Memoret, quae sit fiducia capto. Variae sunt veterum interpretationes. Servius: »Dicat, quae tanta sit in captivo fiducia, ut audeat dicere *et super ipsi:* aut *memoret* pro *meminerit* in captivo veriloquium esse vitae fiduciam. Alii *memorem* legunt, memor sit, quid in captivo victori liceat: vel, *quidve ferat memoret*, id est, quid afferat, dicat." Vides, quam obscurum sit, in quo explicando illi tantopere laboraverint. Heynius: *num habeat, quod ad veniam impetrandam afferre possit.* Ingeniose quidem. Sed esset inanis repetitio antecedentis *quidve ferat.* Neque, ubi iam praecessit *hortamur fari quid ferat*, pulchre sequitur *memoret.* Melius procederent: *fari, quo sanguine cretus sit, quid ferat, quae sit fiducia capto. Memoret* nulli bono est, nisi ad versum supplendum. Neque Troiani recte interrogant Sinonem, qua fiducia ad ipsos venisset. Sinon iam dixerat, nusquam sibi apud Danaos esse locum, ibi se manere non potuisse, quamquam sciret apud Troianos etiam esse moriendum, et omnes Graecos uno ordine ab iis haberi. Hoc qui dicit,

Ille haec, deposita tandem formidine, fatur:
Cuncta equidem tibi, Rex, fuerit quodcunque, fatebor
Vera, inquit: neque me Argolica de gente negabo:
Hoc primum; nec, si miserum Fortuna Sinonem

nulla cum fiducia venit. Credo haec esse spuria, ab aliis aliter suppleta: *Quidve ferat, memoret: Quidve ferat; memoret, quae sit: memorem quae sit fiducia capto*, et *quae sit fiducia capto*. Nam tot variae lectiones hic inveniuntur. Suspicio augetur, si cogitemus et versum sequentem, *Ille haec deposita tandem formidine fatur*, esse non genuinum, repetitum ab aliquo ex III. Aen. 612. ubi plane idem legitur. Et facillimum erat Virgilium ex centonibus Virgilianis supplere. Iste versus in nostro loco abest a plurimis MSS. neque Servius vidit. N. Heinsius satis dixit, ut eum non esse Virgilii probaret, neque Heynius versum defendens Wagnero plane persuadere potuit, viro saepe ad timiditatem usque in tali causa modesto. Ab impudentia totus abhorreo. Sed oportet, credo, nos in tanta interpolatorum fraude circumspectos esse et severos. Fieri potest, ut interdum condemnemus innoxios. Sed his sui patroni non deerunt; nam et versus, quos nunquam a quoquam defendi potuisse arbitrabar, non modo suspicione omni fuere liberati, verum etiam, ut elegantes, commendati.

Hoc primum. Servius: » *hoc maximum est*, vel principale apud me, verum dicere: vel *hoc primum fatebor.*" Dicitur Latine *hoc primum est* pro praecipuum est: sed ita fere sequitur *secundum*. Cicero Epist. ad Diversos VI. 7. *Primum erat, non attingere; secundum, beneficium quam parcissime facere*. Ovid. Metam IX. 617. *Nam primum, si facta mihi revocare liceret, Non coepisse fuit: coepta expugnare secundum est.* Ausonius ed. Tollii pag. 265. *Nam primum est meruisse tuum, Pacate, favorem: Proxima defensi cura pudoris erit.* Seneca Hippol. 140. *obstare primum est velle, nec labi via: Pudor est secundus, nosse peccandi modum.* Ubi muta distinctionem: *obstare primum est, velle nec labi via.* Livius XXII. 29. a re ad hominem transtulit: *Saepe ego audivi, eum primum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem sit, secundum eum, qui bene monenti obediat.* Neque altera explicatio *hoc primum fatebor* mihi satisfacit. Dicendum saltem erat *fassus sum*. Malim: *hoc omnium primum a me esse dicendum arbitrabar: hoc primum a me dictum esto.* Potuissem fingere me non esse Graecum, neque mea sponte ad hoc bellum esse profectum. Sed, fateor, Graecus sum. Pater me huc iam initio belli misit.

Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.
Fando aliquod si forte tuas pervenit ad auris
Belidae nomen Palamedis et incluta fama
Gloria: quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem, infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci; nunc cassum lumine lugent;
Illi me comitem et consanguinitate propinquum
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.

Ab elliptica illa dicendi formula non multum discedit oratorium illud in principio argumentationis: *atque omnium primum.*

Vanum etiam mendacemque improba finget. Macrob. Saturn. VI. 1. sumtum putat ex Attio: *Nam si a me regnum Fortuna atque opes Eripere quivit, at virtutem non quiit.* Haud dissimilis structurae sunt illa Plauti Trinum. III. 2. 63. *Sed, ut inops, infamis ne sim.* Calpurn. Eclog. II. 61. *Rusticus est, fateor, sed non et barbarus Idas.*

Fando aliquod si forte tuas pervenit ad auris Belidae nomen. Heins. ad Ovid. XV. Metam. 494. et *fando* et *aliquod* egregie illustravit. Adde Burm. ad IX. Metam. 8. *Nomine si qua suo tandem pervenit ad aures Deianira tuas:* ubi pro *tandem* vere correxit *fando.* Alia ratione Valer. Flaccus utitur IV. 735. *Echion Dicta ferens: lectos fama est si nominis unquam Haemonii subiisse viros, det litora fessis.* Quem locum sic restitue: *Echion Dicta ferens, lectos (fama est si nominis unquam) Haemoniae subiisse viros, det litora fessis.* Concedat Thessalis, si fando unquam hoc nomen audisset, ut navem in litus subducant. Graeci dicunt εἴ τινα ἀκούεις.

Pauper in arma pater primis huc misit ab annis. Veteres accipiebant vel *a primis annis* adolescentiae vel *belli.* Adolescentiae *primi anni* habent difficultatem, quia Sinon deinde narrat se domi habere *uxorem et dulces natos*, nec, credo, tam bene dicitur, pater me *a primis annis* misit, quam *in primis* adolescentiae seu vitae annis. Burm. *annos* retulit ad initium belli Troiani: quod cur Sinon memoraret, non video. Omnes Graeci ad Troiam profecti sunt primo belli anno. Nihil in eo erat memoratu dignum. Fuisset, si quarto, quinto vel sequentibus annis venisset. Nec memini, excepto Achille, qui non venerint primis annis. Si venerint, non ea fuit multitudo, ut singulare fuerit primis iam annis venisse. Praeterea est commendatio virtutis et constantiae, si quis se diuturnae expeditioni iam statim ab initio

Dum stabat regno incolumis, regumque vigebat

interfuisse praedicet. Callidus Sinon magis dixisset, se a patre missum *extremis annis*. Ita certe Troiani hostem eum habuissent minus diuturnum. Lectionem vulgatam esse puto corruptam. In MSS. invenimus pro *ab annis* etiam *in annis* vel *ab armis*. Verum iudico: *Pauper in arva pater primis haec misit in armis*. Pater me *ad haec arva* misit, eramque tunc *in primis armis*, prima haec erat mea militia. Recte dixit *haec arva*, nam stabat extra muros Troiae, ubi Graeci castra habuerant. Et omnino *haec arva* pro *in hanc regionem* usitatum iam satis est, ab ipso Virgilio. Commemoratio autem primi vitae militaris anni propria est et solita iis, qui res suas ita exponunt. Hinc poetae frequentes de prima militia, tamquam re memoratu digna, loquuntur, et sic loquuntur, ut Virgilium hoc loco scripsisse coniecimus. Ovid. VIII. Metam. 313. *primis etiamnum Nestor in armis*. Art. Am. 181. *Primisque ducem profitetur in armis*. Silius V. 580. *Herminium primis obtruncat in armis*. Conf. Heins. ad Ovidii l. l.

Dum stabat regno incolumis, regumque vigebat conciliis. Non dubium est, quid Virgilius velit, nempe: dum Palamedes stabat incolumis, nondum ab Ulysse labefactatus, et auctoritate in conciliis regum florebat. Suffecisset *dum stabat*: ornatius iam est *dum stabat incolumis*: huic poeta etiam aliud addendum putavit: *regno* hic addere non potuit. Nam pater Palamedis, Nauplius, erat rex Euboeae, et vivebat. Filii regum *reges* quidem appellabantur, sed regnum non habebant. Neque apud Troiam de regno Agamemnonis aliorumque ducum sermo est, sed *imperio*. *Regnum* est domi. Scio Heynium interpretari *regiam dignitatem*. At hoc neque semper Latinum est, neque sententiae huius loci idoneum. Nam Palamedes plus amisit, quam regiam dignitatem, vitam. Graeci eum *demisere neci*. Adde, quod opera Palamedis in hoc bello unice spectata fuit in consiliis et sapientia, non virtute aut rebus gestis. Homerus Iliad. II. 536. ducem copiarum ex Euboea nominat Elephenorem. De Palamede tacet. Post Homerum quoque imaginem illius magis ut sapientis, quam bellicosi finxerunt. Vide Heynium in Excursu. Heynio versus videtur obscurior, et Schraderum, acutum iudicem, in eo explicando haesisse dicit. Pro REGNO restituendum arbitror RERVM. *Dum stabat rerum incolumis, regumque vigebat Conciliis*. Illud *rerum* et ornat et auget orationem. Stat aliquis *re incolumi* Latinum est: Latinum et poeticum *incolumis rerum*. Usus iste genitivorum cum adiectivis innctorum centies iam illustratus est, etiam ab interpretibus Virgilii. Praeterea in *rerum regumque* elegantia quaedam cernitur. Graeci vocant πά-

Conciliis: et nos aliquod nomenque decusque
Gessimus. Invidia postquam pellacis Ulixi
(Haud ignota loquor) superis concessit ab oris:
Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et casum insontis mecum indignabar amici.
Nec tacui demens; et me, fors si qua tulisset,
Si patrios unquam remeassem victor ad Argos,
Promisi ultorem; et verbis odia aspera movi.
Hinc mihi prima mali labes; hinc semper Ulixes

ρισον, quando verbum verbo simile aut non dissimile valde quaeritur, ut explicat Quintil. Institut. IX. 3. utens exemplo Virgilii *puppesque pubesque*. *Rerum* autem facila in *regno* mutari potuit, quia sequebatur *regumque*, in aliis *regnumque*. Caeterum recte editum est *vigebat conciliis regum* hoc est *in conciliis* regum ipse sua multum auctoritate valebat. Nota est verbi significatio, et illustrata a Burm. ad Valer. Flacci I. 789. Addo tantum verba Senecae Epist. 31. Virgilianis simillima: *quicunque membra ac partes alienae potentiae fuerunt, horum gratia viguit, dum ipsi steterunt. Vigere consiliis regum*, longe aliud est, nempe, *ipse multum valebat*, quia reges talia capiebant consilia, quae hanc vim habebant, ut multum valere posset. Claudian. Bell. Gild. 46. *Armato quondam populo patriisque vigebam Consiliis*. Ubi legendum est: *patrumque vigebam consiliis*. Roma loquitur, dicitque se potentem esse factam virtute populi et sapientia senatus.

Si patrios unquam remeassem victor ad Argos. Heynius Virgilium scripsisse mallet *agros*, ut erat in quibusdam MSS. cum de homine privato agatur, non de Diomede, cui tale quid convenientius esset. Mitto hoc argumentum, neque a Wagnero probatum. Et *victor* significare potest *unus ex victoribus*, inter victores, pars una victorum. Aliud est, cur putem *Argos* reiiciendum. Sinon erat consanguineus, ut fingit, Palamedis. Pater eum Palamedi comitem ad bellum miserat. Palamedes habitabat in Euboea. Ergo, ut videtur, et Sinon. Propterea *Argos* patriam suam appellare non potest. *Remeare* de victoribus saepe ponitur. Vide Burmannum ad Valer. Flacci IV. 589.

Hinc mihi prima mali labes. Huic lectioni, si requiritur, etiam auctoritas accedit a Scholiasta Iuvenalis ad Satyr. I. 168. *inde irae et lacrymae*. Alterius *adscita labes* nulla esse potest ratio. Originem bene perspexit Heynius.

Criminibus terrere novis; hinc spargere voces
In volgum ambiguas, *et quaerere conscius arma.*
Nec requievit enim, donec Calchante ministro —
Sed quid ego haec autem nequidquam ingrata revolvo?

Spargere voces in volgum ambiguas. Wyttenbachius comparabat Sophoclea Aiace 148. τοιούσδε λόγους ψιθυροὺς πλάσσων Εἰς ὦτα φέρει πᾶσιν Ὀδυσσεύς.

Et quaerere conscius arma. Supplementum versus imperfecti, quod sua se obscuritate ipsum prodit. Virgilius exspectavit, quoad aliquid in mentem veniret. Sententia post *ambiguas* erat absoluta, eoque difficilius versum ita perficere, ut artes Ulyssis etiam clarius apparerent. Ulysses me semper novis criminibus terrebat, vocesque in vulgum ambiguas spargebat. Quid addes? Omne, quod dici potuit, iam fere dictum est in *semper novis criminibus. Conscius* varie et veteres et recentiores interpretes accepere pro *conscius peracti sceleris*, *conscius dolorum*, vel *sciens animum meum*, vel *conscius periculi imminentis*, vel *tacite intra se*, vel *communicato cum aliis consilio*, vel pro *conscios. Arma*, pro *opibus* vel *auxilio*, vel *consilio*, vel *occasione*, vel *conscius arma* pro *arma conscientia*, vel *insidiis. Arma* pro *consiliis* poni, satis constat: sed etiam constat, nunquam ita poni, ut dubites *armane animi* an *corporis* sint posita. Hic per Latinitatem non aliter accipere licet, quam de *armis* proprie ita dictis. Quaerebat contra me *manum armatam;* qua sane non opus erat contra Sinonem, occiso iam Palamede. Numquam haec esse Virgilii credam. Post versum sequentem in Cod. Graev. et alio legebatur: *Hostia tum miser ac sacras reputatus ad aras.* Si *quaerere conscius arma* paulo magis ad hanc ineptiam accessisset, nemo non spurium agnosceret.

Sed quid ego haec autem nequidquam ingrata revolvo? Wagnerus, quia *sed autem* hic semel apud Virgilium legitur, fore credit, qui legere velint *animo:* ut apud Ennium: *Sed quid ego haec animo lamentor?* Nihil tamen mutat, et *autem* arbitratur idem esse atque *tandem*, in interrogatione. Servius, more Grammaticorum istius ingenii, *abundare* dicit. Si Virgilius scripserit *sed autem*, oportet esse antiquae consuetudinis, cuius tamen exemplum aliquod vel in fragmentis Ennii aliorumque, vel in Planto, Lucretio, Catullo inveniremus. Inveni nusquam. Contra Ennius, iterum dicit: *sed quid ego haec memoro?* et Catullus Epithal. 164. *Sed quid ego ignaris nequidquam conqueror auris?* Neque ullum poetarum, qui tam studiose Virgilianum aliquid sequebantur, *sed autem* secutum esse vidi, cum tamen frequentissime ea aposio-

Quidve moror, si omnis uno ordine habetis Achivos,
Idque audire sat est? Iamdudum sumite poenas;
Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae.
Tum vero ardemus scitari et quaerere caussas,

pesi ntantur. Ovid. XV. Heroid. 207. *Sed quid ego haec? precibus pectusne agroste movetur?* Ubi Heinsius multa alia attulit, imprimis ex Statio. Adde Silium VI. 110. *Sed quid ego haec? gravior quanto vis ecce malorum?* Atque ita scriptores in oratione prosa. Liv. XXXVIII. 48. *Sed quid ego haec ita argumentor?* Conf. Oudend. ad Appul. II. Metam. p. 106. Silius VI. 283. *enim* addidit: *Illo ego — sed vano quid enim te demoror, aeger Lentule, conquestu?* Quod longe aliud est quam *autem*. Bentleius quidem Terentii Andriae V. 3, 15. *Sed quid ego? cur me excrucio, cur me macero?* sic refingit: *Sed quid ego me autem excrucio.* Sed hoc est versum integrum corrumpere ex loco fortasse et ipso corrupto: neque vir magnus eo sic utens, de veritate lectionis Virgilianae cogitavit. Unus, qui in Virgilio se legisse ostendat *sed autem*, est Prudentius in Apotheosi contra Unionitas, vs. 741. *Sed quid ego haec autem titubanti voce retexo?* Sed haec unica auctoritas non tanti apud me est, quanti omnium aliorum a simili formula scribendi abstinentia. Quapropter pro AVTEM conieci AVT CVR. *Sed quid ego haec? aut cur nequidquam ingrata revolvo?* Contra hoc nihil disputari potest, contra alterum, ut ostendi, multa. Recte sequuntur: *quid ego haec: cur revolvo: quid moror.*

Idque audire sat est. Magnus iterum in explicando dissensus: *me id, Graecum, audire, Graecum vocari: satis est vos illud audire, me esse Graecum: si ad cognoscenda principum Achivorum ingenia satis est hanc unam rem audire.* Alii distinxere: *idque audire sat est iamdudum.* Virgilius tam obscure non scripsit. Melius esset: *Quidve moror? Si omnes uno ordine habetis Achivos, Hoc me audire sat est.* Quodsi, ut audio, omnes Graecos sine ullo discrimine odio capitali persequimini et interficitis, mihi satis est hoc audire et scire: parendum est silentio, nihil amplius est, quod dicam: sat scio. Frustra enim veniam precabor. Ergo quam celerrime vitam mihi adimite. Simile est illud III. 601. *Tollite me, Teucri, quascunque abducite terras; Hoc sat erit.*

Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae. In quibusdam *hoc magno mercentur.* Elegantius puto. Et sic Ovid. Heroid. IX. 7. *Hoc velit Eurystheus, velit hoc germana Tonantis.* Idem II. Fast. 694. *Occidite, dixit, inermem. Hoc cupiant fratres Tarquiniusque pater.*

Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgae.
Prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur.
Saepe fugam Danai Troia cupiere relicta
Moliri, et longo fessi discedere bello.
Fecissentque utinam! saepe illos aspera ponti
Interclusit hiems, et terruit Auster euntis.
Praecipue, quum iam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto sonuerunt aethere nimbi.
Suspensi Eurypylum scitantem oracula Phoebi
Mittimus; isque adytis haec tristia dicta reportat:
Sanguine placastis ventos et virgine caesa,
Quum primum Iliacas Danai venistis ad oras:
Sanguine quaerendi reditus, animaque litandum

Eurypylum scitantem oracula Phoebi mittimus. Scitantem Wagnerus edidit, quod secutus sum, quia textum ab eo constitutum sequor, qui omnium est praestantissimus. *Scitantem* vero non probandum arbitror. Melius, quod in Mediceo, *scitatum*, etiam, quod in alio, *scitari*. Latinum est, *mittimus Eurypylum scitatum*, *mittimus Eurypylum scitantes: misimus Eurypylum scitantem*. In *misimus*, Eurypylus intelligitur in loco destinato praesens esse et *scitans*. Wagnerus Quaest. Virgil. XXIX. pag. 513. putat ita accipi posse, quasi dictum sit, *mittimus Eurypulum*, *isque scitatur*, plane ut apud Xenophontem *κήρυκα ἔπεμψε πρὸς αὐτὸν λέγοντα*. Sed etiam ibi vides praeteritum. Sophocleum *πέμπει μέ σοι φέροντα τάσδ' ἐπιστολάς* aliud est. Ibi loquitur nuntius, et *φέροντα ἐπιστολάς* est *cum literis*. Catulli *gradiatur trans Alpes, visens monumenta Caesaris* — non est *ad Alpes proficiscetur*, sed *in ipsis Alpibus ambulabit et visit*. Contra me est exemplum Iustini XXXI. 7. a Burm. ad Phaedri I. 2, 22. allatum: *Legatos pacem petentes ad eos Antiochus mittit, peculiare donum Africano ferentes ipsius filium.* Sed *mittit* et *misit* centies in MSS. permutantur: ac fortasse scribendum *pacem petens*. Vel ex eo coniiceres, quod inter *petentes ferentes* copula deest. Ut ut est, movi quaestionem. Libens eam videbo diiudicatam, etiam si erravisse convincar.

Animaque litandum Argolica. In quibusdam scriptum est *animam Argolicam*. Alterum quasi ex formula sacrorum dicitur, ut *Iovi immolatur tauro*. Vide Bentl. ad Horat. I. Carm.

Argolica. Volgi quae vox ut venit ad auris:
Obstupuere animi, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios; quae sint ea numina divom,

2, 12. Atque ita Graeci. Herodot. I. 50. *θύειν ἱρίῳ*. *Litare* egregie explicavit Grouov. ad Senecae Agam. 577.

Volgi quae vox ut venit ad auris. Silius XII. 338. *vulgique Deus pervenit ad aures. Deus*, vox Dei, oraculum. Dictys Cretensis de Bello Troiano p. 21. *Calchas fatur iram. Nec leniri Dianam, priusquam auctor tanti sceleris filiam vicariam victimam immolasset. Quae vox ut ad exercitum venit.*

Cui fata parent, quem poscat Apollo. Heynius: *cui fata parent id, ut eius anima litetur.* Et haec sententia est in Servianis: *cui responsa praeparent mortem.* Fuere et veteres, qui ita dividerent: *cui fata parent vitam, quem poscat Apollo, ut moriatur.* Heynianum profecto est optimum, nisi durior videretur ellipsis, et *anima litandum* longius remotum. Quod Burm. ex Quintiliani Declam. XVII. ostendit, non est simile: *quaesivit quid tererem, cui pararem.* Res ipsa loquitur esse, *cui pararem id, quod terebam.* Et sic in aliis se habet. Interea simplicissimum erat scribere: *quid fata parent, quem poscat Apollo.* Tremor propter illud, *quod fata parabant*, nempe *mortem* unius e Graecis, et tremor, quis ille esset futurus. Ita Virgil. Aen. V. 13. *Heu, quianam tanti cinxerunt aethera nimbi, Quidve, pater Neptune, paras?* Atque illud Lucanus VI. 783. legisse videtur: *quid fata pararent, Hi fecere palam.* Idem I. 660. *quid tantum Gradive paras?* Valer. Flaccus I. 326. *Sin aliud Fortuna parat.* Silius I. 136. *Magna parant superi.* Claudian. I. in Rufin. 142. *Heu, nescis, quid fata tibi, quid sidera donent, Quid fortuna paret!*

Magno Calchanta tumultu protrahit. Statius Achill. I. 493. *Increpitans magno vatem Calchanta tumultu.* Valer. Flaccus II. 312. *rapitur subito regina tumultu.*

Quae sint ea numina divom flagitat. Burm. *quaenam sint tam crudelia numina.* Merito Heynius repudiat, explicans cum Servio: *ut Calchas oraculi ambiguitatem interpretetur, non quid dicat, nam hoc planum, sed quis debeat immolari.* Equidem primum valde dubito, an Latinus poeta, significaturus quaenam sit oraculi sententia vel voluntas deorum, hoc unquam esset expressurus, *quae sint ea numina deorum.* Deinde nulla omnino erat in oraculo *obscuritas*, nam hoc potius dicendum erat

Flagitat. Et mihi iam multi crudele canebant
Artificis scelus, et taciti ventura videbant.
Bis quinos silet ille dies, tectusque recusat
Prodere voce sua quemquam, aut opponere morti.

quam *ambiguitas.* Oraculum simpliciter dixerat *una anima litandum est.* Hoc omnes intelligebant. Oraculum nomen victimae non addidit. Calchas, vates, illud edere poterat. Atque hoc est, quod flagitat Ulysses. Neque in eo erat aliquid ambigui vel obscuri. Calchas statim dicere potuisset. Fingit se non audere, ut fecit apud Homerum in causa Briseidis: et vates apud Statium Theb. III. 574. *qui superum clausus negat acta fateri, Bisseno premit ora die, populumque ducesque Extrahit incertis.* Ulysses igitur nihil aliud ab Calchante petere poterat, quam ut ostenderet, quem esse immolandum sciret: qualia sunt illa apud Senecam Oedip. 292. *Sacrate Divis, proximum Phoebo caput, Responsa solve; fare, quem poenae petant.* Respondet item Tiresias, linguam esse fatu tardam et moras quaerere. Agamemnon idem petit a Calchante in Troad. 360. *quid iubeat Deus, Effare Calcha, nosque consilio rege.* Quid plura? Pro QVAE SINT EA scribendum credo QVEM SIGNENT. *Quem signent numina Divum flagitat.* Supra dixit poeta, omnes sunt anxii *quem poscat Apollo.* Ulysses statim scire cupit, quem Apollo poscat. Hoc variata forma poeta repetit, *quem signent numina Divum.* *Signare aliquem,* est oculis, digito, nutu, aliove modo ex multis indicare. Virgil. XII. 3. *se signari oculis.* Frequentius usurpatur *designare.* Apposite Cicero I. Catil. 1. *Notat et designat oculis ad caedem unumquemque nostrum.* An Valer. Flaccus IV. 144. locum Virgilii respexerit, ignoro; forma versus saltem est eadem: *Sociis, quae sint ea, promere cogit.* Credibile est, quia etiam praecedit, *quid ferat admirans,* ut Virgilianum in hac historia *quidve ferat.* Sed Virgilius et alio loco, Aeneid. III. 100, hanc habet formam: *cuncti, quae sint ea moenia, quaerunt.*

Mihi iam multi. Servius: »quidam graviter pronuntiandum tradunt *mihi*, hoc est Sinoni." Sic scribendum est pro *et quidem.* Servius saepe utitur *quidam,* de interpretibus.

Artificis scelus. Scholiast. Iuvenal. XV. 16. apposuit, ad illustrandum sui poetae *mendax aretalogus.*

Bis quinos. MS. Bigot. *bis senos.* Memorabile, propter imitationem Statii Theb. III. 475. ubi vates *Bisseno premit ora die.* Erat in numero duodenario quaedam sanctitatis opinio.

Aut opponere morti. Heynius non alienus est a coniectura *atque opponere morti.* Neque video, quomodo alterum ab altero differat. Aliquem

Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Composito rumpit vocem, et me destinat arae.
Assensere omnes; et, quae sibi quisque timebat,
Unius in miseri exitium conversa tulere.
Iamque dies infanda aderat: mihi sacra parari,
Et salsae fruges, et circum tempora vittae.
Eripui, fateor, leto me, et vincula rupi;
Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva
Delitui, dum vela darent, si forte dedissent.

nominare et *morti opponere* omnino idem est. Orosius V. 5. formulam imitatur: *opposuit morti.*

Me destinat arae. Aperta imitatio Valerii Flacci II. 283. *Hoc sortes, hoc corniger imperat Hammon, Virgineam damnare animam, sortitaque Lethen Corpora: crudelis scopulis me destinat urna.* Qui locus duplici corruptela laborat. Nam pro *sortes* scribendum *vates*, pro *Lethen* autem *letum.* *Sortes et Hemmon* est *oraculum et oraculum Hammonis.*

Mihi sacra parari. Ovid. XIII. Metam. 454. *crudelibus aris Admota est, sensitque sibi fera sacra parari.* III. Ponto II. 75. *Dumque parat sacrum, dum velat tempora vittis.*

Vincula rupi. Hostiae humanae ad aram ducebantur ligatae. Constat e multis exemplis. Rei ipsius atrocitas, credo, exigebat. Burmannus ad Ovidii Trist. IV. IV. 73. dubitat an Sinon fuerit ligatus; fingere enim, se elapsum esse ante diem sacrificio destinatum. Malebat igitur cum Servio interpretari *iura sacrata*, quibus Graeci se obstrinxerant, quum contra Troiam coniurarent. Non credo Servium hoc velle, qui dicat *vincula religionis;* hoc est, qua, tamquam victima, sacer iam erat deis. In Servianis est altera interpretatio: *a Graecis erat ligatus ante tempus sacrificii.* Hoc verum puto. Servatus erat nempe in carcere, ne, dum sacra parabantur, effugeret. Effugit. Ipse vocat *effugia.* Neque obstat, quod Priamus mox ei *manicas atque arta levari vincla iubet:* pastores Troiani eum ligaverant. Quamquam se ultro venientibus obtulisset, erat tamen captivus, et Graecus. Servius hoc non vidit. Sinon autem ad aram nondum erat adductus. In tanta hominum multitudine nec vincula rumpere, nec fugere potuisset. Iurat deinde per vittas, quas hostia gesserat. Ita nempe iam in carcere ornatus esse potuit. Licet Sinon omnia mentiatur, Virgilius tamen eum facit vero similia mentientem.

Delitui, dum vela darent, si forte dedissent. Ego diu, antequam Heynium videram, interpunxi: *Delitui, dum*

Nec mihi iam patriam antiquam spes ulla videndi,
Nec dulcis natos exoptatumque parentem:
Quos illi fors et poenas ob nostra reposcent
Effugia, et culpam hanc miserorum morte piabunt.
Quod te per superos et conscia numina veri,

vela, darent si forte, dedissent. Postea me plane in eo confirmavit imitatio Valerii Flacci VII. 272. *spes et via sola salutis Quam dederit, si forte dabit.* Verbum saepe omittitur. Eam consuetudinem primus ex Ciceronis Orat. pro Milone cap. 38, illustravit Muretus. *Hiccine vir, patriae natus, usquam nisi in patria morietur, aut, si forte, pro patria?* Muretus comparavit cum Graeco *εἰ τύχοι*. Proprie tamen verbum ex ipsa sententia rerum est repetendum, *aut pro patria moriotur*, si forte pro ea *morietur*, hoc est, ea tempora incidant, ut moriendum sit. Conf. Wopkens in Observ. Miscell. Vol. IX. pag. 51. et inprimis Wyttenb. ad Moral. Plutarchi Animadv. T. I. pag. 751. qui Graeca *εἴπερ ἄρα*, *εἴ ποτε*, *εἴ που*, copiosissime explicavit, nec Latina omisit. Wagnerus ab Heynio dissentit, eaque interpunctione id effici putat, ut numeros habeamus non satis elegantes. Hoc pendet, credo, a mora, quam in pronuntiando post *vela* facimus. Fac breviorem, neque offendent numeri. Idem Wagnerus contendit apud omnes scriptores coniunctivum plusquamperfecti pro futuro periphrastico poni, itaque *si forte dedissent* esse pro *si forte daturi essent*. Sed exemplorum, quae attulit, alia quaedam est ratio. Nam in omnibus cernitur aliquid obliqui, et plus praeteriti, quam hoc loco. Sinon hic loquitur magis directe et de re fere praesente. Nam heri acciderat. Linguae ipsius natura postulat: *latui donec vela dedissent*, si tamen darent, hoc haberent consilium ut darent. Alterum, *latui donec vela darent*, si tamen hoc consilium habituri fuissent, repugnat facilitati cogitationum perspicue explicandarum. Aeneas narrare poterat: Sinon se latuisse finxit, dum Graeci *vela dedissent*, si forte dedissent. Sinon ipse de se vix aliter loqui potuit, quam eum locutum esse putamus.

Quos illi fors et poenas. Vere Wagnerus: quos illi forsan etiam poscent, tamquam poenas ob mea effugia.

Quod te per superos. Usitata, sed a librariis saepe in faciliorem corrupta formula est: *Quod per te superos.* Virgilium et hic ita scripsisse credo. Res saepe ab interpretibus illustrata, copiose a Cortio ad Sallust. Bell. Iugurth. 14. in fine. Alia quaedam ratio est Aeneid. VI. 363. *Quod te per coeli iucundum lumen et auras, Per genitorem oro.* Ibi minor est in oratione affectus, et *oro* statim

Per, si qua est, quae restet adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides, oro, miserere laborum
Tantorum; miserere animi non digna ferentis.
His lacrimis vitam damus, et miserescimus ultro.
Ipse viro primus manicas atque arta levari
Vincla iubet Priamus, dictisque ita fatur amicis:
Quisquis es, amissos hinc iam obliviscere Graios;
Noster eris, mihique haec edissere vera roganti.
Quo molem hanc immanis equi statuere? quis auctor?
Quidve petunt? quae religio? aut quae machina belli?
Dixerat. Ille, dolis instructus et arte Pelasga,
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:
Vos, aeterni ignes, et non violabile vestrum

sequitur. Hic *oro* non adeo cum *te* iungendum est, sed solum stat. Horatius tamen in Epist. I. VII. 94. *Quod te per Genium, dextramque deosque penates, Obsecro et obtestor.*

Vos, aeterni ignes, et non violabile vestrum Testor numen, ait. Dies erat, neque alius ignis in coelo, ad quod manus sustulerat, praeter Solem conspiciebatur. Ergo nihil testari poterat, nisi solem. Solem Virgilius non *aeternos ignes* vocaret. Si quis ita vellet interpretari, Lunam et sidera, licet non conspiciantur, tamen in coelo esse, is contra perpetuum morem poetarum interpretaretur. Oculis in coelum conversis, testes appellamus ignes quos videmus, interdiu Solem, nocte Lunam et Sidera. Quum Achaemenides III. Aen. 599, *sidera* testatur, erant nonnulla in coelo: nam dies surgebat primo Eoo; tunc Lucifer novissimus exit. Praeterea Sol magis invocabatur testis in solenni foedere rebusque gravioribus et cum aliis numinibus coniunctus, quam sic solus a solo homine in sua ipsius causa. Accipiendum puto, quod erat in MS. Fabricii et divinaverat Marklandus, *non violabile Vestae numen.* Ubi *aeterni ignes* et *numen* sic iunguntur, praecipue in re ipsorum Troianorum, necessario de Vesta cogitandum est. Sinon hoc dixit, manibus ad coelum sublatis. Virgilius non addidit *conversus ad arcem* Troiae, in qua ignis et Vesta servabantur. Neque requirebatur. Alloquitur et *aras.* Neque ibi poeta addidit *tum ad aras conversus.* Haec vel tacite a legentibus intelliguntur, vel Sinon ipse, quod oratores saepe faciunt, et *arcem et aras* mente ac cogitatione videt. Invocatio Vestae plane

Testor numen, ait; vos arae, ensesque nefandi,
Quos fugi, vittaeque deum, quas hostia gessi:
Fas mihi Graiorum sacrata resolvere iura,
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt; teneor patriae nec legibus ullis.
Tu modo promissis maneas, servataque serves
Troia fidem, si vera feram, si magna rependam.
Omnis spes Danaum et coepti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit. Impius ex quo
Tydides sed enim, scelerumque inventor Ulixes,
Fatale aggressi sacrato avellere templo
Palladium, caesis summae custodibus arcis,

hic est opportuna. Priamus dixerat: *noster es;* obliviscere Graios; Troianus es. Ad haec ille: si iam Troianus sum, inimicus sum Graecis, neque impedior, quominus secreta eorum prodam. Et hoc de me meriti sunt. Sciunt aeterni illi ignes et Vesta Troiana, et arae et enses. Pro VESTRVM aliquando conieceram TESTOR, et TROIAE pro altero TESTOR. Virgilio certe non indignum esset: *Vos, aeterni ignes, et non violabile testor Troiae numen, ait.* Vesta erat sanctissimum Troianorum numen. Bene opponeretur *Graiis*, quorum iura mox memorat. *Ignes aeterni* a Statio I. 1. vocatur *ignis Troius.*

Fas mihi Graiorum sacrata resolvere iura. Fas mihi est omnia sub auras ferre. Servius minus recte interpretatur *fas sit.* Vestam et enses nefandos non precatur ut *fas sit*, sed testatur *fas esse.* Omissum in *fas mihi* verbum saepe interpretes dubios fecit. Dixi aliquid ad Horat. Carm. II. 19. Adde Lucan. X. 194. *Fas mihi magnorum, Caesar, secreta parentum Prodere, ad hoc aevi populis ignota profanis.* Ubi accipiendum *fas est*, quia et sequitur *gratum reor coelicolis*, ut in Virgilio *teneor nec legibus.* De loco illo Lucani, haud scio an Coutierius, qui *secreta iura* defendit, eo usus sit. Sed *sacrata* non mutandum est. *Arcana* statim sequuntur.

Servataque serves Troia fidem. Dicti acumen placuit Senecae Epist. 92. *in quolibet rerum habitu servata servat.*

Sed enim. Servius hysteronproteron observat. Utuntur tamen et alii: vide Burm. ad Ovid. III. Amor. II. 73.

Palladium. Servius: »quamquam alii dicant simulacrum hoc a Troianis fuisse absconditum intra exstructum parietem:" Hemsterh. legebat: *absconditum intra et structum*, addens ea illustrari a Valesio ad Harpocrat. p. 106.

Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi divae contingere vittas:
Ex illo fluere ac retro sublapsa referri
Spes Danaum, fractae vires, aversa deae mens.
Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum castris simulacrum: arsere coruscae
Luminibus flammae arrectis, salsusque per artus
Sudor iit; terque ipsa solo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamque ferens hastamque trementem.

Ex illo fluere ac retro sublapsa referri Spes Danaum. Bene retinuerunt *fluere.* Scriptor, suae linguae intelligens, non dixisset *ruere et retro sublapsa referri.* Res, in alto et solido stans, retro *labitur et ruit*, non contra. Vide vel Livium in Praefatione illa, sincerae Latinitatis specimine illustri: *labante paulatim disciplina, velut desidentes primo mores sequatur animo: deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire coeperint praecipites.* Et sic scribendum I. Georg. 200. *omnia fatis In peius fluere ac retro sublapsa referri.* Ita et volebat Wakefieldus. Metaphora est eadem. Spes olim certo innixa fundamento stabat. Nunc labare ac fluere coepit, mox retro sublapsa referri. Adde Ruhnken. ad Velleium Paterc. II. 16. *fluentem procumbentemque rempublicam restitueretis.*

Salsusque per artus Sudor iit. Probo Grammatico *salsus* displicebat, et supervacue positum videbatur. Servius defendit; esse indicium commoti numinis, ne forte in simulacro alter quilibet humor intelligeretur. Ex ea interpretatione Servium vidisse puto *salsus humor.* Atque hoc ideo melius esset, quia tum *salsus* necessario requiritur, et *salsus humor* poeticam periphrasin refert pulcherrimam, pro simplici *sudore.* Addit Servius: »hoc autem *Ennius de Lamis* dixit." Pro *Lamis* Heynius vere corrigit *lacrymis.* Sed quid Ennius de *lacrymis* dixit? Praecedit in Servio *salsus sudor.* Et hoc probat cum legisse *salsus humor.* Non enim operae pretium erat annotasse Ennium hoc epitheto esse usum, sed *humorem salsum* adhibuisse de *lacrymis*, ut Virgilium de *sudore.* Iam Ursinus laudavit versum Attii: *Salsis cruorem guttis lacrymarum lavit:* et Lucretii, *lacrymis salsis humectant ora genasque.* Pro *salsis guttis* Ennius dicere potuit *salsum humorem.*

Parmamque ferens hastamque trementem. Heynius dicit aliquem hic fortasse exspectasse *parmam vibrans*, aut simile quid paulo fortius. Fateor,

Extemplo tentanda fuga canit aequora Calchas;
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis,
Omina ni repetant Argis, numenque reducant,
Quod pelago et curvis secum avexere carinis.
Et nunc, quod patrias vento petiere Mycenas,
Arma deosque parant comites, pelagoque remenso
Improvisi aderunt. Ita digerit omina Calchas.
Hanc pro Palladio, moniti, pro numine laeso
Effigiem statuere, nefas quae triste piaret.

exspectaveram, praecipue, quia Sinon omnia in maius extollit. Narrat non dubia monstra, et, dictu mirabile, oculos deae arsisse, salsum humorem per artus fluxisse, ipsam ter solo emicuisse — hic frigide sequitur *ferens parmam et hastam* trementem. Pro PARMAMQVE FERENS mallem PARMAM QVATIENS. In vulgatis etiam displicet copula duplex *et parmam et hastam*, cuius rei nullam causam perspicio.

Quod pelago et curvis secum avexere carinis. Heynius annotavit: »pelago *et curvis carinis*, ornate satis, sed forte secundis curis a Virgilio delendum." Virgilius, credo, statim sentire debuit, talem versum esse indignum, qui in scidulam reciperetur. Pro CVRVIS *secum avexere* CARINIS scribe: *Quod pelago* TVRPI *secum ovexere* RAPINA: *ot* ortum est ex prima litera in *turpi*, litera *s* repetitum ex *secum*, syllabae *a* et *is* centies, vel in Cod. Mediceo, permutantur. Quod Palladium sacrato templo avellere ausi sunt, hoc pulchre *turpem rapinam* appellari, nemo negabit.

Et nunc, quod patrias vento petiere Mycenas, Arma deosque parant comites. Omnino distinguendum indico: *Et nunc quod patrias* sq.: et, quod ad illud attinet, quod nunc Mycenas petiere, huius rei non alia est causa, quam ut omina repetant. In vulgata distinctione vera vis huius dicendi formulae minus cernitur, quae talis est, ut altera pars sententiae nullo verborum vinculo cum superiore coniungatur. Phaedrus II. fab. IV. *Nam fodere terram quod vides quotidie Aprum insidiosum, quercum vult evertere.* Eadem ratione peccatur in Petronio cap. 104. *Encolpion, quod quaeris, scito a me in navem tuam esse perductum.* Legendum enim: *Encolpion quod quaeris, scito a me* sq. Vide Gronov. ad Livii XLII. 26. ubi tamen vir magnus *quod* non recte interpretatur *quoniam*.

Digerit omina. Ovid. XII. Metam. 21. ubi Calchas *novem volucres in belli digerit annos.* Vide Burmannum.

Nefas quae tristi piaret. Ambrosius Epist. I. 18 *fames, quae triste piaret nefas.*

Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis, coeloque educere, iussit,
Ne recipi portis, aut duci in moenia possit;
Neu populum antiqua sub religione tueri.
Nam, si vestra manus violasset dona Minervae,
Tum magnum exitium (quod di prius omen in ipsum
Convertant!) Priami imperio Phrygibusque futurum;
Sin manibus vestris vestram adscendisset in urbem:
Ultro Asiam magno Pelopea ad moenia bello
Venturam, et nostros ea fata manere nepotes.
Talibus insidiis periurique arte Sinonis
Credita res, captique dolis lacrimisque coactis,
Quos neque Tydides, nec Larissaeus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinae.
Hic aliud maius miseris multoque tremendum
Obiicitur magis, atque improvida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,

Hanc tamen. Non pulchre *hanc* statim post *hanc pro Palladio effigiem* repetitur. Virgilius hoc variis modis evitare potuisset; v. c. *Interea pro Palladio, pro numine laeso:* vel *Sed pro Palladio.*

Quos neque Tydides. In his quoque sobrietatem Virgilii admiror. Comparandus est Horatius Epod. XVI. ubi nonnulla annotavimus. Adde Ovidii Heroid. IX. 25. *Quem non mille ferae, quem non Stheneleius hostis, Non potuit Iuno vincere, vicit amor.* Pulchre, quamquam rhetorice, Seneca Agam. 621. *Perdidit in malis extremum decus, Fortiter vinci. Restitit annis Troia bis quinis, Unius noctis peritura furto.*

Maius miseris multoque. Servius annotavit apud veteres non vitiosum fuisse a similibus literis incipere. Dicam potius, hanc saepe fuisse Ennii aliorumque simplicitatem, quam Virgilius, ut carmini gratiam antiquitatis conciliaret, hic illic imitatur, sed nunquam temere. Sonus hic auget moerorem, qui est in litera mugiente *m.* Conf. Burmannus ad Valerii Flacci VII. 484. *An me mox merita morituram patris ab ira Dissimulas?* Idem Valerius II. 209, totum Virgilii versum imitatur: *Hic aliud Venus et multo magis ipsa tremendum Orsa nefas.* Legerat adeo in Virgilio *hic aliud*, non *huc.*

Sollemnis taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrecta iubaeque
Sanguineae superant undas; pars cetera pontum
Pone legit, sinuatque immensa volumine terga.
Fit sonitus, spumante salo. Iamque arva tenebant,

Iubaeque sanguineae superant undas; para caetera pontum Pone legit, sinuatque immensa volumine terga. Nemo, Latine sciens, dubitabit, quin, pectora et iubae inter fluctus arrecta *superant*, multo elegantius dictum sit, quam *superant undas.* Quamquam Virgilius alibi *fluctus et undas* coniungat, hic tamen versus explendi causa adiectum esse videtur. *Superare* est *eminere*, et absolute ponitur, ut mox *superant capita et cervicibus altis.* Nec vero pulchre repetitur in eadem re *immensa:* iam supra dixerat *immensis orbibus angues.* Solet ea variare, ut mox *spirisque ligant ingentibus.* Postremo, *sinuat terga volumina*, tenuius est, quam pro rei horrore. Illud *volumine*, sic solum, nullam habet vim. Requirebatur vel *volumina*, vel *immenso volumine*, vel aliud simile. Ipse Georg. III. 192. *sinuatque alterna volumina crurum.* Ibi potuisset *alterna volumine crura.* Vidit, ni fallor, non esse satis poeticum, nisi scripsisset *alterno volumine.* Facile est totum locum reddere ingenio principis poetae magis convenientem, si pro VNDAS scribimus VNDANS, et IN MILLE pro IMMENSA, pro *volumine* denique *volumina: iubaeque sanguineae superant; undans para caetera pontum Pone legit, sinuatque in mille volumina terga. Undare* significat *moveri instar undarum*, facere motum undantem; usurpaturque de incessu, vestitu, crinibus, aliisque rebus. V. Burm. ad Valerii Flacci III. 525. V. 304. et Oudendorp. ad Appul. Mutam. p. 105. Graecos ita *κυμαίνω* uti, satis constat. *Sinuat terga*, est ulterior *motus undantis* explicatio: undae etiam *sinuantur. Pectora et iubae* non undabant, sed stabant *arrecta.* Haec caeterum corpus post se trahunt, ipsa superant, altius inter fluctus eminent quam terga, quamquam et terga conspiciebantur super fluctus. Ex vulgata lectione *superant undas*, quia statim sequitur *para caetera*, fere conficeres, partem caeteram undas non superavisse. Iam nonnulla poetarum loca apponam, ex quorum comparatione lectores intelligent, utrum Virgilianae rationi magis conveniat, quod vulgatur, an quod nos conii-

Ardentisque oculos suffecti sanguine et igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
Diffugimus visu exsangues. Illi agmine certo
Laocoonta petunt. Et primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Implicat, et miseros morsu depascitur artus;
Post ipsum, auxilio subeuntem ac tela ferentem,
Corripiunt, spirisque ligant ingentibus; et iam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, superant capite et cervicibus altis.

ciendo tentavimus. Virgil. III. Georg. 425. *Cum medii nexus extremaeque agmina caudae Solvuntur, tardosque trahit sinus ultimus orbes.* Valer. Flaccus II. 503. *Illam incumbentem per mille volumina pontus Prosequitur, lateri assultans:* et vs. 514. *celsi spatiosa volumina monstri:* vs. 500. *pelagoque remenso Cauda redit, passosque sinus rapit ardua cervix.* Statius Achill. I. 59. *Illi spumiferos glomerant a pectore fluctus, Pone natant, delentque pedum vestigia cauda.* Avienus Descript. Orbis vs. 175. *Sic spiras crebro sinuat draco, seque vel orbe Colligit inclinans, vel pronis agmina longe Tractibus absolvit.* Seneca Hippol. 1036 sq. *Tum pone tergus ultima in monstrum coit Facies, et ingens bellua immensam trahit Squamosa partem.* In omnibus fere exemplis apparet aliqua imitationis species.

Sibila lambebant linguis vibrantibus ora. Lucan. IX. 630. *illis e faucibus angues Stridula vibratis fuderunt sibila linguis.* Silius II. 586. *Ignea sanguinea radiabant lumina flamma, Oraque vibranti stridebant sibila lingua.* Orosius de Arbitrii Libertate pag. 589. *palam sibilant, impiique serpentes vibrantibus infecta linguis ora lambentes.* *Vibrantes* explicavit Oudend. ad Lucan. I. 658.

Agmine certo Laocoonta petunt. Agmine, de duobus. Liv. I. 6. *Romulus et Remus agmine ingressi.* Vide Burm. ad Val. Flacc. II. 530. Idem Valer. Flaccus V. 354. *Quae manus haec, certo quae me petat agmine.* Hoc Virgilianum *certo* confirmat. Male alii *facto.*

Tela ferentem. Haec et alia in Laocoonte Vaticano non conspiciuntur. Neque Virgilius ex istis imaginibus praeclaros versus fingere potuit. Nam aetatem Plinii non superare videntur. Docta et elegans de isto Laocoonte est Disputatio L. I. F. Iansseni, Leidae a. 1840.

Ille simul manibus tendit divellere nodos,
Perfusus sanie vittas atroque veneno;
Clamores simul horrendos ad sidera tollit:
Qualis mugitus, fugit quum saucius aram
Taurus, et incertam excussit cervice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, saevaeque petunt Tritonidis arcem,
Sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor; et scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
Laeserit, et tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque divae
Numina conclamant.
Dividimus muros, et moenia pandimus urbis.
Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum
Subiiciunt lapsus, et stuppea vincula collo
Intendunt. Scandit fatalis machina muros,
Feta armis. Pueri circum innuptaeque puellae

Qualis mugitus. Credo, qualis est mugitus tauri, quum fugit. Virgilius potuisset: *Qualis mugitus tauri quum saucius aram Fugit.* Sed alterum est magis exquisitum. Haec autem cogitabat Valer. Flaccus II. 458. *Qualiter, implevit gemitu cum taurus acerbo Avia — coit agrestum manus et coeco clamore coloni.* Ubi mallem *quales.*

Effugiunt. Medic. MS. et alia *diffugiunt.* Sed dracones, ut venerant, ita eodem agmine abiere, recta templum Minervae petentes. Hoc non est *diffugere.*

Sub pedibusque deae. Valer. Flaccus II. 257, ubi Hypsipyle patrem abdit sub statuam Bacchi: *tacita pavidum tunc sede locavit, Sub pedibus dextraque Dei.* *Sub pedibusque* pro *et sub pedibus* exquisitum esse videtur, quod Caesar et optimi scriptores ament. Caesaris quidem sunt *ad occasumque, ex Senatusque consilio.* Vide interpretes ad Nepotis Datam. VII. et Muncker. ad Lactant. Placid. p. 198.

Pueri circum innuptaeque puellae. Statius IV. Theb. 16. *Iamque suos circum pueri innuptaeque patresque Funduntur mixti.*

Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa subit, mediaeque minans illabitur urbi.
O patria, o divom domus Ilium, et incluta bello
Moenia Dardanidum! quater ipso in limine portae
Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere.
Instamus tamen immemores caecique furore,
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, dei iussu non unquam credita Teucris.
Nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.
Vertitur interea coelum, et ruit oceano Nox,
Involvens umbra magna terramque polumque,
Myrmidonumque dolos; fusi per moenia Teucri
Conticuere; sopor fessos complectitur artus.
Et iam Argiva phalanx instructis navibus ibat

Divom domus Ilium. Silius I. 588. *O patria, o Fidei domus inclyta.* VI. 479. *Carthago fraudum domus.*

Immemores caecique furore. Servius haec erudite explicat e disciplina carminis Romani: *eique populo civitatique metum, formidinem oblivionem iniiciatis.* Talia carmina supersunt apud Livium VIII. 9. et X. 28. Loca indicavit Hemsterhusius.

Ruit oceano Nox. Bene additum *oceano.* Alioquin *ruit* saepe significat *occidit.* Valer. Flaccus I. 274. *Sol ruit, et totum Minyis laetantibus undae Deduxere diem.* Quod, quamquam intelligi potest, *dies deductus est in undas*, faciliorem haberet explicationem, si scriberetur *umbrae obduxere diem.*

Et iam Argiva phalanx. Merito viri docti hanc temporum consecutionem *ibat, quum extulerat* et *laxat*, reprehendunt. Wagnerus horum versuum membra sic esse disposita malebat: *Et iam Argiva phalanx, flammas quum regia puppis Extulerat, tacitae per amica silentia lunae Litora nota petens, instructis navibus ibat A Tenedo.* Ego hanc difficultatem sic tollere studui: *flammas cum regia puppis Extulit: at fatis divum defensus iniquis* sq. *Fatis divum* est in Cod. Zulichem. Graecus exercitus in navibus iam Tenedum reliquerat, et Troiano litori propinquabat, quum ex regia puppe ignis tollebatur, signum Sinoni. Tum Sinon claustra equi laxat. Antiqua si-

A Tenedo, tacitae per amica silentia lunae
Litora nota petens: flammas quum regia puppis

gnificatio *at* vel *ast* pro *tum vero*, *tunc autem*. Wagnerus in Quaest. Virgil. XXXVII. diligenter de usu huius particulae exposuit, sed tantum pro *sed autem* accepit. Illud tamen temporale etiam in multis Virgilii exemplis inesse credo. Difficile est iustam particularum vim ita semper definire, ut ad omnia exempla definitio accommodari possit. Si in hac causa dixeris, quod posui, non multum, credo, desiderabitur. Gronov. ad Livii XXIV. *at* pro *tum* explicavit.

Tacitae per amica silentia lunae. Burm. et Heyn. *amica* interpretantur *grata et faventia* insidiis Argivorum, et *lunam* accipiunt pro *nocte*. *Luna* sine dubio saepe pro *nocte* ponitur, ea tamen nocte, qua luna lucet. Virgilius v. c. III. 585. ubi noctem obscuram descripserat, dixeratque Lunam esse in nimbo, nunquam de eadem nocte *per lunam* pro *per noctem* dixisset. Et aliud est: *incertos caeca caligine soles erramus. Amica silentia* lunae, vix aliter accipi possunt, quam *lunae*, quae amico splendore viam iis monstrabat. Sed hoc primo non requirebatur, nam petebant *litora nota*, et intervallum erat exiguum, Tenedos in conspectu. Deinde *lunae splendor* insidiis plus nocebat, quam favebat; et Troiani, nisi somno et vino iacuissent sepulti, facilius dolos Graiorum per amica illa lunae silentia deprehendissent. Sed Troianos temere et imprudenter dormire, Graeci ignorabant. Sola igitur nox Graecis favebat, et noctis altum silentium. Hoc silentium Aeneas inprimis auget, ut Dido sentiret, Troiam non palam luce sed furto et nocte, quando omnia quiescebant, fuisse captam. Pro AMICA scribendum fortasse est MVTA. Quanta esse potest maxima taciturnitas exprimitur *tacitae per muta silentia lunae*. Ovid. VII. Metam. 184. *Fertque vagos mediae per muta silentia noctis Incomitata pedes*: et alibi saepe. Conf. Heyn. ad Tibull. IV. I. 129. Neque aliunde, puto, quam ex Virgilio, imitatores poetae *mutus* et *tacitus* coniungunt. Loca indicavit Gronovius ad Senecae Hercul. Fur. 301. *Secreta reddam sacra: tibi muta fide Longas Eleusin tacita iactabit faces.* Lucan. I. 247. *Et tacito mutos volvunt sub pectore questus.* Silius XV. 612. *Nox, somni genetrix, mortalia pectora curis Purgarat, tenebraeque horrenda silentia alebant: Erepet, suspensa ferens vestigia, castris, Et muta elabi tacito iubet agmina passu. Illunem nacti per rura silentia noctem Accelerant, vitantque sonos.* In Carm. 15. Paullini, hic versus reperitur: *tacitae per amica silentia noctis*. Eum sic in Virgilio legisse diceres. Et hoc erat melius quam *Lunae*.

Flammas quum regia puppis extulerat. Signum, de quo cum Sinone

Extulerat; fatisque deum defensus iniquis,
Inclusos utero Danaos et pinea furtim
Laxat claustra Sinon. Illos patefactus ad auras
Reddit equus; laetique cavo se robore promunt
Thessandrus Sthenelusque duces, et dirus Ulixes,
Demissum lapsi per funem, Acamasque, Thoasque,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaus, et ipse doli fabricator Epeos.
Invadunt urbem somno vinoque sepultam;
Caeduntur vigiles, portisque patentibus omnis
Accipiunt socios, atque agmina conscia iungunt.
  Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris

convenerat. Itaque, eo conspecto, equum statim aperit. Heynius, legens *extulerat*, pro signo profectionis accepit. Sed tale signum non sustulissent, nisi omnibus iam ad vim et impetum paratis, metuque, ne detegerentur, sublato. Seneca Agam. 427. *Signum recursus regia ut fulsit rate, Et clara lentum remigem monuit tuba*, ante oculos quidem habuisse Virgilium videtur, sed aliud signum, puta *clypeum*, significavit, quod saepe in Aeneide legimus, ut I. 183. X. 261. ubi Aeneas *Stans celsa in puppi, clypeum quum deinde sinistra Extulit ardentem:* quo viso Troiani clamorem tollunt, et spes addita iras eorum suscitat. Sic Herodotus VI. 121. narrat Alcmaeonidas *ἀναδέξαι Πέρσῃσι ἐκ συνθήματος ἀσπίδα*. Sed Sinoni opus erat clariore signo, flammis. In Cod. Zulichem. addita erat, teste Burmanno, haec glossa: *flammas, id est, scarbundi, vel lucerna, signum adventus*. Quid sit *scarbundi* Burmannus se ignorare dicit. Est, ni fallor, vocabulum barbarae Latinitatis. Apud Papiam legimus: *Scara, ignis combustio*. Constat recentiores medicos sic *Scara* usos. In *Scara* tamen est notio *ignis*, corrupta ex Graeco *ἐσχάρα*. Hoc iam Vossius in Vitiis L. Serm. pag. 590 vidit, et aliis vocabulorum exemplis confirmavit Coraes in *ΑΤΑΚΤΟΙΣ* Vol. I. pag. 68. Sunt igitur *Scarabundi* instrumenta quaedam lucentia, laternae Punicae. Eandem originem habet Italicum *Scarabattola*, cistula laminis vitreis resplendens. In fabula Bacchide, quae hodie, quamquam immerito, nomine Plauti fertur, etiam ignis tamquam signum proditionis memoratur IV. IX. 15. *Mnesilochus Sinon est relictus, ille olim habuit ignem, qui signum daret:* sive accipias quo igne Sinon daret signum Graecis, sive qui ignis Graecorum Sinoni daret signum.

Incipit, et dono divom gratissima serpit.
In somnis, ecce, ante oculos maestissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus,
Raptatus bigis ut quondam, aterque cruento

Dono divom. Plutarchus de Superstit. p. 166. B. servavit Comici senarium: ἔδωκαν ἡμῖν πρoῖκα τὸν ὕπνον οἱ θεοί. Fortasse huc pertinebat annotatio Serviana, ubi nunc videmus, quosdam dicere *donum* venire ex *voluntate*, *munus* ex *officio*. *Aegris* ut οἰζυροῖς, δειλοῖς. Vide Wyttenb. ad Plutarchi Moral. T. I. Animadv. pag. 225.

Raptatus bigis ut quondam. Oratio hoc versuum ordine non recte progreditur. Hinc variae illae interpretationes, *visus adesse*, *ut quondam visus erat raptatus*, cum raptabatur: *ut quondam raptatus erat: ut quondam raptatus et traiectus (hei mihi! qualis?) erat:* hinc varia interpunctio, *raptatus bigis, ut quondam*, et *raptatus bigis ut quondam;* hinc metus ne construeretur *ut quondam flevit;* hinc dissensus de vulneribus, fuerintne quae Hector *vivens*, an *mortuus* et *raptatus* acceperit. Locus tam perturbatus, in quo doctissimi interpretes facilem verborum cursum expedire frustra conati sunt, ita a Virgilio ordinari non potuit, minus etiam, si cogitemus qua cura caetera tractaverit. Non novum aut mirum accideret, si librarii et hic unum vel alterum versum aliena sede collocassent: uno autem versu male collocato, alii interdum necessario erant transponendi. Nec difficile divinatu est, quem ordinem sana ratio et ipsa rerum sententia exigat, hunc scilicet: Hector in somnis mihi visus adesse et flere. Hei mihi! qualis erat, quantum ab illo mutatus, qui victor redire ex proeliis solebat. (Iam sequitur tristis illa Hectoris imago.) Gerebat barbam squalentem, crines sanguine concretos, et illa vulnera, quae plurima accepit, raptatus quondam bigis circum muros patrios, ater cruento pulvere et pedes loris traiectus. Ad hanc rationem versus ita videntur esse transponendi: *Visus adesse mihi, largosque effundere fletus; Hei mihi! qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli, Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes! Squalentem barbam et concretos sanguine crines Volneraque illa gerens, quae circum plurima muros Raptatus quondam bigis, aterque cruento Pulvere, perque pedes traiectus lora tumentes, Accepit patrios. Ultro flens* sq. In his nihil mutavi, nisi quod pro *bigis ut quondam* scripsi *quondam bigis.* Hector *raptatus circum muros plurima vulnera accepit*, arcte iungenda sunt, nec fere refert utro referas. *Vulnera* Heynius primum

Pulvere, perque pedes traiectus lora tumentis.
Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli,

explicaverat, quae *Hector in pugnis* acceperat. Sed ea, credo, erant sanata, et iam cicatricem duxerant, quum postremum contra Achillem pugnabat. Atque haec causa sufficiebat, quominus de istis vulneribus acciperemus. Heynius ab ea interpretatione propter aliam causam discessit, quia nempe hoc non conveniret cum caeteris, quae miserationem facere debent; quare tandem accepit de vulneribus, quae *Achivi accurrentes* corpori Hectoris iam caesi intulerunt. Recte sane: sed hoc ex vulgato ordine versuum effici non potest. Inde potius diceremus, Aeneae Hectorem apparuisse, dum raptabatur. Habebat autem Hector plurima vulnera, primum letale, quod ab Achille acceperat, causam mortis, alia, quae Achivi, dum cadaver circum muros rapiebatur, hastis infligebant. Apud Homerum nemo Achivorum ἀνουτητί γε παρέστη. Homerus tamen haec paulo aliter descripsit. Virgilius iam I. Aen. 483 dixerat: *Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros.* Ibi Servius annotavit: »tale erat in pictura corpus, ut in eo appareret frequentis raptationis iniuria."

Quantum mutatus ab illo Hectore. Celebratus aliorum imitatione locus. Servius dicit esse versum Ennii. Fortasse annotatio pertinet ad verba, *in somnis visus adesse mihi.* Ista enim novimus ex Ciceronis Acad. Quaest. IV. 16. *at Ennius, cum somniavit, ita narravit:* visus Homerus adesse poeta. Ovid. VI. Metam. 273. *Heu quantum haec Niobe distabat ab illa.* Valer. Flaccus IV. 398. *Qualis et a prima quantum mutata iuventa!* Silius X. 507. *Heu, quis erat! quam non similis modo Punica talis Agmina turbanti, vel quum Taulantia regna Vertit, et Illyrico sunt addita vincla tyranno!* Statius VII. Theb. 707. *Quantum diversus ab illo, Qui tripodas* sq. Ammian. Marcell. Histor. XVI. pag. 92. *immensum quantum ab eo differens, qui multa minabatur et saeva.*

Qui redit exuvias. Vix dubito, quin Virgilius scripserit *qui exuvias rediit.* Sic et legit Ambrosius de Spiritu Sancto, II. Prolog. *Is, longe mutatus ab illo Samsone, qui rediit allophylorum indutus exuvias.* Et Seneca Troad. 433. *Cum subito nostros Hector ante oculos stetit, Non qualis ultro bella in Argivos ferens, Graias petebat facibus Idaeis rates; Nec caede multa qualis in Danaos furens Vera ex Achille spolia simulato tulit.* Librarii videntur mutasse, qui timebant ultimam syllabam brevem. Ita in Statio VI. Theb. 664. MSS. quaedam habent, *adorato redit illa ingloria disco*, meliora autem,

Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignis!
Squalentem barbam, et concretos sanguine crinis,
Volneraque illa gerens, quae circum plurima muros
Accepit patrios. Ultro flens ipse videbar
Compellare virum, et maestas expromere voces:
O lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum,
Quae tantae tenuere morae? quibus Hector ab oris
Exspectate venis? ut te post multa tuorum
Funera, post varios hominumque urbisque labores
Defessi adspicimus! quae caussa indigna serenos
Foedavit voltus? aut cur haec vulnera cerno?
Ille nihil; nec me quaerentem vana moratur:
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.

adorato rediit ingloria disco. Vide Gronovium. Ovidius Heroid. VI. 31. *Ut rediit animus.* Male alii *utque animus rediit.* Vide Heinsium, qui multa similia attulit. Haec dudum scripseram, quum vidi ex Wagnero, etiam Bothium coniecisse *exuvias rediit*, vel *iaculatur.* Wagnerus vero *redit* tuetur, ut in re praeterita quidem, sed cuius memoria recens vigeat. Bothianum *rediit* melius hic puto.

Exspectate venis? Plautus Mostell. II. II. 11. *Triennio post Aegypto advenio domum. Credo, exspectatus veniam familiaribus.* Vide Gronov. ad Mostell. I. III. 31. et interpr. ad Livii XXVIII. 27.

Ut te. Servius, *ut fessi*, *quasi fessi.* Alii, *ut*, *quomodo.* Cod. Zulich. *quem te.* Hamburg. *accipimus*, pro *adspicimus.* Gudian. *dierum*, pro *tuorum.* Fortasse ex Graeco ὥς explicandum est, quod interdum additur ad significationem diuturnae absentiae augendam. Quod Eurip. Phoeniss. 313. *χρόνῳ σὸν ὄμμα μυρίαις ἐν ἁμέραις Προσεῖδον* dicit, hoc per ὥς, χρόνῳ additum, fuisset *quam diu iam est quum te non vidi.* Ut Theocriti in Adoniaz. 1. ὥς χρόνῳ. Vide ad utrumque locum Valck. *Adspicimus te post multa funera* iam loquentis desiderium indicant. Crescit desiderium *ut post multa*, proprie *post ut multa*, post quam multa. Nam licet adiunxerit *funera*, notio tamen temporis praevalet. *Ut* est dolentis propter longam absentiam. Idem fere supra dixit, *quae tantae tenuere morae?* Hic cum temporis diuturnitate calamitates coniunxit.

Hostis habet muros; ruit alto a culmine Troia.
Sat patriae Priamoque datum. Si Pergama dextra
Defendi possent: etiam hac defensa fuissent.
Sacra suosque tibi commendat Troia Penates:
Hos cape fatorum comites; his moenia quaere,
Magna pererrato statues quae denique ponto.
Sic ait; et manibus vittas Vestamque potentem
Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.
  Diverso interea miscentur moenia luctu;
Et magis atque magis, quamquam secreta parentis
Anchisae domus arboribusque obtecta recessit,
Clarescunt sonitus, armorumque ingruit horror.
Excutior somno, et summi fastigia tecti
Adscensu supero, atque arrectis auribus adsto:
In segetem veluti quum flamma furentibus austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata laeta boumque labores,
Praecipitesque trahit silvas; stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.
Tum vero manifesta fides, Danaumque patescunt
Insidiae. Iam Deiphobi dedit ampla ruinam,
Volcano superante, domus; iam proximus ardet
Ucalegon; Sigea igni freta lata relucent.
Exoritur clamorque virum clangorque tubarum.
Arma amens capio; nec sat rationis in armis.
Sed glomerare manum bello, et concurrere in arcem
Cum sociis ardent animi. Furor iraque mentem

Sat patriae Priamoque datum. Valer. Flaccus III. 688. *sat lacrymis comitique datum.* Silius II. 561. *sat Fidei proavisque datum.*

Commendat Troia Penates. Seneca Octav. 491. *Suosque cives Roma commendat tibi.*

Diverso interea. Valerius Flaccus III. 113. *At magis interea diverso turbida motu Urbs agitur.*

Praecipitant; pulchrumque mori succurrit in armis.
Ecce autem telis Panthus elapsus Achivum,
Panthus Othryades, arcis Phoebique sacerdos,
Sacra manu victosque deos, parvumque nepotem
Ipse trahit, cursuque amens ad limina tendit.
Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?

Pulchrumque mori succurrit in armis. Notum est illud Tyrtaei, *τεθνάμεναι γὰρ καλὸν κ. τ. λ.* Statius V. Theb. 329. *Iam ponere manibus aras Concessum, et multum cineres iurare sepultos.* Ubi scribendum est *pulchrum*. Claudian. in Rufin I. 328. *occisos pulchrum iurare parentes.*

Othryades. De scriptura huius nominis dubitari non potest. Nobilissimus est ille *'Οθρυάδης* Spartanus, de quo interpretes ad Flori Hist. II. II. et Seneca in Suasoriis. Apponam corrupta verba Lactantii ad Statii Theb. IV. 47. *Lacedaemoniorum dux Othriades, cum eius exercitus iam prope victor esset, tamen gravi vulnere iaceret, excepto ante quam totum animam exhalaret, sanguine, trophaea iussit attolli, quibus digito sanguine oblito, haec inscripsit:* κε aptron *λοηιον*, *hoc est, quod dicit Statius, Lacedaemonium Thyre lectura cruorem.* Hemsterh. in annotatione MS. corrigit: *κατὰ 'Αργείων τροπαῖον Λακεδαιμονίων.*

Quo res summa loco. Unus Cod. *loci.* Vulgatum etiam confirmatur imitatione Silii I. 598. *Quo tua nunc sunt fata loco? Sacraene manent in collibus arces?*

Quam prendimus arcem? Burm. coniicit: *qua prendimus arcem?* id est, qua ratione ad arcem pervenire possumus? Schraderus: *qua tendimus arcem?* Servius interpretatur: *quam prendimus arcem, cum tu eam relinquas.* Non enim plures erant arces. Heynius *arcem* pro *perfugio* accipit. Quod minus hic convenit, quia modo legimus Panthum fuisse sacerdotem *arcis*, ubi quum *arx* proprie accipiatur, hic non figurate poni potest. Wagnerus ad Aeneid. I. 8. explicat, *quomodo prendimus arcem?* Non recte intelligo, cur Aeneas hoc sacerdotem rogaret. Ipsius erat tentare, an in arcem pervenire posset, viam satis noverat. Nec Panthus scire poterat, an viae omnes ad arcem essent obsessae. Nam non veniebat ex arce, sed ex domo sua, Penates secum portans. Si ex arce veniret, Aeneas arcem iam esse captam a Graecis suspicatus esset, atque omne consilium occupandae abiecisset. Scribendum puto: *quin prendimus arcem?* Aeneas supra glomerare manum bello et *concurrere in arcem* cum sociis ardebat. Iam domo exierat, quum videt Panthum eo tendentem. Panthum, qui fugiebat, plura scire putans, breviter

Vix ea fatus eram, gemitu quum talia reddit:
Venit summa dies et ineluctabile tempus
Dardaniae. Fuimus Troes; fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucrorum. Ferus omnia Iupiter Argos
Transtulit. Incensa Danai dominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in moenibus adstans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miscet,
Insultans. Portis alii bipatentibus adsunt,
Millia quot magnis unquam venere Mycenis;
Obsedere alii telis angusta viarum
Oppositi; stat ferri acies mucrone corusco
Stricta, parata neci; vix primi proelia tentant
Portarum vigiles, et caeco Marte resistunt.

rogat, *quo loco res summa est?* Quin mecum arcem prendis? Socios in itinere inveniemus. I nobiscum et prende arcem. Illud *quin* uno, sed apto, Livii exemplo illustrabimus, I. 57. *Quin, si vigor iuventae inest, conscendimus equos?* Vulgatum vidit Arator Subdiaconus: *Templi quoque nobilis aedem In cineres stragemque dari? Quam prendimus arcem? Quamve tenemus opem?* Nostrae coniecturae momentum accedit ex annotatione Scholiastae, quem Maius edidit, ad Aeneid. II. 714. Hic e Varrone narrat Aeneam, capta Troia, *arcem cum plurimis occupasse.*

Venit summa dies. Valer. Flaccus I. 542. *Accelerat sed summa dies.* Vide Burmannum.

Dardaniae. Servius: » nam et Samothraces horum Penatium *Antistites suos* vocabant." Hemsterhus. emendat: *antistites anactotelestas vocabant*, ex Clementis Alexandr. Protrept. pag. 12.

Incendia miscet. Recte Heynius: *Passim facit.* Minus recte Guietus ad Lucani I. 380. *incendiis urbis aedificia miscet*, hoc est, consumit.

Millia quot magnis unquam venere Mycenis. Bryantius et Heynius versum habent suspectum. Mutandam puto interpunctionem: *Millia, quot magnis* sq. et accipiendam Servii interpretationem: » vel augendi gratia, vel perturbatus dicit, tantos esse Graecos, quanti olim venerint, quasi nemo perierit decennali bello."

Oppositi. MSS. etiam *oppositis.* Alterum breviter tuetur Burmannus ad Valer. Flacci V. 605.

Parata neci. Ovid. Fast. III. 215. *Iam stabant acies ferro mortique paratae.*

Talibus Othryadae dictis *et numine divom*
In flammas et in arma feror, quo tristis Erinys,
Quo fremitus vocat et sublatus ad aethera clamor.
Addunt se socios Rhipeus, et maxumus armis
Epytus, oblati per lunam, Hypanisque Dymasque,
Et lateri adglomerant nostro, iuvenisque Coroebus,

Et numine divom. Servius: »subaudis *tali*, hoc est mala iniiciente desideria." Heynius: »tamquam a deo aliquo actus in medium incendium et pugnas ruit Aeneas." Neutra explicatio cum ipsis verbis satis convenit. *Talibus Othryadae dictis in flammas et in arma feror*, intelligimus omnes: *et numine divom*, equidem non intelligo. *Numine divom* est *deorum voluntate*. Ita saepe apud Virgilium legitur. Heynius, et fortasse etiam alii, interpretando restituere conati sunt, quod ipsis verbis, quae interpretabantur, deest. Suus cuique sensus eam interpretationem dictabat. Sed hoc, quod interpretes volebant, Romani poetae nunquam ita *numine divom* exprimunt, neque *tamquam*, *quasi*, omittunt. Neque omitti potest, nisi proprie loquamur. Etiamsi in Virgilio scriberemus *ceu numine Divom*, vel sic desideraretur *incitatus*, *agitatus*, aut aliud simile. Plerique omnes lectores talia et alia huiuscemodi patienter accipiunt, et in explicatione Heyniana securi acquiescunt. Ego non acquiescam, nisi iustis exemplis convictus, me et hic et alibi a castigato poeta nimium postulavisse, et esse morosiorem. Interea credam Virgilium reliquisse et hunc versum non perfectum, et exspectasse, quoad aliquis tibicen veniret. Neque omnia, puto, hemistichia, sententiam habuere absolutam. Hoc non erat necessarium, quia Virgilius consilium Aeneidos ita edendae non habuit, et aeque bene versum aliquando complere poterat, sive sententia esset absoluta, sive non esset, imo saepe melius. Quamquam hic ad loci intelligentiam nihil deest. Aliud, idque ni fallor unicum, quantum quidem novimus, exemplum habemus, versus ita relicti, ut intelligi non possit. Nimirum Aeneid. III. 340. *Quem tibi iam Troia.* Tales versus procul dubio in MS. ipsius Virgilii exstitere plures, sed iam a Tucca et Vario vel ab aliis suppleti.

Et lateri agglomerant nostro. Mallem *se lateri agglomerant nostro*, ut talis sit verborum sententia: Feror in flammas et in arma, statim me sequuntur, qui forte aderant, Rhipeus et Epytus. Brevi post se nobiscum iungunt Hypanis, Dymas et Coroebus, per lunam oblati, nos videntes. Valer. Flaccus III. 87, dixit *agglomerant latera*, id est, se ipsi arcte coniungunt. Burmannus frustra *lateri* volebat.

Mygdonides. Illis ad Troiam forte diebus
Venerat, insano Cassandrae incensus amore,
Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat,
Infelix, qui non sponsae praecepta furentis
Audierit.
Quos ubi confertos audere in proelia vidi:
Incipio super his: Iuvenes, fortissima frustra

Audere in proelia vidi. Burmanni coniecturam *ardere* libens sequor. *Ardere in aliquid* est Virgilianum, et animadvertit Fronto, licet ibi perverse ponatur *ardet in excitam Ausoniam.*

Incipio super his. Interpretantur *insuper*, *propter haec*, *posthaec*, *inde.* Varietas opinionum indicat difficultatem. Quomodocunque accipias, verba *super his* semper manent otiosa, quibus lubentissime careas. Credo totum hunc locum, versibus transpositis, esse restituendum. *Incipio*: *quae sit rebus fortuna videtis: Excessere omnes, adytis arisque relictis, Di, quibus imperium hoc steterat: succurritis urbi Incensae; iuvenes, fortissima frustra Pectora! si vobis audentem extrema cupido Certa sequi, moriamur et in media arma ruamus. Una salus victis nullam sperare salutem.* Hic est naturae rerum et rationi conveniens ordo. »Videtis in qua conditione versemur. Omnes nos nostri dei reliquere. Urbs iam incensa est. Huic igitur succurrere serum est, o iuvenes, et frustra in eo virtutem ostendetis. Mittamus igitur consilium arcis prendendae, ipsos hostes adoriamur. Si extrema mecum tentare cupitis, sequimini. Morituri irruamus in hostes, salus interdum venit ex desperatione." Rerum conditio in huiusmodi orationibus praecedere solet. Sallust. Catil. 58. *Nunc quo in loco res nostrae sint, iuxta mecum omnes intelligitis. Quapropter vos moneo, uti forti atque parato animo sitis.* In vulgato ordine apta connexio desideratur, et, ne de Burmanno et aliis dicam, dubito an Heynius et Wagnerus invenerint. Heynius hanc statuit: »O iuvenes, frustra fortes, si me, mortis pericula adeuntem sequi cupitis, agedum, moriamur, nam videtis, quae sit rerum conditio. Omnes dei tutelares nos reliquere. Succurritis urbi incensae. Nihil superest quam honeste mori. Moriamur." Verba (*quae sit rebus — — urbi incensae*) in parenthesi includit. Tam longa parenthesis, in oratione tam concitata, Wagnero molesta videtur. Et merito. Itaque sic ordinat: »si decrevistis me sequi, videtis omnia esse perdita: ergo, quod unum victis superest, moriamur." Sed talis oratio facta est, ut Aeneas omnem iis animum adimat, etiam honeste moriendi. Neque satis attenderunt ad ultimum

Pectora, si vobis audentem extrema cupido
Certa sequi: quae sit rebus fortuna videtis:
Excessere omnes, adytis arisque relictis,
Di, quibus imperium hoc steterat; succurritis urbi
Incensae: moriamur, et in media arma ruamus.
Una salus victis nullam sperare salutem.
Sic animis iuvenum furor additus. Inde, lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit caecos rabies, catulique relicti

versum: *Una salus victis nullam sperare salutem.* Aeneas igitur, exiguam quidem, sed tamen spem ostendit. Quid pro *super his* legendum sit, non video. Potuisset Virgilius: *Incipio: quae sit rebus fortuna videtis: Excessere omnes, adytis arisque relictis, Di, quibus imperium hoc steterat, succurritis urbi Incensae sero, o iuvenes, fortissima frustra Pectora! si vobis audentem extrema cupido Certa sequi, moriamur, et in media arma ruamus. Una salus victis nullam sperare salutem.* In his certe melior rerum ordo spectatur. Et quis novit, quid librarii turbaverint? SVPER et SERO saepe in MSS. permutata sunt.

Excessere omnes adytis. Orosius VI. 1. *discessere* videretur legisse, nisi mox in eodem loco citasset *excessere.* Opinionem veterum de Diis urbes relinquentibus iam explicavit Wesselingius ad Diodor. Sicul. XIII. pag. 587.

Sic animis iuvenum furor additus. Valer. Flaccus I. 271. *Omnibus inde magis calor additus.* Ubi et *inde animis* praeferrem.

Lupi ceu raptores. Antiquum et perpetuum de lupis *raptores.* Vide Heinsium ad Valerii Flacci VI. 121. Servius hic annotavit, lupos esse in tutela Martis, ideo Virgilium in re bellica eorum sumsisse exemplum. Sed Virgilius non minus leonum exemplo utitur. Alium lusum barbarae gentes in lupis captavere, dum Romanos, ex Romulo et Remo ortos, appellabant *lupos et raptores.* Telesinus Pontius apud Velleium Paterc. II. XXVII. vociferabatur, *nunquam defuturos raptores Italicae libertatis lupos:* ubi vide Ruhnken. Tacitus Agricol. XXX. *Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terrae, et mare scrutantur.* Eosdem Mithridates Fragm. Sallust. IV. pag. 485, vocat *latrones gentium.* Ut Schol. Statii ad V. Theb. 167. *lupos* dicturus, *latrones* dixit. Eleganter, ut observat Barthius.

Atra in nebula. In deerat in duobus MSS. servatum est et a Lactantio V. 9.

Faucibus exspectant siccis; per tela, per hostis
Vadimus haud dubiam in mortem; mediaeque tenemus
Urbis iter. *Nox atra cava circumvolat umbra.*
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrimis aequare labores?
Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos;
Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora, perque domos, et religiosa deorum
Limina. Nec soli poenas dant sanguine Teucri:
Quondam etiam victis redit in praecordia virtus,
Victoresque cadunt Danai. Crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.

Nox atra cava circumvolat umbra. Ortvinus putabat esse spuria. Burmannus dicit, legi tamen apud Scholiastam Statii: quod quidem nihil efficit, ut propterea credamus esse genuina. Wagnerus Quaest. Virgil. XL. h. l. ad eos retulit, in quibus Virgilius dormitavit. *Virgilii* enim *aliquando dormitantis* titulum huic Quaestioni praeposuit. Hoc autem de *nocte circumvolitante* contrarium censuit verbis *oblati per lunam*, quae praecedunt. Equidem tantam incogitantiam Virgilio tribuere non ausim. Omnem captae et vastatae Troiae historiam diligenter elaboravit, sibique in causa lunae ubique constitit. Quis iste stupor fuisset, hic *atram noctem* subito inducere? Nisi praecederet *haud dubiam in mortem*, facilis esset emendatio *Mors atra cava circumvolat umbra:* ut Tibullus I. r. 70. *Iam veniet tenebris Mors adoperta caput.* Et Horat. Satyr. II. i. 58. *mors atris circumvolat alis.* Orco seu *Morti alas* dedit Gratius Cyneg. 347. *Stat fatum supra, totumque avidissimus Orcus Pascitur et nigris orbem circumsonat alis. Mors* autem et *nox* in MSS. saepe permutata inveniuntur, ut statim in ipso Virgilio, *mortis imago* et *noctis imago. Nox* hic non esse Virgilii, apparet ex versu sequenti: *Quis cladem illius noctis.* Qui hoc scripsit, supra scribere non potuit *Nox circumvolat.* Quare potius censeo locum non esse genuinum.

Quis cladem illius noctis. Orosius II. 18. *Quis enim cladem illius temporis, quis fando funera explicet, aut aequare lacrymis possit dolores?* Ergo et ille vidit *dolores*, quod est in quibusdam MSS.

Plurima mortis imago. Frustra Clerquius *lurida.* Vulgatum etiam defenditur auctoritate Orosii II. 5. *Imago mortis* est, credo, quod Valer. Flaccus VI. 419. dixit *forma necis.*

Primus se, Danaum magna comitante caterva,
Androgeos obfert nobis, socia agmina credens
Inscius, atque ultro verbis compellat amicis:
Festinate, viri; nam quae tam sera moratur
Segnities? Alii rapiunt incensa feruntque
Pergama: vos celsis nunc primum a navibus itis?
Dixit; et extemplo (neque enim responsa dabantur
Fida satis) sensit medios delapsus in hostis.
Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit.
Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit
Attollentem iras, et caerula colla tumentem:
Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.
Irruimus, densis et circumfundimur armis,
Ignarosque loci passim et formidine captos
Sternimus. Adspirat primo fortuna labori.
Atque hic successu exsultans animisque Coroebus,
O socii, qua prima, inquit, fortuna salutis
Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur:

Celsis a navibus. In Hamburg. MS. *puppibus.* Quod notandum, quia *celsus* plerumque cum *puppes* coniungitur. Virgilius: *celsis in puppibus arma Caici.* Conf. et Burmannus ad Valer. Flacci I. 719.

Responsa fida satis. Recte, puto, Servius: »bene addidit *fida*, ut ostenderet symbolum, quo utebantur in bello." Varia de tessera militari loca indicavit Rupertus ad Silii VII. 347.

Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat. Schraderus hunc versum putabat otiosum, tamen ex Homero defendit. Ego non libens hoc versu carerem. Est imitatio antiquae simplicitatis, qualia exempla inveniuntur multa in Lucretio, Catullo, aliis.

Adspirat primo fortuna labori. Silius IV. 311. *primumque laborem, Qui solus genti est, cassum videt.* Est primus impetus. Ammianus XIX. pag. 150. *adspiravit auram quandam salutis fortuna.*

Ostendit se dextra. Fuere olim qui ad *manum* referrent. De favente fortuna, verum est. Silius V. 227. *Hos dexter deus et laeto victoria vultu Arridens acuit, Martisque favore fruuntur.*

Mutemus clipeos, Danaumque insignia nobis
Aptemus. Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi. Sic fatus, deinde comantem
Androgei galeam clipeique insigne decorum
Induitur, laterique Argivum accommodat ensem.
Hoc Rhipeus, hoc ipse Dymas, omnisque iuventus
Laeta facit; spoliis se quisque recentibus armat.
Vadimus immixti Danais haud numine nostro,
Multaque per caecam congressi proelia noctem
Conserimus; multos Danaum demittimus Orco.
Diffugiunt alii ad navis, et litora cursu
Fida petunt; pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum, et nota conduntur in alvo.

Quis in hoste requirat. Pro *in hostem*, dicit Burmannus. Rectius puto, *in causa hostis*, si cum hoste agatur. *In hoste* plus complectitur quam *in hostem*. Propert. III. xvii. 28. *Victor erat quamvis, aequus in hoste fuit.* Lucan. VII. 801. *hominum ritus ut servet in hoste.* Ubi multa Cortius. Librarii saepe mutaverunt ablativum in accusativum. Quid mirum? Ubi viri etiam docti pro accusativo positum esse indicent? Ut h. l. Burmannus, et Vinetus ad Ausonii Parental. 23. Dixi nonnulla ad Taciti Agricol. 6. *in bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae est.* Livius XXX. 3. *Si forte iam satias amoris in uxore ex multa copia cepisset.* Hieronymus I. adversus Iovianum: *In aliena uxore omnis amor turpis est, in sua nimius.*

Clipeique insigne decorum. Et supra dixit, *Danaum insignia.* Ergo hic significat: iam Coroebus unum tale insigne, et quidem decorum, ipsius Androgei, induitur.

Hoc Rhipeus, hoc ipse Dymas. Eadem versus forma Ovid. III. Metam. 617. *Hoc Libys, hoc flavus, prorae tutela, Melanthus, Hoc probat Alcimedon. Hoc omnes alii.*

Scandunt rursus equum, et nota conduntur in alvo. Verissima est annotatio Heynii: »Forte dictum nolis a poeta, nimis enim portentosum hoc, et abhorrens a fama virtutis Achivorum, etsi, *formidine turpi* adiecit. Certe sensum meum offendit in heroico carmine. Vidit hoc elegantissimus, dum viveret, Holdsworthius." Possemus ad Virgilium excusandum addere, quod illa tantum de parte Achivorum dixit. Sed semper manet

Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!
Ecce trahebatur passis Priameia virgo
Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae,
Ad coelum tendens ardentia lumina frustra:
Lumina; nam teneras arcebant vincula palmas.

nimium, ac fere ridiculum. Et quomodo in subito terrore ac fuga in alvum equi venirent, qui tam celsus erat, ut nisi per funem demissi duces Graiorum elabi non potuerint? Sed omnem hanc culpam esse librariorum, non Virgilii arbitror, quem scripsisse vero simile est: *Scandant rursus equum et nota condantur in alvo.* Pars, turpi formidine, si possent et auderent, rursus equum scanderent, et in eius alvo conderentur. Veteres ita *scandant* ponere, ubi nos Hollandi ponimus *scanderent*, docemur exemplis. Virgilius ipse I. 58. *Ferant rapidi secum.* II. 103. *Hoc Ithacus velit.* VI. 294. *Irruat.* V. 325. *Transeat.* XI. 912. *Continuoque ineant pugnas.* Talia sunt *dicas*, *credas*. Ita, quod Cicero pro Roscio Amerino XXXII. *tempus te citius quam oratio deficeret*, hoc Sallust. B. Ing. 42. *tempus quam res maturius deserat.*

Heu nihil invitis. Alcimus Avitus Lib. V. *Quam nihil invitis prosit contendere divis.*

Lumina; nam teneras arcebant vincula palmas. Heynius putat versum epica gravitate paulo leviorem et nimis ingeniosum. Bryantius volebat sublatum, deinde opinionem revocat, quia Auctor Ciris eundem versum hinc transtulit. Wagnerus genuinum censet, quia *tendere oculos* non dicitur, nisi aliquid adiectum sit, ad quod *tendere* proprie spectat: *oculos et brachia tendo.* Equidem haec semper admiratus sum et admiror, tamquam ex ipsa naturae veritate petita, et ad commovendam misericordiam aptissima. Velit Cassandra quidem manus tollere, non poterat, erant ligatae. Sustulit oculos. Eoque minus dubitavi esse Virgilii, quum legeram Euripidis Androm. vs. 550 sq. qui locus neque alios interpretes fugit. Peleus inter alia rogaverat: *εἰπὲ, τίνι, δίκῃ χέρας Βρόχοισιν ἐκδήσαντες οἵδ' ἄγουσί σε;* Respondet Andromache: *οἵδ', ὦ γεραιὲ, σὺν τέκνῳ θανουμένην Ἄγουσί μ' οὕτως ὡς ὁρᾷς:* deinde addit, *Ἀλλ' ἀντιάζω σ', ὦ γέρον, τῶν σῶν πάρος Πιτνοῦσα γονάτων, χειρὶ δ' οὐκ ἔξεστί μοι Τῆς σῆς λαβέσθαι φιλτάτης γενειάδος.* Ovidius alio modo, suavissime tamen, Metam. I. 730. *Procubuit genibus, resupinoque ardua collo, Quos potuit solos, tollens ad sidera vultus.* De eadem iam dixerat vs. 635. *Illa etiam supplex Argo cum brachia vellet Tendere, non habuit quae brachia tenderet Argo.* Idem loci Virgiliani prae-

Non tulit hanc speciem furiata mente Coroebus,
Et sese medium iniecit periturus in agmen.
Consequimur cuncti, et densis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur, oriturque miserrima caedes
Armorum facie et Graiarum errore iubarum.
Tum Danai gemitu atque ereptae virginis ira

stantiam imitatur Metam. IV. 680. *Et cur vincla geras. Primo silet illa: nec audet Appellare virum virgo, manibusque modestos Celasset vultus, si non religata fuisset. Lumina, quod potuit, lacrymis implevit abortis.* Ovidius ita artem variandae huius imaginis iam exhauserat, quum veniebat ad ipsam Cassandram Metam. XIII. 410. *tractata comis antistita Phoebi Non profecturas tendebat ad aethera palmas.* Iudicent lectores an praestantissimus Heynius non durior sit, haec annotans: »Virgilius hic Ovidiano lusui propior est. Ovidius tamen castior nunc ipso Virgilio." Claudianus quoque, poeta multi iudicii et saecula suo maior, III. Rapt. 108. *Sic fata trementes Tendere conatur palmas. Vis improba ferri Impedit.* Sed Virgilium planius expressit Sedulius in Carm. Paschali: *Saucia deiectas flectebat lumina tantum Libera, nam geminas arcebant vincula palmas.* Quare hunc versum, et sua ipsius sublimitate excellentem, et aliorum imitatione comprobatum, omnino esse genuinum arbitror. Et legit Statius Theb. VII. 311. *triplici servantur pectora ferro: Pectora: nam tergo nullus metus.* Ita quidem legit Servius ad Aeneid. VII. 632. Bryantii quidem argumentum ex Ciri petitum, non valet. Nam ex Ciri huc translatus esse poterat. Pluris est argumentum Wagneri, poetam, quum *lumina tendere* dicebat, iam eius animo obversari ea, quae subiecturus erat, *tendere* enim *oculos* non sic solum usurpari. Licet tamen apud Claudian. II. Entrop. 515. legatur: *frustraque oculos ad litora tendunt.* Sed hinc nihil efficitur contra perpetuam fere antiquiorum consuetudinem.

Non tulit hanc speciem. Statius I. Thebaid. 605. *Haud tulit armorum praestans animique Coroebus.*

Gemitu atque ereptae virginis ira. Burm. rogat *gemitu*, an *Cassandrae*, an *occisorum* Graecorum a Troianis? Gemitu *Cassandrae* excitati, credo, ad eum locum concurrunt, et irati virginem sibi esse ereptam, undique invadunt. *Ira ereptae virginis*, ut Liv. I. 5. *Ob iram amissae praedae.* Silius V. 344. *fraterni vulneris ira turbatus.*

Undique collecti invadunt, acerrimus Aiax,
Et gemini Atridae, Dolopumque exercitus omnis:
Adversi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyrusque, Notusque, et laetus Eois
Eurus equis: stridunt silvae saevitque tridenti
Spumeus atque imo Nereus ciet aequora fundo.
Illi etiam, si quos obscura nocte per umbram
Fudimus insidiis, totaque agitavimus urbe,
Apparent; primi clipeos mentitaque tela
Agnoscunt, atque ora sono discordia signant.
Ilicet obruimur numero. Primusque Coroebus
Penelei dextra divae armipotentis ad aram
Procumbit; cadit et Rhipeus, iustissimus unus
Qui fuit in Teucris et servantissimus aequi:
Dis aliter visum. Pereunt Hypanisque Dymasque,
Confixi a sociis; nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.

Adversi rupto ceu quondam turbine venti. Statius I. Theb. 550. de ventis adversa frementibus dixerat: *Dum coelum sibi quisque rapit.* Ibi Scholiasta annotavit: *coelum* pro *nubibus* posuit, ut Virgilius *adversi rupto ceu quondam* sq. Fortasse aliud in exemplari suo vidit. Et in MSS. haec est varietas: *diversi magno*, *adverso rupti*, *quondam rupto ceu.* Servius *rupto turbine* non explicavit. Exciditne explicatio Serviana, an et ille aliquid legit, quod explicatione non indigebat? Mallem: *Adverso rapidi ceu quondam turbine venti.*

Ora sono discordia. Troiana et Graeca lingua apud Virgilium tam similes sunt, ut alteri alteros facile intelligant. Testor Sinonem, Achaemenidem, alios. Et *sono discordia* significare potest diversam pronuntiationem, dialectum. Difficilior quaestio est, quomodo Aeneas Italos intellexerit. Quamquam hoc ex Graeco sermone explicari possit.

Dis aliter visum. Sententia loci etiam ex Senecae Epist. 98. apparet: *qui licet prudens sit, licet exacto cuncta faciat iudicio, licet nihil supra vires suas tentet: non contingit illi bonum integrum illud at extra fortunae minas positum — — Illud frequenter et sine querela inter singula damna dixeris:* Dis aliter visum est.

Iliaci cineres, et flamma extrema meorum,
Testor, in occasu vestro nec tela nec ullas
Vitavisse vices Danaum; et, si fata fuissent,

Vitavisse vices Danaum; et, si fata fuissent, Ut caderem, meruisse manu. Verba *Danaum vices* iam olim duplici modo fuisse accepta, disco ex Servianis: »de bello usurpatum est. Nullum enim proelium caret periculo, ergo *vices* periculi. Legimus etiam *poenas* vices dici. Horat. I. Oda 28. *Vicesque superbae Te maneant ipsum.*" Heynius: »*vices* fortunae casus et quidem h. l. pugnae. Alii *poenas* malunt." Mitscherlich. ad Horat. IV. Carm. XIV. 9. hoc ita ornavit: »copiam ipsis feci caedem a me factam ulciscendi, pugnam haud defugiendo obtuli me illorum ultioni." Burman. ad Propert. I. XIII. 10. etiam cum Servio de *poenis* accipit, quum Burman. maior ad h. l. Virgilii alteram rationem sequatur. *Vices Danaum*, sive de *poena*, sive de *pugnae* vicissitudine accipias, Latine, credo, dici non potest. Difficile est vocabuli frequenter usurpati significationem paucis complecti; hanc si constituero, non multum fortasse deerit: *Vices* sunt conditio sortis mutabilis vel mutatae. Iungitur cum genitivo rerum et hominum. Si iungitur cum genitivo hominum, indicat *sortem*, quam homines subeunt ipsi, non, quam aliis afferunt. *Vices Danaum*, sunt dubii pugnae casus, quos Danai in pugna subeunt, vel *poenae*, quas Danai tolerant. Ita dicimus *doleo vicem tuam, vicem Aeneae. Reddo alicui vices, exigo ab aliquo vices*, eam sortis mutationem, eam sortem, quam mihi attulit: atque alia fere in hunc modum. Ratio genitivorum e paucis exemplis appareat. Silius III. 13. *bellique vices novisse poterat.* Statius Theb. X. 749. *belli tentare vices.* Claudian. Belli Getici 83. *o rerum fatique vices.* Idem Consul. IV. Honorii, 282. *Hoc aspera fati Sors tulerit Martisque vices.* Seneca Octav. 480. *Illum tamen Fortuna iactavit diu Terra marique per graves Martis vices.* Et Valerius Flaccus III. 17. *Tu mihi nunc causas infandaque proelia, Clio, Pande virum, tibi enim superum data, virgo, facultas Nosse animos, rerumque vias:* ubi legendum *vices*. Alia vide apud Markland. ad Statii Silv. V. II. 152. Nusquam adiungitur genitivus hominum, nedum talis, qualem hic in Virgilio interpretes se invenire putant. Quando autem *vices* pro *poena* sumuntur, ibi nullum genitivi exemplum reperi, nec, puto, unquam reperietur eorum, qui poenam exigunt. Quod ad alteram partem loci Virgiliani attinet, de ea sic commentatus est Heynius: »*manu meruisse*, pugna, virtute, strage quam inter hostes edebat. Ita Servius: *fortiter dimicasse*, hi enim merentur occidi. Iunxere

Ut caderem, meruisse manu. Divellimur inde:
Iphitus et Pelias mecum; quorum Iphitus aevo

alii *manu ut caderem.* Ita erit interpungendum: *vitavisse vices; Danaum et, si fata fuissent ut caderem, meruisse, manu.*" Burman. *manu cadere* interpretatur *manu hostium. Manu meruisse* quin Latinum sit, non dubito. Sed etiam *cadere manu* Latinum est, neque necessario genitivnm interficientis poscit. Quod Burm. ad h. l. et Drakenb. ad Silium II. 705. non satis accurate explicaverunt, explicabo. Oppositum est, quod *natura* fit et quod *manu* fit. Quod *manu* fit, ipsi homines faciunt, sua voluntate et culpa. Huc pertinent exempla a Cortio ad Lucan. IV. 534. laudata. Iam *cadere* sufficit, sed *manu* additur, ad significationem violentae mortis magis indicandam, sive ea mors tua ipsius manu sive hostili manu inferatur. Plane ut Virgilius, scripsit Silius II. 705. ubi Hannibal *Saepe Saguntinis somnos exterritus umbris Optabit cecidisse manu:* id est, *vitam sibi* in proelio vi fuisse ademtam. De *manu viri fortis*, quod magnum erat fortibus solatium, non est cogitandum. Sic enim additur, ut apud Virgilium: *Aeneae magni dextra cadis.* Neque unquam legitur *dextra cadere*, si nomen non addatur. Seneca Agam. 515. Virgilium expressit. *Felix vocatur, cadere qui meruit manu. Manu* propter imitationem retinendum puto. Gronov. in MS. suo invenit *gradu*, idque reposuit. Sed *cadere manu* pulchre opponitur *morti* ignavae, quam aquis submersi paterentur. Seneca saepe dixit *morbos manu facere*, quando ipsi homines causa sunt, contra naturam. Ut Ambros. Hexaem. III. 10. *Fruges, quae manu quaeruntur.* Latinum igitur est *cadere manu*, sed non Latinum est *vitare vices Danaum.* Quare locus sic potius erat distinguendus: *Testor, in occasu vestro nec tela nec ullas Vitavisse vices; Danaum et, si fata fuissent, Ut caderem meruisse manu.* Si fato constitutum fuisset ut caderem, meruisse ut manu Danaum caderem. *Manu Danaum*, ut III. Aen. 606. *Si pereo, manibus hominum periisse iuvabit.* Et *Danaum manu* hic eam habet vim, ut ostendat, plurimos Danaum a se interfectos, ita de Danais esse meritum. Quintil. Declam. IV. p. 87. *Fortiter feci, dum mereor occidi.* Praeterea comparandus est Lucan. VI. 204. *Ac veritus credi clipeo, laevaque vocasse, Aut culpa vixisse sua.* Ubi pulchre Schol. »nullum vitavit periculum Scaeva, ne, si evasisset, hoc crimen occurreret (l. incurreret) ut videretur per ignaviam liberatus. Hoc est, quod Didoni excusat Aeneas." Quintil. Declam. IX. pag. 196. *Testor deos non per me stetisse, quod viro.* Statius III. Theb. 63. *noctis vaga lumina testor*, —

Iam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulixi;
Protinus ad sedes Priami clamore vocati.
  Hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam
Bella forent, nulli tota morerentur in urbe,
Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentis
Cernimus, obsessumque acta testudine limen.
Haerent parietibus scalae, postesque sub ipsos
Nituntur gradibus, clipeosque ad tela sinistris
Protecti obiiciunt, prensant fastigia dextris.
Dardanidae contra turris ac tecta domorum
Culmina convellunt: his se, quando ultima cernunt,
Extrema iam in morte parant defendere telis;
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvunt; alii strictis mucronibus imas
Obsedere fores; has servant agmine denso.
Instaurati animi, regis succurrere tectis,
Auxilioque levare viros, vimque addere victis.
  Limen erat, caecaeque fores, et pervius usus
Tectorum inter se Priami, postesque relicti

non hanc lacrymis meruisse nec astu Crudelem veniam, atque inhonorae munera lucis.

Pelias et vulnere tardus Ulixi. In multis MSS. *et* non legitur, in uno *Pelia et.* In tali regressione *et* multo elegantius abesset. Scribendum puto *a vulnere.*

Ceu caetera nusquam bella forent. Valerius Flaccus III. 280. *at vero — — tristi sileant ceu caetera planctu — Sic famulum matrumque dolor, sic omnis ad unum Versa manus.* Idem V. 544. *ceu nihil aequore pastis Additus iste dies.* Silius XVII. 475. *Parte alia, ceu sola forent discrimina campo.*

Extrema iam in morte. Multa MSS. *in* omittunt. Et sic Silius V. 417. *Flaminium implorasse tamen iam morte suprema Haud frustra fuit.* Hic autem praepositio fere necessaria est, ne quis accipiat *se defendere a morte.*

Postesque relicti. Wunderlichius haec abesse volebat. Et intellectu faciliora essent, hoc ordine verborum constituto: *Limen erat, caecaeque fores, postesque relicti A tergo, et Priami tectorum pervius usus In-*

A tergo; infelix qua se, dum regna manebant,
Saepius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, et avo puerum Astyanacta trahebat.
Evado ad summi fastigia culminis: unde
Tela manu miseri iactabant irrita Teucri.
Turrim in praecipiti stantem, summisque sub astra
Eductam tectis, unde omnis Troia videri,
Et Danaum solitae naves, et Achaia castra,
Aggressi ferro circum, quo summa labantis
Iuncturas tabulata dabant, convellimus altis
Sedibus, impulimusque; ea lapsa repente ruinam
Cum sonitu trahit, et Danaum super agmina late
Incidit. Ast alii subeunt; nec saxa, nec ullum
Telorum interea cessat genus.
Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus
Exsultat, telis et luce coruscus aena:

ter se: infelix sq. In postica palatii erant caecae fores et postes deserti, quos nemo, nisi domestici, intrabat. Si quis intrasset, in omnia conclavia venire poterat, nam usus tectorum erat pervius. Hanc loci esse sententiam arbitror.

Ad soceros. Hoc est: *Socerum et socrum.* Vide Burmannum ad Valer. Flacci VI. 274.

Avo puerum Astyanacta trahebat. Valer. Flaccus II. 551. *parvumque sub ubere caro Thessandrum portabat avo.* Claudian. III. Rapt. 373. *haec post cunabula dulci Ferre sinu summoque Iovi deducere parvam Sueverat.* Ioseph. Iscanus Bello Troiano V. 450. *ac parvum matris lamenta stupentem Astyanacta trahens.*

Evado ad summi fastigia culminis. Servius: » *E* vacat, ut *emortuus* Sane minus est *hac*, id est, *hac evado.*" Servius, ni fallor, vidit in aliis exemplaribus *Hac vado ad summi fastigia culminis.*

Et luce coruscus aena: Pro ET LVCE mallem GALEAQVE. *Luce coruscus aena* fere nimium est; vel accipi potest de *telis aenis;* nam *telis et aena luce* significat *telis aere splendentibus:* ut *patera libamus et auro*, et II. Aen. 734. *ardentis clypeos atque aera micantia cerno.* Quod hic dici non potest. Modestius etiam Val. Flaccus I. 485. *Horrentem iaculis et parmae luce coruscum.*

Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus,
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc, positis novus exuviis nitidusque iuventa,
Lubrica convolvit sublato pectore terga,
Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.
Una ingens Periphas, et equorum agitator Achillis,
Armiger Automedon, una omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, et flammas ad culmina iactant.
Ipse inter primos correpta dura bipenni

Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus. Wagnerus *in lucem convolvit* iungenda esse censet. Hoc iam Heynio parum commode fieri visum, qui vocabula *in lucem* corrupta putat, et coniicit *ingluviem*, vel *exsiluit*, vel *exsultat.* Burm. *e lustro.* Valcken. ad Theocrit. pag. 252. neque Burmanni neque Heynii coniecturas probat, et *ingluviem* postulare *satiatus* non *pastus* arbitratur. Schraderus vult *in lucis*, vel *in silvis.* Verum puto *in luco*, ut Virgil. III. Georg. 436. qui locus huic est simillimus, *in dorso nemoris.* Pyrrhus ita exsultat et splendet, ut coluber mala gramina in luco pastus, quum post hyemem novus, terga arduus ad solem convolvit, et ore micat. *Pastus gramina in luco* est poetica imago serpentis, qui in luco degere solet. Ita Silius XVII. 448. serpens *ferventi pastus arena.* et Virgil. X. Aen. 710. aper *silva pastus arundinea multos annos. Tumidum* appellat serpentem, non quia graminibus tumet, nam hyeme non edunt, et Virgilius illud momentum describit, quo ex terra, positis exuviis, quasi ad novam vitam redit, sicuti Silius XII. 6. *ceu condita bruma, Dum Riphaea rigent aquilonis flamina, tandem Evolvit serpens arcano membra cubili, Et splendente die novus emicat.* Vides talem serpentem non posse dici *cibo tumidum.* Fame potius laborant, ac propterea magis timendi sunt. *Tumidum* ergo appellat, quia ipsa terra, sub qua serpens latet, est *tumida*, ex quo tumore simul serpentis magnitudo intelligitur. Fortasse Virgilius noluit *tumida*, ne frequentius *a* repeteretur. Ad terram retulit Horat. Epod. XVI. *Neque intumescit alta viperis humus.* Statius IV. Theb. 95. *ceu lubricus alta anguis humo erigitur.* Duplex autem est comparatio Pyrrhi cum serpente, et in *impetu* et in *splendore.* Et impetus quidem non minima ratio habetur, quod apparet ex *arduus sublato pectore et linguis ore micantibus.* Wagnerus iudicat omnem comparationem esse in *armis coruscis.*

Limina perrumpit, postesque a cardine vellit
Aeratos; iamque excisa trabe firma cavavit
Robora, et ingentem lato dedit ore fenestram.
Apparet domus intus, et atria longa patescunt;
Apparent Priami et veterum penetralia regum,
Armatosque vident stantis in limine primo.

At domus interior gemitu miseroque tumultu
Miscetur; penitusque cavae plangoribus aedes
Femineis ululant; ferit aurea sidera clamor.
Tum pavidae tectis matres ingentibus errant,
Amplexaeque tenent postes, atque oscula figunt.
Instat vi patria Pyrrhus; nec claustra, neque ipsi
Custodes sufferre valent. Labat ariete crebro
Ianua, et emoti procumbunt cardine postes.
Fit via vi: rumpunt aditus, primosque trucidant
Immissi Danai, et late loca milite complent.
Non sic, aggeribus ruptis quum spumeus amnis
Exiit, oppositasque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnis
Cum stabulis armenta trahit. Vidi ipse furentem
Caede Neoptolemum, geminosque in limine Atridas.
Vidi Hecubam centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine foedantem, quos ipse sacraverat, ignis.

Vidi ipse furentem caede Neoptolemum. Waguerus dubitat an Virgilius recte Aeneam suis haec oculis cernentem fecerit. Durum, credo, erat Aeneae, haec videre, nec posse defendere. Ut in Catilinaria I. 1. *Senatus hoc intelligit, consul videt, hic tamen vivit.*

Sanguine foedantem, quos ipse sacraverat, ignis. Ennius in eadem re utitur *turpare: Iovis aram sanguine turpari.* Servius minus accurate interpretatur *cruentantem*, peius etiam alii *exstinguentem.* Priamo, ut seni, erat exiguus sanguis, quod multi, ad augendam atrocitatem, non omisere. Ovid. XIII. Metam. 409. *Exiguumque senis Priami Iovis ara cruorem Combiberat.* Iuvenal. Sat. X. 268. *Et ruit ante*

Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,
Barbarico postes auro spoliisque superbi,

aram summi Iovis, ut vetulus bos, Qui domini cultris tenue et miserabile collum Praebet, ubi Scholiast. Virgilii non obliviscitur. Seneca Agam. 656. *Vidi, vidi, senis in iugulo, Telum Pyrrhi vix exiguo Sanguine tingui.* Indignum et contra religionem erat, aras sanguine innocentis viri, et sacerdotis sanguine tingui. Arae ita *turpabantur*, foedabantur, hoc est *violabantur* et inquinatae fiebant. Proprie hostes *foedant* aras sanguine Priami. Et sic legitur in exemplo Sallustii, quod Servius citavit: *cum arae et alia diis sacra supplicum sanguine foedarentur.* Ubi scribendum puto *arae et altaria.* Recte autem Virgilius hoc loco abstinuit a verbo *exstinguendi*, quo alii interdum abusi sunt. Augustin. de Civitate Dei III. 28. *Scaevola ignem illum, qui perpetua cura Virginum semper ardebat, suo paene sanguine exstinxit.* Melius Lucanus II. 126. *Te quoque, neglectae violatu, Scaevola, Vestae, Ante ipsum penetrale deae, semperque calentes Mactavere focos: parvum sed fessa senectus Sanguinis effudit iugulo, flammisque pepercit.* Sentit Lucanus quam non recte ignis illo sanguine *exstinctus* esse diceretur. Similia quaedam annotavit Ciofan. ad Ovidii Metam. XV. 777. *facinusque repellite, neve Caede sacerdotis flammas exstinguite Vestae.* Maiore eum veritatis specie Silius IV. 411. *caedemque parentum, Vestalesque focos extingui sanguine cerno.* Cicero quidem nimio ardore abreptus fuit, quum pro Fonteio diceret cap. 17. *Prospicite ne ille ignis aeternus sacerdotis Vestae lacrymis exstinctus esse dicatur.*

Spes tanta nepotum. Cod. Pierii *quanta*, quod Burmanno arridebat. Mihi etiam. In Mediceo et aliis inventum *ampla*, quod corruptum puto ex *quanta*. Horat. I. Carm. XIII. *Oscula quae Venus Quanta parte sui nectaris imbuit.* Ubi narravi et Oudendorpium hic praeferre *quanta.*

Barbarico postes auro spoliisque superbi. Appositio illa *thalami postes*, nunquam mihi placuit, nec Virgilio dignam iudico. Melius: *Barbarico et postes.* Postes tantum partem thalamorum efficiebant, in quibus spolia figebantur. Splendidi isti thalami, et thalamorum postes procumbunt. In aliis Woodus reprehendit Virgilium, quod Aeneae, ipsi Phrygio, parum considerate hoc tribuit, ut aurum *Phrygium* appellet *barbaricum.* Tollius ad Apollonii Sophistae Lexicon Homericum pag. 740, iustam esse Woodi reprehensionem censet. Heynius dicit Aeneam apud Virgilium uti sermone Romano, adeoque usum eius sermonis sequi. Est ita. Sed ut Romanus nunquam *barbaricum* aliquid appellaret, quod erat

Procubuere. Tenent Danai, qua deficit ignis.
Forsitan et, Priami fuerint quae fata, requiras.
Urbis uti captae casum, convolsaque vidit
Limina tectorum, et medium in penetralibus hostem:
Arma diu senior desueta trementibus aevo
Circumdat nequidquam humeris, et inutile ferrum
Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostis.
Aedibus in mediis, nudoque sub aetheris axe,
Ingens ara fuit, iuxtaque veterrima laurus,
Incumbens arae atque umbra complexa Penates.
Hic Hecuba et natae nequidquam altaria circum,
Praecipites atra ceu tempestate columbae,
Condensae, et divom amplexae simulacra sedebant.
Ipsum autem sumtis Priamum iuvenalibus armis

Romanum, ita Aeneas *barbaricum* appellare non potest, quod erat Phrygium. Ergo *barbaricum* aurum est, barbaris, Phrygum inimicis in Asia, creptum. Ut ita interpretemur, suadet quoque additum *spoliis*. Atque haec interpretatio iam in Servianis apparet: *a barbaris capto*. Quod poetae, et Ennius, quem Virgilius expressit, *aurum* Phrygium vocant *barbaricum*, hinc non sequitur Aeneam hoc vocabulum recte usurpasse. Ostendenda sunt exempla bonorum scriptorum, ubi Troiani *res Troianas* vocant *barbaricas*. An verba *adstante ope barbarica*, apud Ennium in Andromache, sint ipsius Andromaches, non satis constat. Nonius in voce *committere* servavit haec Pacuvii, quae non satis accurate tractavit Burm. ad Valer. Flacci II. 111. *Barbaricam pestem navibus nostris obtulit*, *Nova figura factam*, *commissam infabre*. Recte Pricaeus emendavit *vestem*. Si haec sumta sint ex fabula Troiana, credibile est, Graecum loqui, quibus nova esset figura *vestis barbaricae*. Unicus exstat locus Senecae Troad. 782. *non barbarica prisco templa saltatu coles*. Loquitur Andromache ad filium. Ergo *barbarica templa* sunt *Troiana*. Seneca Virgilii *aurum barbaricum* male interpretatus est, sicuti iam alii interpretabantur, quod constat ex Servianis. Eurip. Troad. 18. *πολὺς δὲ χρυσὸς, Φρύγιά τε σκυλεύματα πρὸς ναῦς Ἀχαιῶν πέμπεται: aurum* quidem et *spolia* coniunxit, sed alia significatione, quam Virgilius.

Sumtis Priamum iuvenalibus armis. Si fuerint arma *iuvenalia* et

Ut vidit. Quae mens tam dira, miserrime coniunx,
Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget; non, si ipse meus nunc adforet Hector.
Huc tandem concede; haec ara tuebitur omnis,
Aut moriere simul. Sic ore effata, recepit
Ad sese, et sacra longaevum in sede locavit.
Ecce autem elapsus Pyrrhi de caede Polites,
Unus natorum Priami, per tela, per hostis,
Porticibus longis fugit, et vacua atria lustrat
Saucius. Illum ardens infesto volnere Pyrrhus
Insequitur, iam iamque manu tenet, et premit hasta.
Ut tandem ante oculos evasit et ora parentum:
Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.
Hic Priamus, quamquam in media iam morte tenetur,
Non tamen abstinuit, nec voci iraeque pepercit.

senilia, quorum discrimen in pondere spectatum fuisse oportet, intelligendum erit de ardore Priami, quasi senectutis oblivisceretur. Sed quis in tali ardore de discrimine armorum cogitat? Mallem *iuvenaliter*. Ovid. III. art. 733. *iuvenaliter arcum corripit*. Valerius tamen Flaccus *iuvenalibus* legisse videtur I. 759. *ferrumne capessat Imbelle atque aevi senior gestamina primi.*

Porticibus longis fugit, et vacua atria lustrat. Haec nota erant Lucano X. 460. *incerto lustrat vacua atria cursu:* et Valerio Flacco I. 728. *talem incita longis Porticibus coniuxque fugit.*

Premit hasta. Illud *premit*, ita cum *insequitur* et *iamiamque tenet* coniunctum, Latine vix aliter accipi potest, quam, Pyrrhum vestigiis Politae cum hasta inhaerentem. Polites iam erat saucius, sed eo momento, quo vulnus acceperat, caedem evasit. Pyrrhus eum fugientem insequitur vulnere infesto, iterum vulnerans, dum insequitur vulnerat, fugit tamen Polites, et mortuus concidit ante ora parentum.

Hic Priamus, quamquam in media iam morte tenetur, Non tamen abstinuit. Wagner. Quaest. Virgil. XIV. c. hanc regulam statuit: »*in media morte tenetur*, de ipso moriendi articulo: *morte tenetur*, qui iam mortuus est.” Ego hanc regulam statui: *aliquis est in media morte*, in magno mortis periculo, quando tamen

At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
Di, si qua est coelo pietas, quae talia curet,
Persolvant grates dignas, et praemia reddant
Debita, qui nati coram me cernere letum
Fecisti, et patrios foedasti funere voltus.
At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo; sed iura fidemque

spes superest: *in extrema morte*, tanto periculo, ut spes non supersit: *morte tenetur*, mortuus est. *Tenetur in morte*, Latine non dicitur. Quare, mutata distinctione, scribendum coniicio: *Hic Priamus, quamquam in media iam morte, tenetur Non tamen, abstinuit nec voce, iraeque pepercit.* Exempla ostendent, quam frequens sit iste poetarum usus. Valerius Flaccus I. 821. *In media iam morte senes conspiciunt.* III. 325. *media tendentem mihi morte manus.* Silius V. 408. *superosque reposcit Tempora promissae media iam morte senectae.* Statius XI. Theb. 554. *fraudemque supremam In media iam morte parat.* Seneca Thyest. 487. *Serum est cavendi tempus in mediis malis. Extrema in morte* est apud Virgil. Aeneid. II. 447. *Non tenetur* quam Latinum sit, vel ex unico Ciceronis loco apparet ad Atticum XV. Epist. 14. *Teneri non potui, quin tibi declararem.* Erat autem Priamus in magno vitae periculo, non in ipso moriendi articulo. Nam si tacuisset et armis abstinuisset, ara, credo, et aetas eum a morte tueri potuisseut.

At tibi pro scelere. Silius XIII. 697. *Di quaeso, ut merita est, dignas pro talibus ausis Carthago expendat poenas.*

Si qua est coelo pietas. MS. Leid. *Si qua in coelo.* Quod mihi placet.

Patrios foedasti funere voltus. Ovid. Heroid. VI. 149. *Pellicis ipsa meos implessem sanguine vultus.*

Talis in hoste fuit Priamo. Ovid. III. Pont. III. 41. *At non Chionides Eumolpus in Orphea talis.* Ubi dicere non potuit *Orpheo*. Scholiast. in Ciceron. Verr. I. 1. non recte docet Virgilium hic debuisse dicere *in hostem*. Differunt ista. *In hoste* universum aliquid significat, *in hostem*, speciale. Annotavi iam quaedam ad versum: *dolus an virtus, quis in hoste requirat*, ubi mireris Burmannum explicare *in hostem*, quum ipse meliora docuerit ad Ovidii Metam. IX. 274. Livius I. 28. ubi rex Tullus de Metto Suffetio: *audeat deinde talia alius, nisi in hunc insigne iam documentum dedero.* Scribendum est *in hoc*. In Metto documentum, exemplum, dabo, Mettus erit documentum et exemplum ne quis iterum talia audeat. Longe aliud

Supplicis erubuit, corpusque exsangue sepulcro
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.
Sic fatus senior, telumque imbelle sine ictu
Coniecit, rauco quod protinus aere repulsum,
Et summo clipei nequidquam umbone pependit.
Cui Pyrrhus: Referes ergo haec, et nuntius ibis
Pelidae genitori. Illi mea tristia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere. Hoc dicens, altaria ad ipsa trementem
Traxit et in multo lapsantem sanguine nati,
Implicuitque comam laeva, dextraque coruscum

est documentum *dabo in hunc*, nimirum documentum poenae, nova et inusitata tormenta, quae pro documento et exemplis narrentur, sicuti dicimus *edere* et *facere exempla in aliquem:* quod melius explicatum est ab Oudendorpio ad Caesaris B. Gall. I. 31. quam a Ruhnkenio ad Terentii Eunuch. V. IV. 24.

Sic fatus senior, telumque imbelle sine ictu Coniecit. Inepte haec amplificavit Silius V. 568. *Immemor annorum, seniumque oblitus in arma Ille quidem cruda mente et viridissimus irae Ibat, sed vani frigentem in Marte senectam Prodebant ictus: stipula crepitabat inani Ignis iners, cassamque dabat sine robore flammam.* Haec demum est illa ars pariendi fastidii, orta ex studio omnia dicendi, quae dici possint.

Illi mea tristia facta. Veteres Grammatici interpretantur *illic.* Et loca *infera* sic saepe indicantur, euphemismi cuiusdam causa, ut Graecorum ἐκεῖ. Explicavi ad Xenoph. Ephesium pag. 284. Adde Senecam Herc. Oet. 934, ubi nutrix dixerat, *Defende saltem dexteram infelix, tuam* — Deianira respondet: *Defendar illic. Inferi absolvent ream.* Similia autem sarcasmi exempla collegit Zinzerlingius ad Valerii Flacci IV. 313. Suetonius crudelem iocum Tiberii, cap. 58, narravit: *Scurram, qui praetereunte funere elato, mortuo mandarat, ut nuntiaret Augusto, nondum reddi legata, quae plebi reliquisset, attractum ad se, recipere debitum, ducique ad supplicium imperavit, et patri suo verum referre.*

Implicuitque comam laeva. Seneca Troad. 44. *Vidi exsecrandum regiae caedis nefas, Ipsasque ad aras maius admissum scelus Aeacidae armis: cum ferox saeva manu Coma reflectens regium torta caput, Alto nefandum vulneri ferrum abdidit.* Ibi Gronov. vere coniecit *laeva manu.*

Extulit ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
Haec finis Priami fatorum; hic exitus illum
Sorte tulit, Troiam incensam, et prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asiae. Iacet ingens litore truncus,
Avolsumque humeris caput, et sine nomine corpus.
At me tum primum saevus circumstetit horror.
Obstupui; subiit cari genitoris imago,
Ut regem aequaevum crudeli volnere vidi
Vitam exhalantem; subiit deserta Creusa,
Et direpta domus, et parvi casus Iuli.

Pro *Aeacidae* Scaliger legebat *Aeacidis*, Gronov. *Aiacis*. Mallem: *admissum scelus: Aeacida Pyrrhus cum ferox* sq. Waguerus *Aeacidae* retinendum putat. Dubito an secunda in eo vocabulo produci possit.

Haec finis Priami fatorum; hic exitus illum Sorte tulit. Iam in antiquis MSS. legebatur *hic finis*, quod Gellius Noct. A. XIII. 20, durum et absonum vocavit. Fortasse, quia litera *i* sic frequentius recurreret. Aeneas autem supra in principio huius narrationis dixerat: *Forsitan et Priami fuerint quae fata, requiras.* Absoluta narratione, subiungit: *haec fuit finis fatorum.* Melius tamen iudicarem: *Haec finis Priamo: fatorum hac exitus illum Sorte tulit.* Ita Priamus vitam amisit, hunc exitum fata habuere, quae eum tam misero modo abstulere. *Hac* etiam Heinsius coniecerat. In vulgatis multa sunt incerta, praecipue in illo *exitus eum tulit sorte*. Silius X. 305. *Hic finis Paulo: iacet altum pectus et ingens Dextera.* Lucanus VIII. 701. *Hac fortuna fide Magni tam prospera fata Protulit, hac illum summo de culmine rerum Morte petit.* Ubi multi, et merito, *sorte* praeferunt. Uterque locus nostram rationem confirmat. Si non scribatur *hac sorte*, et *sorte* solum ponatur, significat *fato:* quod hic non convenit.

Regnatorem Asiae. Poetae veteres hoc Priamum titulo ornabant. Unde et Cicero de Divinat. I. 40. *Priamus rex Asiae.*

Avolsumque humeris caput, et sine nomine corpus. Fronto pag. 492. *amissumque.* Sed corruptum. Nam statim sequitur *avulso ab illo.* Fronto autem accepit *humeris* in dativo casu. Respexere Iuvencus Lib. III. *Corporis et lacerum flentes sine nomine truncum Discipuli condunt terrae.* Ambros. Hexaem. VI. 8. *Si caput desit, iacet truncus ignobilis, sine honore, sine nomine.*

Respicio, et quae sit me circum copia lustro.
Deseruere omnes defessi, et corpora saltu
Ad terram misere aut ignibus aegra dedere.
Iamque adeo super unus eram: quum limina Vestae

Iamque adeo super unus eram. Viginti duo versus hinc usque ad, *Quum mihi se non ante oculis*, in plurimis et optimis MSS. desunt, excepto vetere illo Palatino. Nec Servius eos interpretatur. Broukhusius annotavit in suo quoque libro non inveniri. In Servianis haec leguntur: »Post hunc versum hi versus fuerunt, quos Tucca et Varus obliti sunt: *iamque adeo super unus eram* caet. versus enim refert usque illum *Talia iactabam* caet. in quibus hae variae lectiones sq." Haec annotatio est recentioris Scholiastae, qui annotationem Servii truncavit. Sententia est: Servius hic apposuit viginti et unum versus, quorum primus *Iamque adeo super unus eram* caet. Servius enim et reliquos versus usque ad *Talia iactabam* retulit, quos non repetam, sed annotabo varias MSS. lectiones. In MS. Menag. manus recentior addidit: »ista metra non sunt de textu:" in D'Orvill. »Tucca et Varus detraxerunt haec Virgilio carmina, quum emendarent hunc librum iussu Octaviani." In MS. Cortii: »Tucca et Varus hoc non competere stilo heroico, quia turpe esset viro forti in mulierem manus iniecisse, illos subtraxerunt." Heynius iudicat hoc argumentum esse levissimum, gravius autem, quod Servius annotavit deinde, ideo fuisse sublatos, quia contrarii sunt, rei, quae in Aeneide VI. de Deiphobo et Helena narratur. Wagnerus et omnes hos versus viginti duos pro genuinis habet, et contraria illa in Aeneide VI. sic excusat, ut Virgilium, quod etiam historicis interdum accidit, qui e diversis fontibus hauriunt, sibi non constitisse arbitretur. Omnis sane haec quaestio est difficillima, de qua multum diuque cogitavi. Neque expedire potui, quin plura hic esse turbata statuerem. Versibus enim, quos alia literarum forma edidi, eiectis, aptam rerum seriem nanciscimur, adeo ut illa eiusdem esse videantur auctoris, alia manum interpolatricem signis haud obscuris prodant. Aeneas vs. 458 adscenderat *summi fastigia culminis* regiae Priami. Ibi et ipse pugnavit, et omnia, quae narrat, de morte Priami et alia, vidit. Conspecta morte Priami vs. 558, tum *primum* eum *saevus circumstetit horror*, et *subiit cari genitoris imago.* Respicit, quos socios etiam in culmine tecti habeat, an operae pretium sit manere, et pugnam continuare. Omnes socii eum deseruerant. Tum vero, dum respicit, videt omne Ilium in ignes consedisse et funditus everti, quod antea, in medio pugnae ardore non animadver-

Servantem et tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida adspicio; dant clara incendia lucem
Erranti, passimque oculos per cuncta ferenti.
Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros,
Et poenas Danaum et deserti coniugis iras

terat. Nulla igitur virtus amplius iuvabat. Neque turpe erat ita proelium relinquere, praecipue, quum properaret ad auxilium patri, uxori et filio ferendum. Quare *descendit* ex culmine tecti, et deo aliquo ducente, nam aliter hoc incredibile videretur, inter flammas et tela, salvus ad domum paternam pervenit.

Iamque adeo super unus eram. Sunt in versibus istis nonnulli pulchri, ac Virgilio digni: sed hinc non sequitur esse Virgilii. Erant saeculo tertio et quarto Romani poetae, qui singulos versus componebant pulcherrimos, sed in universo opere deficiebant. Ipsi recentiores Europaei, Vida, Fracastorius, Lotichius, multique Neerlandi, ea saepe protulerunt, quae Virgilius libens pro suis agnosceret. Burmannus annotavit *iamque adeo* esse Virgilianum. Credo. Sed, qui Virgilio falsa supponebant, rationem Virgilianam imitabantur.

Limina Vestae servantem. Templum Vestae erat in arce. Aeneas hic stat in culmine domus Priameiae. Quomodo tam subito in arcem venerit, latet. Heynius nos conficere iubet ex unico illo *erranti*. Additum oportuisset *relicto culmine*, vel simile aliquid.

Tyndarida adspicio. Helena sese in templo Vestae in ara abdiderat. Et, ut penitus intelligeremus, quam bene se abdidisset, poeta fecit latentem, tacitam, in secreta sede. Quomodo Aeneas Helenam ibi videre poterat, nisi sciret, aut quaereret, et praeterea Priami, Creusae et Ascanii oblivisceretur? Sed, dicit, *dant clara incendia lucem.* Templum, credo, Vestae ipsum ardere debuit, ut aliquis in interiore angulo abstrusus ab homine errante ac praetereunte conspici posset. Studium, quo Helena latebat, mox iterum ostenditur *abdiderat sese atque aris invisa sedebat.*

Erranti. Faciamus esse, erranti *per urbem ad arcem.* Erramus per urbem, vel viam ignorantes, vel viam unam alteram vitantes, vel animi causa. Aeneas nullam huiusmodi causam habebat.

Oculos per cuncta ferenti. Et hoc est otio ambulantium, vel prae metu omnia dispicientium. Sed Aeneas habebat hoc unicum consilium, ut, quoniam omni spe feliciter pugnandi deciderat, ad suos servandos et domum Auchisae properaret. Itaque vs. 633 eo recta tendit, et *flammam inter et hostes expeditur.*

Praemetuens, Troiae et patriae communis Erinys,
Abdiderat sese, atque aris invisa sedebat.
Exarsere ignes animo; subit ira cadentem
Ulcisci patriam, et sceleratas sumere poenas.
Scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenas
Adspiciet? partoque ibit regina triumpho,

Troiae et patriae communis Erinys. Ut Livius XXI. 10. *Hunc iuvenem tamquam furiam facemque belli odi.* Licet ibi melius addatur *fax*. Sed dubitari potest an Helena recte appelletur *furia Graeciae*, ab Aenea: Graecus eam sic merito appellaret. Si *patriam* accipis de patria Aeneae, *Troia et patria* vix bene coniunguntur, et *patria* statim redit. Tum *Erinys*, ut *Enyo*, a poetis plerumque *ipsum bellum*, *furor bellicus* nominatur. Denique convicium hoc est vehementius, nec pro sedato Aeneae ingenio nec more Virgiliano. Magis sapit tumorem Lucani et similium Lucano poetarum.

Invisa sedebat. Ambiguum satis *invisa*. Itaque triplici modo interpretantur: vel, non visa, vel, Deis invisa, vel, Troianis invisa.

Sceleratas sumere poenas. Qui innocentem occidit, is poenas sceleratas sumit. Heynius coniecit *sceleratae*. Atque omnis illa ferocia fervorem testatur non Virgilianum. *Scelerata*, *Erinys*, *nefas*, *invisa*.

Scilicet haec Spartam. Duodecim hi versus in editione Parmensi Bodoniana stellulis notati sunt, tamquam a Virgilio non compositi. Wagnerus annotavit: »Horum versuum praestantia, si forte exceperis *coniugiumque domumque* caet. per sese suum prodit auctorem." Sed ista versuum praestantia per sese, non sufficit. Quaeritur an sit loco et tempori opportuna. Si non sit, omnis praestantia, ut est, ita dicitur inepta. Vel mediocres poetae praestantes quosdam versus fecere. Sed videamus.

Scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenas. Haec et sequentia sunt nimis rhetorica, et dedecorant pietatem Aeneae, qui, vindictae studio et ulciscendae mulieris cupiditate, Anchisen et carissima pignora non curat. Iam Helena adspicere poterat Spartam et Mycenas, non *patrias Mycenas*. Sparta erat patria Helenae, non Mycenae. Et Mycenis regnabat Agamemnon, non Menelaus.

Partoque ibit regina triumpho. Ovid. Heroid. XVI. 333. *Ibis Dardanias ingens regina per urbes.* Quod poetae ante oculos esse potuit. Burm. et h. l. et alia attulit. Adde Senecae Herc. Oet. 619. *Cupit hic regi proximus ipsi Clarus latas ire per urbes.* Helena autem non triumphum reportavit. Igitur non proprie erit accipiendum. Verba tamen indi-

Coniugiumque, domumque, patres, notosque videbit,
Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris?
Occiderit ferro Priamus? Troia arserit igni?
Dardanium toties sudarit sanguine litus?
Non ita. Namque, etsi nullum memorabile nomen
Feminea in poena est nec habet victoria laudem,
Exstinxisse nefas tamen, et sumsisse merentis

eant, eam, Semiramidis cuiusdam instar, debellato hoste, pompa triumphali in urbem invehi.

Coniugiumque domumque patres notosque videbit. Wagnerus egregie ostendit hunc versum esse spurium. Ergo eiecit, et sub textu posuit. Mirus tamen ac prope felix error typothetarum pro *natosque* fecit *notosque*, quod Wagnerus edidit. Oudendorp. ad Appul. Metam. II. pag. 102. iam dubitabat an Virgilii esset. Laetor autem Wagnerum in his versibus tamen unum agnovisse spurium. Sua nimirum felicitas poetam hic deseruit. Alii versus longe meliores sunt, non tamen ideo genuini. Quod in suspectis unus est manifeste adulterinus, hoc meam opinionem commendat. Totus hic locus factus esse videtur ex Statio II. Theb. 362. *moenia cernes Coniugis et geminas ibis regina per urbes.* Unde apparet, hunc versum non esse eiiciendum, profectum scilicet ab eodem auctore, qui caetera finxit. Hic non est Virgilii, ergo et praecedens et sequens et caeteri omnes non sunt.

Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris. Subita sortis mutatio. Eadem paulo ante, poenas Danaum et deserti coniugis iras metuens, se abdidit.

Namque etsi. Placida deliberatio non convenit irae ac furori. Haec autem oratio caeteris Aeneae laudibus nimium officit. Poena feminea viro indigna, neque ea victoria gloriae sed potius dedecori habetur. Tamen laudabor, si Helenam interfecero, et gratum mihi erit cupiditatem vindictae explevisse.

Nec habet victoria laudem. Ovid. Heroid. XVII. 18. *Et laudem de me nullus adulter habet.*

Exstinxisse nefas. Durius de tali femina in carmine Heroico, ore ipsius Herois. Tum *scelus* pro *scelesto* usu cognitum est, *nefas* pro *nefario* non ita.

Sumsisse merentis laudabor poenas. Alii in genitivo alii in accusativo plurali accipiunt. *Poenas alicuius sumere* vix Latinum est, minus etiam *poenas merentes* pro *meritas*. Apud Tacitum *servitus intolerantior* Annal. III. 45. ubi Gronov. attulit Livianum *curas intolerantiores*, non sunt similia *poenis merentibus*. Servitus *intolerantior* est, quae non potest tole-

Laudabor poenas; animumque explesse iuvabit
Ultricis flammae, et cineres satiasse meorum.
Talia iactabam, et furiata mente ferebar;
Quum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, et pura per noctem in luce refulsit

rare vehementiam. Ita dicere possum *poena intolerantior*, quod idem est ac *tolerabilior*. Conf. et Duker. ad Flori IV. 12. *Poenae merentes*, quomodo explicari possint, non video.

Animumque explesse iuvabit Ultricis flammae. Verba magnum sonantia, sed nihil sinceri inest. Burman. dicit se non intelligere, nisi *flammam ultricem* capias pro *ardore*, quo animus Aeneae ad ulciscendum ferebatur. Coniicit *ultrici flamma*, ut Helenam in incendium mitteret. Non alienum a nostro poeta. Heynio duriter scriptum esse videtur, sive iungas *animum ultricis flammae*, sive *explesse flammae*. Wagnerus explicat: *animum ulciscendae cupidum ipsa ultione satiare.* Talia sunt poetae, ipsius correpti furore poetico, et nescientis quid diceret. Sanam rationem tumori condonant. Ira est describenda, omnia statim flammis et ignibus ardent. Hic Aeneae *exarsere ignes animo*, *ira subit* (ira prius subit, tum veniunt ignes) *animum explet ultricis flammae*, *furiata mente fertur*. Latinum erat *animum explesse*, minus Latinum *flammam animi* explesse, minime *explesse animum flammae* vel flamma. Animus Aeneae tam irati iam plenus erat flammae. Homo potuisset scribere: — *iuvabit, Ultrici et flamma cineres satiasse meorum*, Helenam in flammas inicere.

Cineres satiasse meorum. Aliquis *satiatur*, qui vindictam sitit. Quamquam non erat, cur Troiani Helenam amarent, ita tamen non oderant. Cineres Hannibalis clade Romanorum in Africa *satiari* possunt, non Troianorum, morte Helenae. Non dicitur nisi de odio implacabili ac diuturno. Liv. XXI. 10. *Non manes non stirpem eius conquiescere viri.* Ovid. Metam. XII. 504. *Cinis ipse sepulti In genus haec saevit.* Seneca Troad. 957. *Cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulus sitit.*

Quum mihi se, non ante oculis tam clara. Non legimus apud Virgilium Venerem ante hunc diem Aeneae apparuisse. Neque hoc fiebat, nisi in rebus gravissimis. Aeneas de ista praesentia loquitur, quasi quotidie fieret. Servius errat, quum dicit, »Venerem hic apparuisse divino habitu, quia in primo venatricis habitu se obtulerat." Nam quod in libro primo narratur, diu post captam Troiam accidit.

Pura per noctem in luce refulsit. At *clara incendia dabant lucem.* Non erant tenebrae.

Alma parens, confessa deam, qualisque videri
Coelicolis et quanta solet; dextraque prehensum
Continuit, roseoque haec insuper addidit ore:
Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?
Non prius adspicies, ubi fessum aetate parentem
Liqueris Anchisen? superet coniunxne Creusa,
Ascaniusque puer? quos omnis undique Graiae
Circum errant acies, et, ni mea cura resistat,
Iam flammae tulerint, inimicus et hauserit ensis.

Confessa deam. Ovid. III. Metam. 2. *Iamque deus, posita fallacis imagine tauri, Se confessus erat.*

Dextraque prehensum continuit. In Servianis haec leguntur: »ea corporis parte, qua Helenae ictum minabatur, quae in templo Vestae stabat ornata (l. ad aram). Ut enim in primo diximus, aliquos hinc versus, qui superius notati sunt, constat esse sublatos, nec immerito. —— Hinc autem versus esse sublatos, Veneris verba declarant dicentis: *Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacaenae.*" Verba Servii *in primo* leguntur in ed. Burm. pag. 2. Vere ille animadvertit poetam hic respicere ad antecedentia. Itaque totus locus, ut reor, est spurius, vel totus genuinus. Si Tucca et Varius omnes hos versus legerint, non credibile est, partem levi de causa fuisse detracturos, et Aeneidem ita truncaturos. Facili opera omne hoc de Helena episodium sic mutare potuissent, ut Virgilianae maiestati convenisset. Sed de Tucca et Vario est commentum. Poetae Grammatici istorum nomine ad fraudes celandas abutebantur.

Insuper addidit. Valde otiosum *insuper.* Nemo requiret.

Quonam nostri tibi cura recessit? Obscurum. Heynius: »ut Anchisen, a Venere amatam, tueatur ac servet: nisi reverentia est, quam Venus exigit in hoc, ne Helenae, quam ipsa tuebatur, iniuriam faceret." Fateor me non intelligere, in qua re Aeneas Venerem non curaret, pietatem erga illam oblivisceretur. De amore Veneris et Anchisae, *confecti aetate parentis*, ridiculum est. De Helena, merae tenebrae.

Non prius adspicies. Comicum. Et minus decora admonitio neque laudanda in *pio* Aenea, illo, cui subierat *cari genitoris imago*, ut dicit Virgilius brevi illa et maiestatis plena gravitate.

Superet coniunxne Creusa. Et ipsa Venus dicit, se omnes sua cura servasse et servare.

Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacaenae,
Culpatusve Paris; divom inclementia, divom,
Has evertit opes, sternitque a culmine Troiam.
Adspice: namque omnem, quae nunc obducta tuenti
Mortalis hebetat visus tibi, et humida circum
Caligat, nubem eripiam: tu ne qua parentis
Iussa time, neu praeceptis parere recusa.
Hic, ubi disiectas moles avolsaque saxis
Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum,

Non tibi Tyndaridis facies. Locus communis poetarum, ad fastidium ex Homero aliisque repetitus. *Facies Lacaenae* et *Paris* sufficiunt. Epitheta superflua videntur. Et si de facie Helenae loquitur, ea erat tanta, ut vel Troiani agnoscerent: οὐ νέμεσις κ.τ.λ. Quintil. VIII. 4. versum Homeri laudat, et addit: *Ipse rex Priamus, decenni bello exhaustus, imminente summo discrimine, cui faciem illam, ex qua tot lacrymarum origo fluxisset, invisam atque abominandam esse oportebat, et audit haec, et eam filiam appellans iuxta se locat, et excusat etiam atque sibi esse malorum causam negat.* Diceres fere Quintiliano verba, de quibus agimus, non fuisse ignota.

Tu ne qua parentis iussa time. Heynius, qui modo locum pulcherrimum ac sublimem miratur, dubitat an Virgilius haec, parum commode interposita, secundis curis relicturus fuisset. Wagnerus explicat: »ac ne forte matris iussa timeas, omnem nubem eripiam." Non video cur minus timeret iussa matris et minus recusaret praeceptis parere, si videret numina Troiam evertere, *et diras illas facies apparere.* Hostes iam satis erant timendi. Timor Aeneae, apertis ita oculis, augebatur. Ac fortasse hoc ipsum Venus voluit? Et quaenam sunt illa iussa et praecepta? *Eripe fugam et finem impone labori.* Parturiunt montes. Hoc ipse Aeneas sibi esse faciendum sciebat.

Hic ubi disiectas moles. Pulchri versus. Homerica imitatio. Rerum autem imago neque tempori neque loco consentanea. Aeneas iam Didoni tam multa et saepe de Troia vastata et incensa dixerat, ut illa satis intelligeret, urbem funditus esse deletam. Comparet mihi aliquis versus istos, et dicet, Graecos rem ita egisse, ut diis nihil agendum superesset. Et tamen hic dei, iisdem saepe verbis, studium Graecorum repetunt. Et quam inepte sequeretur: *Tum vero omne mihi visum considere in ignis Ilium, et ex imo verti Neptunia Troia.* Virgilius haec dicere non potuit, si antecedentia scripsisset.

Neptunus muros magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit, totamque a sedibus urbem
Eruit. Hic Iuno Scaeas saevissima portas
Prima tenet, sociumque furens a navibus agmen
Ferro accincta vocat.
Iam summas arcis Tritonia, respice, Pallas
Insedit, nimbo effulgens et Gorgone saeva.
Ipse Pater Danais animos viresque secundas
Sufficit; ipse deos in Dardana suscitat arma.
Eripe, nate, fugam, finemque impone labori.

Sociumque furens a navibus agmen. Iuno *saevissima*, Iuno *furens.* Nec pulchre *socii* deae, tali quidem loco. Nec quisquam Graecus amplius in navibus erat. *Ferro accincta vocat* in MS. D'Orvillii suppletur *saevasque accendit ad iras.* Si in antiquiore MS. legeretur, pro Virgiliano acceptum fuisset.

Iam summas arcis Tritonia, respice, Pallas insedit. Neptunus, Iuno, Iupiter Troiam vastant. Ergo et Pallas. Nescio enim quid otiosa in arce sederet. Et tamen dixit *insidet.* Pallas semper arces insidet, colit, tenet, ἔχει, unde πολιοῦχος. Sed omnia prioribus repugnant. Arx Troiana erat sacra Palladi. Serpentes, interfecto Laocoonte petunt *saevae Tritonidis arcem, Sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.* Mox, omnes dei *adytis arisque relictis, excessere.* Nunc Pallas in ea *arce sedet*, sive ut vastet, sive ut victrix Troianorum dea, in arce vastata.

Nimbo effulgens et Gorgone saeva. Nimbus non usurpatur, nisi de obscura nube. Ergo nimbus relucet a splendente Gorgone seu aegide. Ita Heynius. Imo, ait Wagnerus, *nimbus* rutilabat ab incendii flammis. Alii ad coniecturas veniunt. Bothius non male *in Gorgone saeva.* Sed *nimbus* manet. Possis *Insidet, umbone effulgens.* Esset tamen inane *umbo et clypeus.* Neque constat singularem aliquem in Gorgone fuisse *umbonem*, si fuerit umbo. Est illud *nimbo effulgens* nihil praeter sonum quendam, auribus insidiantem, qui animo non satisfacit.

Eripe, nate, fugam, finemque impone labori. Inauditum *fugam eripere.* Et quam indignum viro tam forti, ipsius virtutis exemplo, *fuga!* Aeneas *cedebat*, non *fugiebat*, ut leo ille Aeneid. IX. 793, qui *haud territus, asper, acerba tuens retro redit.* Virgilius magis decorum servat, dicens, Aeneam tum primum horruisse, quum cari genitoris imago ad conspectam Priami necem ipsi subi-

Nusquam abero, et tutum patrio te limine sistam.
Dixerat; et spissis noctis se condidit umbris.
Apparent dirae facies, inimicaque Troiae
Numina magna deum.
Tum vero omne mihi visum considere in ignis
Ilium, et ex imo verti Neptunia Troia;
Ac veluti summis antiquam in montibus ornum

bat, ac descendisse de culmine tecti, a cunctis desertum. Ipse Aeneas mox ad omnem auram tremebat, sed propter comites. Anchises exclamat: *Fuge, nate, propinquant.* Sed Anchises erat senex, et sibi et suis timebat. Praeterea Venus Aeneam tutum in limine patrio sisteret. Cur eadem tam anxia suadet, *ut fugam eriperet?* Idem Aeneas adhuc incolumis in atrocissimis pugnis et intrepidus manserat, cur via ad domum paternam adeo maioribus periculis esset exposita? Addidit poeta: *finemque impone labori.* Cui labori? *Pugnae* dicit Heynius. *Labor* sic solum de *pugna* non dicitur, sed de omnibus militiae aliarumque rerum periculis. Aeneas *laboribus* finem demum imponebat in Italia post devictos Rutulos. Poeta fortasse hoc voluit, et *fugam* intellexit de discessu ex Troade.

Spissis noctis se condidit umbris. Iterum *clara incendia* obstant.

Apparent dirae facies, inimicaque Troiae Numina magna deum. Heynius: »dum illa loquitur Aeneas, cernuntur dei occupati in evertenda Troia. Grande et miserabile phantasma! *Dirae facies*, non monstra, sed, *dirum visum.*" Sed Aeneas deos iam ita occupatos viderat, idque Venus ipsi ostenderat. Inanis adeo repetitio. Iam *facies* pluraliter sic non invenitur. Aeneid. VI. 560 est singularis. Haec in versibus istis quinquaginta septem reprehendi posse arbitrabar. Frustra tentavi mihi persuadere, ut pulchros indicarem. Nemini interea sensum suum invideo aut meum obtrudo. Omne autem hoc Episodium ita inter se aptum est et connexum, ut partem tollere non possis.

Tum vero. Aeneas respexerat. Omnes socii eum reliquerant. Stabat solus, ac dum respiciebat, tum vero, tum demum clare oculis videbat, quod antea, soli pugnae intentus, videre non potuerat, omne Ilium in cineres consedisse. Ita Sallust. Catil. 61. *Sed confecto proelio, tum vero cerneres, quanta audacia fuisset in exercitu Catilinae.* Tacit. Agricol. 37. *Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum.*

Ornum. Corrupta Servii verba *quo absente ad luchi conficeretur*, ut quidem in MS. Fuld. leguntur, Hemsterhusius emendat: *quod luctu conficeretur.*

Quum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolae certatim; illa usque minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat;
Volneribus donec paullatim evicta supremum
Congemuit, traxitque iugis avolsa ruinam.
Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostis
Expedior; *dant tela locum, flammaeque recedunt.*
Atque ubi iam patriae perventum ad limina sedis
Antiquasque domos, genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montis, primumque petebam,
Abnegat excisa vitam producere Troia,

Descendo. Heynius: *de arce*, quod iam factum vs. 570. *Erranti passimque oculos per cuncta ferenti.* Postremo lectores rogo, ut omnia, inter se comparent, et sentient, credo, nostra ratio quam sit facilior ac poetarum principe dignior.

Ducente deo. Salvus pervenit ad domum Anchisae, per medios hostes et flammas, quale periculum vix sine deorum auxilio, fatisque ita volentibus, evasisset. *Deo* absolute, ut I. Aen. 199. *dabit deus his quoque finem.* III. Aen. 715. *vestris deus appulit oris.* Et sic centies apud optimos poetas, quem singularem viri docti interdum non recte in pluralem mutavere, timentes ne esset haec ratio Christiana. Vide Burmann. ad Ovidii Art. III. 103. Et Graecum est θεοῦ διδόντος. Et sic explicari posse Heynius ostendit.

Dant tela locum, flammaeque recedunt. Ovidius his de Aenea idem fere dixit. Fast. IV. 800. *Innocuum victo cui dedit ignis iter.* Metam. XV. 441. *Flamma tibi ferrumque dabunt iter. Ibis, et una Pergama rapta feres, donec Troiaeque tibique Externum patrio continget amicius arvum.* Sed uterque locus de abitu ex Troade. Atque hoc additamentum mihi semper fuit suspectum. Suspectum et Heynio propter *flammam — flammaeque.* Wagnerus defendit. *Flammae*, ait, respondent praegresso *flammam*, ut tela praecedenti *hostis.* Hoc verum esse poterat, si Virgilius scripsisset v. c. *flammae et hostes undique impediunt. Expedior. Flammae recedunt, hostes dant locum.* Iam non satis elegans est *flammae*, ubi praecedit *flamma*, neque *tela*, ubi *hostes:* qualia haec dicemus, *expedior inter flammam, flammae recedunt?* Hoc idem est atque *expedior inter flammam, expedior inter flammas.* In tali sententia primum requiritur antithetum, deinde eadem vocabula.

Exsiliumque pati. Vos o, quibus integer aevi
Sanguis, ait, solidaeque suo stant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me si coelicolae voluissent ducere vitam:
Has mihi servassent sedes. Satis una superque
Vidimus excidia, et captae superavimus urbi.
Sic o, sic positum affati discedite corpus.
Ipse manu mortem inveniam. Miserebitur hostis,
Exuviasque petet. Facilis iactura sepulcri.

Vos agitate fugam. In MS. Franc. suppletum *et rebus servate secundis.*

Sic o, sic positum affati discedite corpus. Hic versus in Cod. Med. deerat. Additus tamen est in margine inferiore, loco, ubi insereudus, literulis notato. Si hoc in versu bono, et qui desiderari non poterat, accidisset, crederem negligentia librarii fuisse omissum. Nunc suspicor in exemplo, quod auctor Cod. Medicei expressit, non apparuisse, sed eum aliunde adiecisse. Heynius interpretatur: »me, quasi iam funus, sive iam efferendum sive iam sepultum, sic, ut sum, me affati, extremum illud *vale, vale*, sinite me ut sum, discedite." Et sic alii interpretantur. Nescio an haec sententia hinc deduci possit. *Sic positum* vel certum positi habitum indicat, ut IV. Aen. 681. *Sic te ut posita crudelis abessem*, id est, tam crudeliter occisa; vel, *sic temere positum*, humi abiectum. Sed tum Virgilius aliquid addidisset, unde intelligeremus Anchisem se in terram prostravisse. Anchises in seq. *haeret in iisdem sedibus.* Inprimis autem displicet *affati corpus* discedite, pro *me affati.*

Ipse manu mortem inveniam. Alii *mea manu*, alii *hostium manu.* Heyn. coniicit: *Ipse manu mortem inveniam, miserebitur, hostis.* Wagnerus: *Ipse manu mortem inveniam, aut miserebitur hostis.* Heynius mox *exuviasve petet.* Locus omnino obscurus, ex quo vix sani aliquid elicias. Et si Anchises adeo desperaret, non diceret se mortem sibi consciturum, sed tentaret. *Aut miserebitur hostis*, potius intelligendum esset, *hostis mihi parcet.* Sed tum erat servus, et in deteriore conditione. Quas autem *exuvias* hostis peteret a debili sene, cui neque animus neque vires pugnandi essent?

Facilis iactura sepulcri. Vox vel sceleratorum, qui deos et omnia humana contemnebant, vel eorum, qui sapientes erant aut haberi volebant. Neutrum ingenio senis, et senis Anchisae convenit. Omitto alias et huius et caeterorum versuum maxime discrepantes interpretationes. Hinc certe il-

Iam pridem invisus divis, et inutilis, annos
Demoror, ex quo me divom pater atque hominum rex
Fulminis afflavit ventis, et contigit igni.
Talia perstabat memorans, fixusque manebat.
Nos contra effusi lacrimis, coniunxque Creusa,
Ascaniusque, omnisque domus, ne vertere secum
Cuncta pater, fatoque urguenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque et sedibus haeret in isdem.

Ind conficitur, eos vel esse corruptos, vel adeo obscuros et tam antiquae significationis, nt non sine multo labore ad aliquam intelligentiam pervenire possimus, eamque semper incertam. Hic valet illud — *aut videt, aut vidisse putat.* Non iste mos est castigati scriptoris. Abiiciamus potius antiquos poetas, quam miremur tamquam exempla omnis elegantiae, si in multis praeclaris tot inepta effuderint. Serviana hic duplicem ob causam afferri merentur: »Sane rhetorica suasio est: deliberatur enim de re ipsa, utrum fugiendum sit: et eius partes ita ponuntur, nt si qui dissuadet, an supervivendum patriae, quod ideo aperte non dicit, ne caeteros a fuga dehortari videretur; sed ait: *vos fugite, qui potestis:* a tempore, *satis una superque:* ab invitis (iratis) diis, *Iampridem invisus diis et inutilis annos Demoror:* sic quidem et illud colligitur, an debilis patriae superare debeat." Ex Servianis primum discimus, aptum haberi hunc locum suasioni vel controversiae rhetoricae. Tales loci vel erant tractati vel ad tractandum commendabantur, ae propterea periculo interpolationis, poeticae etiam, magis obnoxii. Deinde Servius tres versus, quos eiecimus, non apposuit. Postea quidem explicantur, sed novimus quid sint scholia, quae Servii nomine feruntur. Erat in istis quoque versibus deliberatio: utrum mors in tali causa sua ipsius manu consciscenda, an a manu hostili exspectanda, an viro bono et sene dignum sit sepulturam contemnere. Sed una fortasse causa, cur hos versus expungamus, sufficit, nempe haec: ex verbis Aeneae, *Anchises abnegat excisa vitam producere Troia* — intelligitur iam satis senem dixisse, *non conabor vitam servare.* Vita iam illi non amplius est vitalis. Quidquid addas, inprimis talia, est ornatus rhetoricus. Sedatum consilium magis ostendit animi constantiam et desperationem, quam oratio ista concitata. Qui sic minantur se sibi manus illaturos, retineri cupiunt.

Effusi lacrimis. Ita Valer. Flaccus VII. 34. *effunditur ira*, pro *in iram*, effundit iram.

Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto.
Nam quod consilium aut quae iam fortuna dabatur?
Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperasti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta Superis placet urbe relinqui,
Et sedet hoc animo, perituraeque addere Troiae
Teque tuosque iuvat: patet isti ianua leto;
Iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignis
Eripis, ut mediis hostem in penetralibus, utque

Patrio excidit ore. Apud Frontonem pag. 516 in MS. *primo.* Ex compendio *prio* pro *patrio*, ut arbitror.

Patet isti ianua leto. Maneamus hic modo. Brevi mortem inveniemus. Iam aderit Pyrrhus. Apparet etiam hinc, verba Anchisae de se occidendo esse spuria.

Iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus. MS. Montalb. *namque.* Quod nemini placere debet. *Iamque* est *iamiam*, cito. Valer. Flaccus II. 147. *Iamque aderunt.* Silius II. 208. *Namque aderat.* Ubi vere Heinsius mutavit *iamque aderat.* In Ven. legitur *multo maculatus sanguine.* Vulgatum ab auctore huius lectionis non recte captum videtur. *Adest de sanguine*, significat a fuso sanguine, postquam sanguinem fuderat. Graecum ἐκ. Herodot. I. 50. ὡς δὲ ἐκ τῆς θυσίης ἐγένετο. *Multo* non satis proprium in sanguine senis *exiguo.* Sensisse diceres antiquos interpretes. Servius: »*multo*, quasi bis sanguinem fuderit Priamus, quia et filium eius Pyrrhus occiderit." Heynius cum delectu positum putat, quia Pyrrhus sine omni Priami miseratione effudit. Quominus de sanguine Politae simul accipiamus, impedit additum nomen *Priami*, quod abesse mallem, quia melius ex versu *Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras*, tacite intelligitur. Si MS. non contemnendum praeberet *Iamque aderit multo maculatus sanguine Pyrrhus*, hoc amplecterer.

Natum ante ora patris. Hegesippus de Excidio Hieros. V. 22. *quam crudelis sit, qui filios ante ora patris iugulat.*

Hoc erat — quod me per tela, per ignis Eripis. Ratio linguae poscit *eriperes, ut cernerem.* Scribendum puto: *Hoc erat, alma parens? Sic me per tela, per hostes Eripis* sq. *Hoc erat*, ut Aeneid. IV. 675. *Hoc illud, germana, fuit? Me fraude petebas?* Claudian. Bello Gild. 236.

Ascanium, patremque meum, iuxtaque Creusam,
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
Arma, viri, ferte arma; vocat lux ultima victos.
Reddite me Danais; sinite instaurata revisam
Proelia. Nunquam omnes hodie moriemur inulti.
Hinc ferro accingor rursus, clipeoque sinistram
Insertabam aptans, meque extra tecta ferebam.
Ecce autem complexa pedes in limine coniunx
Haerebat, parvumque patri tendebat Iulum:
Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum;
Sin aliquam expertus sumtis spem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum. Cui parvus Iulus,
Cui pater, et coniunx quondam tua dicta relinquor?
Talia vociferans gemitu tectum omne replebat:
Quum subitum dictuque oritur mirabile monstrum.
Namque manus inter moestorumque ora parentum
Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia mollis

Hoc erat? in fratres medio discordia Mauro Nascitur? Elegans Ironia sic. Aeneid. I. 253. *Hic pietatis honos? Sic nos in sceptra reponis?*

Alma parens. Hic nominat Venerem matrem, quod supra universe *ducente deo*, dixit.

Ascanium, patremque meum. Cod. Francianus *Ascanium Anchisemque patrem.* Elegantius.

Alterum in alterius mactatos sanguine cernam. Lucan. IX. 160. *Et sacer in Magni cineres mactabitur Apis.* Ubi Scholiasta h. l. Virgilii citavit. Frustra MS. Hamb. *iactantes*, unde Heins. *iactatos*.

Reddite me Danais. Ovid. Metam. XIII. 78. *Redde hostem.*

Nos rape in omnia tecum. Virgil. Aeneid. IX. 277. *comitem casus complector in omnes.* Valer. Flaccus I. 763. *Me quoque, ait, casus comitem, quicunque propinquat, Accipies.* Hinc tamen *cape* in Virgilio, quod in MS. D'Orv. legitur, defendere nolim.

Ecce levis summo de vertice. Locum respexit Claudian. Consul. IV. Honorii, 192. *ventura potestas Claruit Ascanio, subita cum luce comarum Innocuus flagraret apex, Phrygioque volutus Vertice fatalis redimiret tempora candor.*

Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.
Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, et sanctos restinguere fontibus ignis.
At pater Anchises oculos ad sidera laetus
Extulit, et coelo palmas cum voce tetendit:
Iupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Adspice nos hoc tantum; et, si pietate meremur,
Da deinde auxilium, pater, atque haec omina firma.
Vix ea fatus erat senior: subitoque fragore

Adspice nos hoc tantum. Antea distinxerant, *adspice nos; hoc tantum.* idque explicabant *nihil aliud abs te peto.* Wagnerus mutavit, et in Cod. Med. confirmatum vidit. Explicat: »omnis Troianorum fortuna quum corruerit, hanc tantum eius partem adspice." In Servianis interpretatio deest.

Da deinde auxilium, pater, atque haec omina firma. Nescio in qua re differant *adspice nos* et *da auxilium.* Dicerem explicative esse adiectum *da deinde auxilium*, nisi verba, *si pietate meremur*, novas preces et aliud, a superioribus diversum, indicarent. Pro AVXILIVM scribendum puto AVGVRIVM. Iupiter, qui nobis hoc omen in capite Iuli dedisti, da, si meremur, nunc etiam, adde, augurium, quo illud omen confirmetur, et intelligamus, nos hinc non frustra bonam spem concipere. Solebant deos rogare, ut auguria ostenderent. Liv. I. 18. *Tum augur: Iupiter pater, si est fas, hunc Numam Pompilium regem Romae esse, at tu signa nobis certa acclarassis.* Accepit Anchises *augurium*, quod rogavit. Illud augurium his verbis agnovit: *vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troia est.* Atque Servius *augurium* legisse videtur, qui ad *intonuit laevum* annotavit: »Pontificalis inducitur disciplina: nam ostendit Anchisen, cum vellet (l. *nollet*, vel mox *commonitus*) fugam filii sequi, omine, quod de Ascanii capite se obtulit, commonitum, petisse de coelo confirmationem." Petit confirmationem ominis, quae confirmatio erat *augurium.* Heynius ex Scholiis Pomponii Sabini lectum fuisse *auspicium* pro *auxilium* putat. Habet hoc Scholion difficultatem non unam: *Probus ait:* atque haec omina firma, *nisi enim petiisset omina, nunquam confirmari optasset. Et Apronianus* auxilium *legit, ut sit: da deinde auxilium pater et firma omina.*

Subitoque fragore. Vix fatus erat, et intonuit, celeritatem rei secutae indicat. Morem Virgilianum optime illustravit Wagnerus Quaest. XXXV. 6. Plautus Mostell. V. 1. 9. *Quem cum*

Intonuit laevum, et de coelo lapsa per umbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam, summa super labentem culmina tecti,
Cernimus Idaea claram se condere silva,
Signantemque vias; tum longo limite sulcus
Dat lucem, et late circum loca sulfure fumant.
Hic vero victus genitor se tollit ad auras,
Affaturque deos, et sanctum sidus adorat.
Iam iam nulla mora est; sequor, et, qua ducitis, adsum.
Di patrii, servate domum, servate nepotem!
Vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troia est.
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso.
Dixerat ille; et iam per moenia clarior ignis
Auditur, propiusque aestus incendia volvunt.
Ergo age, care pater, cervici imponere nostrae;
Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit;
Quo res cumque cadent, unum et commune periclum,
Una salus ambobus erit. Mihi parvus Iulus
Sit comes, et longe servet vestigia coniunx.
Vos, famuli, quae dicam, animis advertite vestris.
Est urbe egressis tumulus templumque vetustum
Desertae Cereris, iuxtaque antiqua cupressus,
Religione patrum multos servata per annos:
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.

convocavi, atque illi me e senatu segregant. Vide Burmann. ad Phaedri I. 16. Liv. XXXVI. 39. *Hic Quintium, simul pugnantem hortantemque suos, incautum hasta transfigit: ille atque praeceps cum armis procidit ante proram.* Ubi scribendum iudico: *atque ille praeceps.*

Sequor, et, qua ducitis, adsum. Valer. Flaccus IV. 674. *Sequor, o, quicunque Deorum, Aesonides, vel fallor, ait.* Ubi legendum *nec fallor.* Quicunque deorum es, deus es certe, nec fallor.

Ergo age. Est reprehendentis tarditatem. Vide Burm. ad Ovid. Art. I. 343.

Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates.
Me, bello e tanto digressum et caede recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.
Haec fatus latos humeros subiectaque colla
Veste super fulvique insternor pelle leonis,
Succedoque oneri. Dextrae se parvus Iulus
Implicuit, sequiturque patrem non passibus aequis.
Pone subit coniunx. Ferimur per opaca locorum.
Et me, quem dudum non ulla iniecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graii,
Nunc omnes terrent aurae, sonus excitat omnis,

Haec fatus, latos humeros. Servius: »Aut more Heroum se laudat: aut certe sternendo *latos* facit. Vel *latos*, sufficientes vecturae: vult enim ostendere tantum se ad onus praebuisse." Possimus fortasse in eo acquiescere, ut interpretemur: *humeros tam late, quam licebat, insternor.* Non tamen plane satisfacit, neque *latos* singularem hic adeo vim addit, ut Virgilius propterea versum reliquisset ita imperfectum et ex unico vocabulo constantem. Coniicio eum dedisse: *Abluero. Haec fatus humeros subiectaque colla.* Mutarunt, credo, Grammatici, timentes ne postrema in *fatus* produci posset. *Humeri* melius epitheto carent. Virgilius Homericam simplicitatem cum iudicio sequitur. Aeneas apud Homerum recte de se dixisset εὔρεας ὤμους. Apud Virgilium minus. Schol. Maii *latos* etiam defendit, ita ut fuisse appareat, qui reprehenderent: »iure dictum est *latos*, nec notanda iactantia est in veritate."

Sequiturque patrem non passibus aequis. Pulchre Servius: »Bene de praesenta puero, qui, ut putabatur, inter manus reginae (Didonis) erat positus, expressit affectum." Imitationes poetarum observa. Valer. Flacc. III. 486. *Haeret Hylas lateri, passusque moratur iniquos.* Silius IV. 30. *dextra laevaque trahuntur Parvi non aequo comitantes ordine nati.*

Nunc omnes terrent aurae. Seneca Epist. 56 laudat h. l. et addit: *hic alter imperitus est, rebus suis timet, ad omnem crepitum expavescens.* Statius Silv. IV. v. 27. *Ut Castor ad cunctos tremebat Bebryciae strepitus arenae.* Silius VI. 58. *Sonus omnis et aura Exterrent, pennaque levi commota volucris.* Orosius VI. 4. *ad omnes nocturnos strepitus trepidans.*

Suspensum et pariter comitique onerique timentem.
Iamque propinquabam portis, omnemque videbar
Evasisse viam: subito quum creber ad auris
Visus adesse pedum sonitus, genitorque per umbram
Prospiciens, Nate, exclamat, fuge, nate; propinquant.
Ardentis clipeos atque aera micantia cerno.
Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum
Confusam eripuit mentem. Namque avia cursu
Dum sequor, et nota excedo regione viarum,
Heu! misero coniunx fatone erepta Creusa
Substitit, erravitne via, seu lassa resedit,
Incertum; nec post oculis est reddita nostris;
Nec prius amissam respexi, animumve reflexi,
Quam tumulum antiquae Cereris sedemque sacratam
Venimus: hic demum collectis omnibus una

Evasisse viam. Recte Wagnerus retinuit. Heynius, ut alii, receperant emendationem Marklandi *vicem*. Quod Heynius dixit, Aeneam nondum omnem viam esse emensum; Aeneas hoc putabat, sibi *videbatur* iam evasisse. *Via* est ea, quam cum suis constituerat. Finis erat fanum desertae Cereris. Eo iam propinquabat, nam erat fanum statim extra urbem.

Propinquant. Mira annotatio Servii: »non dicit *qui*, propter sequentem de C rybantibus oeconomiam."

Ardentis clipeos atque aera micantia cerno. Veteres Critici tribuenda haec verba putant Aeneae, quia Anchises erat caecus. Sed Virgilius Anchisen nusquam ut caecum proposuit. Potuisset alioquin carmen hic illic propterea ornare, quamquam ea caecitas poetam in multis rebus impedivisset. Et recte *cernit* Anchises, ex humeris Aeneae. Longius prospiciebat et respiciebat.

Heu! misero coniunx fatone erepta Creusa Substitit. Servius: »ordo est: fato erepta Creusa, substititne an erravit via." Heynius: »coniunx mihi misero erepta Creusa fatone substitit, an erravit de via, an lassa resedit." Coniunx Aeneae, quaecunque fuerit caussa cur in hostium potestatem venerit, semper fato est erepta. Mallem: *Heu! misero coniunx fato est erepta Creusa: Substitit, erravitne via, seu lassa resedit, Incertum: nec post oculis est reddita nostris.* Coniunx mihi misero erepta est fato, sive substitit, sive erravit, sive resedit. Nescio, neque eam postea vidi.

Defuit, et comites, natumque, virumque fefellit.
Quem non incusavi amens hominumque deorumque?
Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?
Ascanium, Anchisenque patrem, Teucrosque Penates
Commendo sociis, et curva valle recondo;
Ipse urbem repeto, et cingor fulgentibus armis.
Stat casus renovare omnis, omnemque reverti
Per Troiam, et rursus caput obiectare periclis.
Principio muros obscuraque limina portae,
Qua gressum extuleram, repeto, et vestigia retro
Observata sequor per noctem et lumine lustro.
Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Hominumque deorumque. Versus hypermeter hic, ut saepe, habet indicium animi commoti. Virgilius *deumque* non evitasse videtur ob syllabam *um* saepius repetitam. *Hominumque* non eodem sono pronuntiatur, quo *deumque. Incusavi* et Quintil. Instit. Orat. VI. Prooem. *ut incusem Deos, superstes omnium meorum.* Comparandus Valer. Flaccus II. 466. *desertaque durae Virgo neci, quem non hominum superumque vocabat.* Ubi in MS. erat *divumque*, quod propius ad Virgilium accedit.

Ipse urbem repeto, et cingor fulgentibus armis. Non esse Virgilii credo. Heynius dicit: *Ipse urbem repeto — Principio muros repeto —* quod in verbis ingratum est, mutaturus erat Maro. Heynium igitur offendunt *repeto — repeto.* Aliud mihi displicet. Iam repetit Aeneas urbem, deinde, quid constituerit, narrat. Consilium, praecipue tam certum et immutabile, praecedere debet. Viam a fano Cereris per urbem accurate exponit, *principio, inde, procedo, reviso* sq. Haec versum nostrum faciunt plane supervacuum. Et quid dicam de *armis?* Aeneas, credo, ensem non deposuerat. *Ense* cingimur, non *clypeo.* Quamquam veteres hanc difficultatem ita solverunt. Servius: »si armatus erat, quare *cingor?* hoc ad *scutum* refertur: ideo scutum non habebat, patrem et filium continuerat." Interpretes illo, *Virgilius talia curis secundis erat emendaturus*, saepe abutuntur, neque cogitant, quantum temporis paucis componendis versibus tribuere soleret. Quamquam igitur Aeneis non sit opus a poeta absolutum, ineptias tamen non concipere, nedum relinquere potuit.

Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent. Multa varietas in

Inde domum, si forte pedem, si forte, tulisset,
Me refero. Irruerant Danai, et tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento
Volvitur; exsuperant flammae; furit aestus ad auras.
Procedo, et Priami sedes arcemque reviso.
Et iam porticibus vacuis Iunonis asylo
Custodes lecti Phoenix et dirus Ulixes
Praedam asservabant. Huc undique Troia gaza,
Incensis erepta adytis, mensaeque deorum,
Crateresque auro solidi, captivaque vestis
Congeritur. Pueri et pavidae longo ordine matres
Stant circum.
Ausus quin etiam voces iactare per umbram,
Implevi clamore vias, moestusque Creusam
Nequidquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.
Quaerenti, et tectis urbis sine fine furenti,

in MSS. *animo*, *tunc ipsa*, *nunc ipsa;* Scholiast. Statii Theb. I. 494. *animum*. In aliis MSS. *Honor ubique: animos simul* sq. Primum *animos* de uno Aenea non probo. *Animi* magis significant *iram*, *ferociam*, *superbiam*. Dido Aeneid. IV. *animos submittere amori* cogitur. Melius *animum*. Deinde *simul* libens abiicerem. *Ipsa silentia* solum, elegantius. Quintil. Declam. II. p. 54. *Excitant nos exigui plerumque motus*, *vox incerta*, *longinqua*, *et aliquando ipsum silentium*. Orosius II. 19. noverat versum Virgilii, quum scriberet: *horror quatiebat animos*, *silentia ipsa terrebant*. Fieri potest, ut ille legerit: *Horror ubique animum quatit*, *ipsa silentia terrent*. *Quatit* horror animum, bene Latine dicitur.

Si forte. Recte Servius: iteratione auxit dubitationem.

Stant circum. Variis modis in MSS. suppletur. *Crebris sua carpunt pectora pugnis*. *Crebrisque premunt sua pectora pugnis*. *Et crebris pulsant sua pectora pugnis*. *Et tacitis implent mugitibus auras*. Mirum neminem excogitasse: *atque imo suspiria pectore ducunt*. Admiror interim Virgilii religionem. Nam *pueri et pavidas longo ordine matres stant circum* tristem rerum faciem ita ante oculos ponunt, ut additamento tacitus et mutus ille moeror minui, non augeri possit. Sensit hoc excellens poeta.

Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusae
Visa mihi ante oculos, et nota maior imago.
Obstupui, steteruntque comae, et vox faucibus haesit.
Tum sic affari, et curas his demere dictis:
Quid tantum insano iuvat indulgere dolori,
O dulcis coniunx? non haec sine numine divom
Eveniunt. Nec te hinc comitem portare Creusam
Fas, aut ille sinit superi regnator Olympi.
Longa tibi exsilia, et vastum maris aequor arandum.
Et terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva
Inter opima virum leni fluit agmine Thybris:
Illic res laetae, regnumque, et regia coniunx
Parta tibi; lacrimas dilectae pelle Creusae.
Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas
Adspiciam, aut Graiis servitum matribus ibo,
Dardanis, et divae Veneris nurus:

Ipsius umbra. Augustin. Confess. I. 13. *ipsius.* Male in MS. Zulich. *unius.*

Tum sic affari. Servius: »hic versus dicitur in plerisque non fuisse." In MS., quae ad nos pervenere, omnibus legitur, ut in iis, quae Servius vidit. Est igitur annotatio ex antiquiore grammatico.

Nota maior imago. Claudian. Consul. Honor. VI. 630. *nota maior se Roma videndam obtulit.*

Vastum maris aequor. Valer. Flaccus II. 375. *tantum maris aequor.* Vide interpretes.

Inter opima virum, leni fluit agmine Thybris. Gratius Cyneg. 3. *Qua cultor Latii per opaca silentia Thybris labitur.* Ibi Titius h. l. Virgilii laudat, et scribit *opaca virum.* Burmannus ignorat, unde. Credo imprudens ita scripsit ex Gratii *opaca.* *Agmen* autem non semper dici de *impetu aquarum*, probat et hic locus et alia exempla, quae ipse Burm. ad Valerii Flacci V. 721. attulit.

Illic res laetae. Error in Mediceo *Italiae.* Lucanus I. 81. *laetis hunc numina rebus Crescendi posuere modum.*

Graiis servitum matribus ibo. Silius II. 571. *at nos Sidoniis famulatum matribus actas Carthago adspiciat victrix.*

Veneris nurus. Servius: »sane hunc versum quidam ita supplevit *et tua coniunx.*" Virgilius non laudasset. Melius ac gravius idem intelligitur ex *Veneris nurus.*

Sed me magna deum Genetrix his detinet oris.
Iamque vale, et nati serva communis amorem.
Haec ubi dicta dedit, lacrimantem, et multa volentem
Dicere, deseruit, tenuisque recessit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Sic demum socios consumta nocte reviso.

Atque hic ingentem comitum adfluxisse novorum
Invenio admirans numerum; matresque virosque,
Collectam exsilio pubem, miserabile volgus.
Undique convenere, animis opibusque parati,
In quascunque velim pelago deducere terras.
Iamque iugis summae surgebat Lucifer Idae,
Ducebatque diem; Danaique obsessa tenebant
Limina portarum: nec spes opis ulla dabatur:
Cessi, et sublato montis genitore petivi.

Collectam exsilio pubem. Heinsius probabat lectionem Donati *ex Ilio.* Heynius dicit, *contra metrum esse.* Sed metrum et quantitatem syllabarum nemo melius Heinsio callebat, ipse poeta Latinus excellens. Iam Servius et alii timebant metro. Heinsius cogitabat *Ilio* bisyllabum. Sed *exsilio* bene se habet, et probatur imitatione Silii X. 420. *Dux erat exilio collectis Marte Metellus.* Caeterum *pubem* non recte esse potest appositio antecedentium *numerum matresque virosque*, vel propter *matres*; neque per *pubem* significatur aliud genus hominum; sic enim requireretur, *collectam et pubem exsilio.* Quare mallem *Collectam exsilio turbam, miserabile vulgus.* PVBEM et TVRBAM quam parum differant, vel ex scriptura, qua MSS. longe sequor, apparet. Quid in ipsis MSS? *Turba* inprimis de multitudine hominum misera et exsule usurpatur. Dixi nonnulla ad Horatii Carmen Saeculare. Wagnerus *pubem* refert ad praegressum *viros.* Arctius, credo, haec iuncta sunt, quam ut separari possint.

P. VIRGILII MARONIS

A E N E I D O S

LIBER TERTIUS.

Postquam res Asiae Priamique evertere gentem
Immeritam visum Superis, ceciditque superbum
Ilium, et omnis humo fumat Neptunia Troia:
Diversa exsilia et desertas quaerere terras

Diversa exsilia et desertas quaerere terras. *Exsilia* sunt *regiones peregrinae*, in quibus exsules considunt. Ovid. Fast. I. 539. *Puppibus egressus Latia stetit exsul in herba. Felix exsilium cui locus ille fuit!* Silius III. 568. *parumne est Exsilia errantes totum quaesisse per orbem?* Iam Cicero in Vatinium, ed. Maii: *ut consuli domus exilium esse non posset.* Quod in Virgilio sequitur *terras*, ab *exsiliis* proprie non differt, sed per explicationem additur. Est adeo *quaerere terras diversas et desertas.* Terrae *diversae* sunt variae terrae, quas adierunt, quod Aeneas iam narraturus est. Loquitur enim hic de adventu ex aliis in alia loca, quoad in Libyam venerant. De Italia non cogitat. Et quomodo cogitare posset, qui tantum narraret, quid accidisset? Quare veterum explicationem, terras *desertas a Dardano*, *Italiam*, non accipio. Nemo sic Latine loquitur. Terrae *desertae* sunt solae, a nemine habitatae. Et si Dardanus Italiam reliquit, Italia propterea non erat deserta. Sed neque aliae terrae, in quas Aeneas venit, fuere *desertae*, nisi Creta, Aeneid. III. 122. Pro ET DESERTAS verum puto ATQVE EXTREMAS. Agimur auguriis divum per diversas et ultimas terrarum oras. *Extremae* orae, quatenus longe a patria remotae.

Auguriis agimur divom, classemque sub ipsa
Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae,
Incerti, quo fata ferant, ubi sistere detur,
Contrahimusque viros. Vix prima inceperat aestas:
Et pater Anchises dare fatis vela iubebat;
Litora quum patriae lacrimans portusque relinquo
Et campos, ubi Troia fuit. Feror exsul in altum
Cum sociis, natoque, Penatibus et magnis dis.

Auguriis agimur divom. Oratio prosa esset: Fato Troiam relinquere cogimur, et per diversas extremasque oras in Libyam venimus. Fati voluntas *auguriis* significatur. Ea viderunt, dum in montibus degebant, quod tacite intelligendum, sicuti etiam Graecorum discessus est intelligendus. Aeneas ostendit se iuvitum Troiam reliquisse, ac fortasse meditatus erat urbem restituere et reliquias suorum habitare, quod sibi fore optatissimum dicit Aeneid. IV. 340.

Montibus Idae. Hunc versum melius sequeretur *contrahimusque viros.* Dum classem moliuntur, tempus habebant deliberandi. Tunc etiam fuisse incertos, quo cursum dirigerent, mirum non est. Sed nescivisse, quum iam vela dedissent, hoc erat et mirum et miserum.

Inceperat aestas. Malim veterem rationem sequi *inceperat aestas, Et pater Anchises* sq. Vix aestas inceperet, vix Anchises iubebat, quum relinquo.

Cum sociis, natoque, Penatibus et magnis dis. Post hunc versum puto collocandum: *Incerti, quo fata ferant, ubi sistere detur.* Quid sint, *magni dei*, explicatu difficile est. Aeneas alios *deos* quam *Penates* in Italiam non intulit. Ordo verborum non patitur, *Penates et magnos deos* esse eosdem. Heynius, qui in Excursu IX. ad Librum II. de hoc argumento egit, et hic locum explicans, non intelligit, quomodo sint discernendi, ergo accipit, quasi scriptum esset *cum Penatibus magnis Deis.* Equidem verba *cum magnis dis* non proprie, sed figurate explicanda arbitror, nempe: *cum deis bene volentibus, deorum, spero, quorum auguriis agimur, auxilio.* De *Penatibus* lectori iam cognitum est ex libro II: *Sacra suosque tibi commendat Troia Penates. Hos cape fatorum comites.* Hi proprie, vere aderant, horum effigies Aeneam comitabantur. Habebat et alios, ut sperabat comites, qui tamen non cernebantur. Talia sunt Homeri Iliad. X. 49. pugnabimus usque ad exitium Ilii, *σὺν γὰρ θεῷ εἰλήλουθμεν.* Ennius apud Ciceron. de Offic. I. 12. *Dono, ducite, doque, volentibu' cum*

Terra procul vastis colitur Mavortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo;
Hospitium antiquum Troiae, sociique Penates,
Dum fortuna fuit. Feror huc, et litore curvo
Moenia prima loco, fatis ingressus iniquis;
Aeneadasque meo nomen de nomine fingo.
Sacra Dionaeae matri divisque ferebam
Auspicibus coeptorum operum; superoque nitentem
Coelicolum regi mactabam in litore taurum.
Forte fuit iuxta tumulus, quo cornea summo
Virgulta, et densis hastilibus horrida myrtus.
Accessi; viridemque ab humo convellere silvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras, .
Horrendum et dictu video mirabile monstrum.
Nam, quae prima solo ruptis radicibus arbos
Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttae,
Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.
Rursus et alterius lentum convellere vimen

magnis dis. Quae sic scribenda puto: *Ducite, dono doque, volentibu' cum magnis dis. Ducite cum dis*, non *dono cum dis.* Plautus Milite Glor. IV. VIII. 41. *agite, ite cum diis bene volentibus.* Tales erant dei isti comites, qualis amor comitabatur Medeam apud Ovid. Heroid. XII. 135. *Iussa domo cessi, natis comitata duobus, Et, qui me sequitur semper, amore tui.* Recte autem observavit Wagnerus, *magnis* apud Ennium ornatus tantum causa esse adiectum. Non video, cur apud Virgilium alia de causa factum esset. Virgilius Penates nusquam *magnos deos* appellat. Est solemne deorum epitheton, quando universe de potentia divina et religione cogitatur, unde et exclamatio *di magni.* Conf. Heins. ad Ovid. Heroid. XVIII. 103. Idem XIII. Metam. 761. *magnis cum dis contemtor Olympi.* Tibull. III. IV. 16. *Nec laesit magnos impia lingua deos.* Pio Aenea inprimis dignum, deos appellare *magnos.* Atque in huius modi exemplis non cogitandum est de discrimine deorum e maioribus ac minoribus gentibus. In qua re interpretes saepe erraverunt.

Insequor, *et caussas penitus tentare latentis:*
Ater et alterius sequitur de cortice sanguis.

Insequor, et caussas penitus tentare latentis. Aeneas non evellebat alterum vimen, ut causam monstri cognosceret, sed vimen ad aras nancisceretur. Itaque mox tertiam evellit, si invenire posset sine sanguine. Nam sanguineo uti non licebat. *Penitus* nulli bono additum. *Caussas tentare* sufficiebat. Si inagas *penitus latentes*, et hoc nulli bono. Nam et *latentes* sufficit: caussas Aeneae plane fuisse incognitas quivis intelligit. Suspectum quoque est *tentare causas latentes. Tentamus* hominem vel rem, id est, *tactu exploramus*, ut naturam et causas indagemus et cognoscamus. Vide Burm. ad Phaedri III. x. 26. Quod latet, *tentari* non potest. Aeneas terretur quidem monstro, sed vix credit se vidisse, quod vidit, et de causis cogitare iucipit post alterum vimen evulsum. Tunc *multa animo movet.* Si usquam, hic mihi interpolatorem deprehendisse videor. Virgilianum credo: *Rursus et alterius lentum convellere vimen Insequor, alterius sequitur de cortice sanguis.* Hanc meam conieeturam, si meliora prodeant aliquando MSS., confirmatum iri confido. Interea duo exempla simillimae interpolationis afferam. Memorabile inprimis est in Seneca Troad. 205. *Cum laeta pelago vela rediturus dares, Excidit Achilles: cuius unius manu Impulsa Troia* corruit tandem solo, Brevi repensans *quid adiecit morae Scyros, fretum qua Lesbos Aegeum secans, Illo remoto, dubia, quo caderet, stetit.* Ante Gronovium nemo in istis mendum suspicatus est. Interpretati sunt, et pulchra omnia putarunt. Quo magis Gronovius ea considerabat, eo planius ipsi fiebat, esse laciniam inepti et audacis sartoris. Sed Gronovius opinionem suam auctoritate Codicis Florentini confirmare potuit, qui praeterea versum *Scyros fretumque* sq. in alium locum reiiciebat. Addam exemplum ex Iuvenale. Hic, ut in optimis Codd. legitur, scripserat Sat. II. 19. *sed peiores qui talia verbis Herculis invadunt, et, de virtute locuti Clunem agitant. Ego te ceventem, Sexte, verebor? Infamis Varillus ait.* In MS. Ulmensi haec in medio inserta sunt: *Clunem agitant*, Venerisque novo merguntur in actu. Vituperans *ego te ceventem, Sexte, verebor.* Hic Grammaticus ex uno duos versus fecit, et, ne fraus deprehenderetur ex maiore versuum numero, alterum versum, qui est decimus quintus, eiecit. Heindrichius appellat factum memorabile, et ad criticam artem recte exercendam perutile. Similis formae versus, qualem hic feci per *rursus — rursus*, occurrunt III. Aen. 229. *Rursum in secessu longo sub rupe cavata, Arboribus clausi circum atque horrentibus umbris, Instruimus mensas, arisque repo-*

Multa movens animo, Nymphas venerabar agrestis,
Gradivumque patrem, Geticis qui praesidet arvis:
Rite secundarent visus, omenque levarent.
Tertia sed postquam maiore hastilia nisu
Aggredior, genibusque adversae obluctor arenae:
Eloquar, an sileam? gemitus lacrimabilis imo
Auditur tumulo, et vox reddita fertur ad auris:
Quid miserum, Aenea, laceras? iam parce sepulto;
Parce pias scelerare manus. Non me tibi Troia
Externum tulit; aut cruor hic de stipite manat.
Heu! fuge crudelis terras, fuge litus avarum.
Nam Polydorus ego. Hic confixum ferrea texit
Telorum seges, et iaculis increvit acutis.
Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstupui, steteruntque comae, et vox faucibus haesit.
  Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum
Threicio regi, quum iam diffideret armis

nimus ignem. Rursum ex diverso coeli coecisque latebris Turba sonans praedam pedibus circumvolat uncis.

Vox reddita fertur ad auris. Quaedam MSS. *ad auras.* Mihi non displicet. Ex imo tumulo ad loca superiora.

Iam parce sepulto. Homini, qui iam sepultus est. Ovidius Trist. *Parce relegatis, hoc est, iam parce sepultis.* Heynius *iam* interpretatur *tandem.*

Obstupui, steteruntque comae, et vox faucibus haesit. Bothius putabat Virgilium dedisse: *Obstupui. Hunc auri quondam cum pondere magno.* Wagnerus cum Weicherto dissentiunt. Caussas, cur dissentiant, probo, et hanc addo, quod nomen *Polydori* hic non recte abesset. Consuetudo et perspicuitas in narrando nomen proprium requirunt.

Mandarat alendum. Statius I. Theb. 580. *natum septa inter ovilia furtim Montivago pecoris custodi mandat alendum.* Burm. in Excerptis suis vidit *commisit.* Ovidius Metam. XIII. 431. in historia Polydori hoc vocabulo utitur: *cui te commisit alendum Clam, Polydore, pater.*

Dardaniae, cingique urbem obsidione videret.
Ille, ut opes fractae Teucrum, et Fortuna recessit,
Res Agamemnonias victriciaque arma secutus,
Fas omne abrumpit; Polydorum obtruncat, et auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames! Postquam pavor ossa reliquit:
Delectos populi ad proceres, primumque parentem,
Monstra deum refero, et, quae sit sententia, posco.
Omnibus idem animus scelerata excedere terra;
Linqui pollutum hospitium, et dare classibus austros.
Ergo instauramus Polydoro funus: et ingens
Aggeritur tumulo tellus; stant Manibus arae,
Caeruleis moestae vittis atraque cupresso,
Et circum Iliades crinem de more solutae;
Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis et sacri pateras, animamque sepulcro
Condimus, et magna supremum voce ciemus.
Inde, ubi prima fides pelago, placataque venti

Cingique urbem obsidione videret. Wagnerus haec suspecta habet. Nam Troia dudum oppugnabatur, quum Priamus rebus suis diffidere coepit; nec Polydorus missus est in Thraciam, quum Graeci primum advenissent, sed quum periculum esset, ne urbs caperetur; neque *iam* explicare licet *statim ab initio*. Fortasse tollemus difficultates transpositis vocabulis *cum iam*. Priamus Polydorum furtim miserat regi Threicio: *iam cum diffideret armis Dardaniae* sq. Statim, cum videret urbem obsideri, et armis suis diffideret: cum videret, Graecos cum tanto exercitu venisse, ut parem se non futurum putaret.

Linqui pollutum hospitium. Wagnerus, recte videns *linqui* non posse sequi post *animus est*, putat ex vocabulis *animus est* repetendum *iubent*, hoc *iubent* autem bene iuncta habere verba et activa et passiva simul. Facilius arbitror *linquere*, quod est in quibusdam MSS.

Prima fides pelago. Et quia sequitur *venti dant maria placata*, tamquam altera pars fiduciae, et quia boni nautae non unice fidunt placata maris specie, pro PELAGO mallem COELO.

Placataque venti dant maria. Hinc Silius VI. 365. *ventique dedere profundum.*

Dant maria, et lenis crepitans vocat auster in altum,
Deducunt socii navis, et litora complent.
Provehimur portu, terraeque urbesque recedunt.
Sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereidum matri et Neptuno Aegaeo:
Quam pius Arcitenens, oras et litora circum

Lenis crepitans vocat auster in altum. Duplex epitheton viris doctis non placuit. Hinc coniecturae: *segnes*, *lentos* (addere possis *laetos*), *lenicrepans*, *lene increpitans*. In MSS. Pier. *lene crepitans*. Wagnerus ad Aeneid. VIII. 559. vulgatum exemplis ex ipso Virgilio petitis ita defendit, ut fortasse periculosum sit aliquid mutare. Tamen mihi in mentem venerat VELIS pro LENIS. *Et velis crepitans vocat auster in altum.* Auster, *crepitans in velis*, nos vocat in altum. *Crepitans velis*, ut Aeneid. V. 458. *quam multa grandine nimbi Culminibus crepitant.* I. Georg. 449. *grando in tectis crepitans.* Naves nondum erant deductae. Sed vela saepe iam tum aptabantur, ut citius essent parati. Sic III. Aeneid. 472. *Interea classem velis aptare iubebat Anchises, vento fieret mora ne qua ferenti.* Mutatio LENIS in VELIS est facillima ista e literis transpositis. In qua re quam saepe in MSS. optimis Virgilii erratum sit, exempla testantur. Ita invenimus Aeneid. II. 783, *Italae* pro *laetae*. 499, *rapit* et *parat*. V. 333. *sacro* et *crasso*, 620. *Beroe* et *decor*. VI. 480. *pallentes* et *bellantes*. VI. 592. *densa* et *media*. VIII. 337. *aram* et *arma*. X. 462. *cerant* et *cernat*. 464. *mangum* et *magnum* XI. 339. *futilis* et *fuit illis*. XI. 711. *puraque* et *rapuque*. XII. 648. *sancta* et *causa*. His multa alia addere potuissem. Sed sufficiunt ad demonstrandum, quam frequentes sint huiusmodi errores, quorum causam interpretes saepe non recte in glossis aliisque rebus quaesivere. Ex errore haud ita dissimili hodie legitur in scholio Iuvenalis Sat. II. 112. *Libido sine reprehensione.* Ubi scribendum: *Libidinosi senis reprehensio.*

Pius Arcitenens. MSS. quaedam *prius*. Hoc Burmannus ad Anthol. I. p. 460. cum *errantem* iunxit, et verum putavit. Sed *errantem* non requirit *prius*. *Prius errasse* intelligitur ex eo quod Apollo *revinxit*. Pro *arcitenens* in Medic. et aliis est *arquitenens*. Quod fere praeferam, quia *arcitenens* Latine vix aliud significare potest quam, quod Catullus in Epithal. 6 dixit, *retinens in summis urbibus arces*. Optime sic Graecum πολιοῦχος redderetur, quamquam vocabulum ita positum non reperiatur. Memorabile est in Valerio

Errantem, Mycono e celsa Gyaroque revinxit,
Immotamque coli dedit, et contemnere ventos.
Huc feror; haec fessos tuto placidissima portu
Accipit. Egressi veneramur Apollinis urbem.
Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos,
Vittis et sacra redimitus tempora lauro,
Occurrit; veterem Anchisen agnoscit amicum.
Iungimus hospitio dextras, et tecta subimus.

Flacco V. Argon. 17. de Apolline legi *arcipotens*. Ubi etiam in Cod. Vat. erat *arquipotens*.

Mycono e colsa Gyaroque revinxit. In aliis deest praepositio. Melius.

Egressi veneramur Apollinis urbem. Heynius putat haec esse spuria. Certe, ut nunc leguntur, a Virgilio scribi non potuerunt. *Venerari* significat adorare, προσκυνεῖν, ut mox *venerabar templa*, id est deum in templis. Ergo *veneramur* urbem Apollinis, erit veneramur Apollinem, cui urbs sacra est, qui est in urbe. Ita bis idem dixit. Sed Apollinem venerari non poterant, nisi templum ingressi. Templum autem tum demum ingrediuntur, postquam ab Anio erant hospitio excepti. Pro EGRESSI VENERAMVR scribendum puto EGRESSIQVE INTRAMVS. Suadet hanc emendationem Ovid. XIII. Metam. 630. Aeneas — *utilibus ventis aestuque secundo Intrat Apollineam sociis comitantibus urbem. Hunc Anius, quo rege homines, antistite Phoebi, Rite colebantur, temploque domoque recepit.* Si quis totam Ovidii narrationem cum Virgiliana comparet, videbit eadem saepe in utroque poeta verba. Quare credibile est Ovidium et hic legisse *intramus*. Sed, ut Virgilium ex Ovidio emendavi, emendabo Ovidium ex Virgilio. Nam non intelligo quid sit *homines et Phoebus coluntur*. Ovidii sunt, puto: Anius, *quo rege hominum atque antistite Phoebi Sacra colebantur.* Ovid. Amor. III. 9. *Vive pius, moriere pius: cole sacra, colentem Mors tamen a templis in cava busta trahet.*

Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos. Iacobus Bryantus suspicatur hunc et quatuor sequentes versus esse insititios. Heynius ei concedit, versus non satis esse politos nec reliquis adaptatos. Equidem non video, quid in iis iure reprehendi possit, nisi quod minus inter se cohaereant. Sed eam difficultatem coniectura sustuli. Neque versu, *Templa dei saxo venerabar structa vetusto*, carere possumus, propter sequentem *tremere omnia visa repente Liminaque laurusque dei.*

Templa dei saxo venerabar structa vetusto:
Da propriam, Thymbraee, domum! da moenia fessis,
Et genus, et mansuram urbem! Serva altera Troiae
Pergama, reliquias Danaum atque immitis Achilli!
Quem sequimur? quove ire iubes? ubi ponere sedes?
Da, pater, augurium, atque animis illabere nostris.
Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repente,
Liminaque, laurusque dei; totusque moveri
Mons circum, et mugire adytis cortina reclusis.
Submissi petimus terram, et vox fertur ad auris:
Dardanidae duri, quae vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere laeto
Accipiet reduces. Antiquam exquirite matrem.
Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, et qui nascentur ab illis.
Haec Phoebus: mixtoque ingens exorta tumultu
Laetitia; et cuncti, quae sint ea moenia, quaerunt;
Quo Phoebus vocet errantis, iubeatque reverti.
Tum genitor, veterum volvens monumenta virorum,

Venerabar. Ex hoc verbo sponte deducitur notio *orandi*, *precandi*. Licet Virgilius saepe homines subito faciat loquentes, et finita demum oratione addat: *dixit*, *sic fatur*, vel simile. Alterum iam Servius animadverterat: quod *venerabar*, ait, ostendit se precatum. In annotatione Servii duo nomina propria felicissime ab Hemsterhusio restituta sunt, dum pro *Epafus* scribit *Ephorus*, et pro *Tuthrodes*, *tradit Herodotus*.

Reliquias Danaum atque immitis Achilli. Additamentum mihi suspectum. Eadem leguntur Aeneid. I. 30. ubi rectius *Troes* sic appellantur.

Antiquam exquirite matrem. In Cod. Zulich. *terram*. Non ex interpretatione, sed literae a dormitante librario sunt transpositae. Ovidius in Metam. XIII. omne hoc Aeneae iter enarrat, et Virgilium sequitur. Hic addam exemplum. Tradit Aenean postero die, quam in insulam Delum venerant, adiisse oracula Phoebi: *Qui petere antiquam matrem cognataque iussit Litora.*

Veterum volvens monumenta virorum. In uno MS. *priorum*. Fieri

Audite, o proceres, ait, et spes discite vestras.
Creta Iovis magni medio iacet insula ponto,
Mons Idaeus ubi, et gentis cunabula nostrae.
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.
Maximus unde pater, si rite audita recordor,
Teucrus Rhoeteas primum est advectus ad oras,
Optavitque locum regno. Nondum Ilium et arces
Pergameae steterant; habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybelae, Corybantiaque aera,
Idaeumque nemus; hinc fida silentia sacris,
Et iuncti currum dominae subiere leones.
Ergo agite, et, divom ducunt qua iussa, sequamur:
Placemus ventos, et Gnosia regna petamus.
Nec longo distant cursu; modo Iupiter adsit,
Tertia lux classem Cretaeis sistet in oris.

potest ut in aliis olim fuerit *vatum monumenta priorum.* Monumenta vatum omni tempore ferebantur multa. Erant ipsa oraculorum responsa, partim vatum ipsorum carmina, in quibus multa historica, vel quae potius erant ipsa historica illius aetatis. Genealogia, migrationes, et similia in istis carminibus canebantur. Anchises memoria repetit, quae olim ita cognoverat. Virgilius et haec e Graecis scriptoribus tradidit. Quod in oraculo dixit, *Et nati natorum et qui nascentur ab illis*, hoc, quod nemo non vidit, est Homeri *καὶ παίδων παῖδες, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.* Memorabile est quod annotavit Servius: »Sane hic versus Homeri est, quem et ipse Orpheo sustulit. Item Orpheus de oraculo Apollinis Hyperborei." Quae igitur Anchises recordabatur de Creta et Teucro et religione, ea in carminibus vatum erant exposita.

Si rite audita recordor. Ovid. XIII. Metam. 705. *Inde recordati Teucros a sanguine Teucri Ducere principium, Creten tenuere.*

Habitabant vallibus imis. Weicherto suspecta esse et frigere videntur. Recte defendit Wagnerus, et accipit de antiquis incolis, non quos Teucer secum duxit.

Iuncti currum dominae subiere leones. Domina est solemne nomen Cybeles. Valer. Flaccus III. 23. *assuetum Phrygias dominam vectare per urbes.* Vide ibi Burmannum.

Tertia lux. Wyttenbachius comparavit Homeri Iliad. X. 163. *Ἠμα-*

Sic fatus, meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo,
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.
  Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea ducem, desertaque litora Cretae;
Hoste vacare domos, sedesque adstare relictas.
Linquimus Ortygiae portus, pelagoque volamus,
Bacchatamque iugis Naxon, viridemque Donusam,
Olearon, niveamque Paron, sparsasque per aequor
Cycladas, et crebris legimus freta concita terris.

τί κεν τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην.

Linquimus Ortygiae portus. Wagnerus hoc ordine versus esse legendos arbitratur: *Nauticus exoritur vario certamine clamor: Hortantur socii, Cretam proavosque petamus. Prosequitur surgens a puppi ventus euntis. Linquimus Ortygiae portus, pelagoque volamus, Bacchatamque iugis Naxon, viridemque Donysam, Olearon, niveamque Paron, sparsasque per aequor Cycladas, et crebris legimus freta concita terris: Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.* Ego sic transposueram: *Nauticus exoritur vario certamine clamor: Hortantur socii, Cretam proavosque petamus. Linquimus Ortygiae portus, pelagoque volamus, Bacchatamque iugis Naxon, sparsasque per aequor Cycladas, et crebris legimus freta concita terris. Prosequitur surgens a puppi ventus euntis: Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.* Sic autem *vario certamine* aliter est interpretandum, ac fecit Heynius. Subito fama volat, Cretam esse vacuam. Nautae, fama audita, quae dispergebatur, certatim tollunt clamorem: *Cretam, Cretam.* Hoc enim est hortantur *Cretam petamus.* Tum linquimus portum Ortygiae.

Crebris legimus freta concita terris. Servius vocabulum *legimus* interpretatur: » tractus sermo a nautis, quod, funem *legendo*, aspera loca praetereunt." Burm. ad Valer. Flacci I. 314. dicit se non satis capere, quid Servius velit. Fortasse hoc vult: si locus asper sit, quem vitare cupiunt a dextra, et ventus navem eo pellat, ancora proiicitur a sinistra. Ancorae alligatus est funis. Hunc funem *legunt*, *colligunt*. Pro *concita* in aliis MSS. invenitur *consita*, quod praefero. Magis enim ad naturae veritatem imago maris Aegaei exprimitur. Nuper vice-comes Marcellus in eleganti libello *de Oriente*

Nauticus exoritur vario certamine clamor;
Hortantur socii, Cretam proavosque petamus.
Prosequitur surgens a puppi ventis euntis,
Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.
Ergo avidus muros optatae molior urbis,
Pergameamque voco, et laetam cognomine gentem
Hortor amare focos, *arcemque attollere tectis.*
Iamque fere sicco subductae litore puppes;
Connubiis arvisque novis operata iuventus;

speciem insularum ita depinxit, ut, licet Virgilium non cogitans, illud tamen *consita* plane reddiderit.

Nauticus exoritur vario certamine clamor. Supra explicavi *certatim clamant.* Heynius: » certant inter se manuum opera, studio, dum discessum parant." Sed iam *volabant*, et ventus a puppi sequitur euntes.

Arcemque attollere tectis. Recte Aeneas hortatur amare focos, minus recte *hortatur* arcem condere. An *focos amarent* nec ne, non erat in illius potestate. Rex arcem condere non hortatur, sed *iubet*, vel *condit*, hoc est condi imperat et curat. Praeterea Virgilius in omni hac parte narrationis brevitati studet.

Iamque fere sicco subductae litore puppes. Wagnerus, merito offensus illo vocabulo *fere*, coniicit *Iam Berecyntheo.* In Cod. Mediceo exstat *sicco e subductae*, litera *e* tamen transfossa. Ego duos versus non esse Virgilii puto. Appulerant in Cretam. Aeneas molitur novam urbem. Vocat Pergameam. Hortatur focos amare, novas sedes libenter colere, ut mansuras ac proprias. Ergo omnia erant parata, et nunc demum naves subducerentur? Nunc *fere* erant subductae? Subducebantur statim, nam et hoc semper fiebat, et aedes iam aderant.

Connubiis arvisque novis operata iuventus. Mirum de *connubiis.* Virgilius in Aeneide genus muliebre ita commemorat, ut intelligamus paucas tantum easque iam nuptas aut provectae aetatis fuisse comites. Tum Virgilius non scripsisset *operata connubiis et arvis novis*, vivens ea hominum aetate et moribus, quum vocabula sic coniuncta sine dubio secus acciperentur, multique de novis coniugum arvis, maritorum opere arandis, cogitarent. Lusus captati sunt in versibus plane innocuis. Ita Celsus cacophaton putabat: *incipiunt agitata tumescere.* Recte quidem animadvertit Quintilian. Institut. Orat. VIII. 3. *si illud recipias, nihil loqui tutum esse:* tamen, si mores ita sint, talia certe vitari debent, quae

Iura domosque dabam: subito quum tabida membris,
Corrupto coeli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque lues, et letifer annus.
Linquebant dulcis animas, aut aegra trahebant
Corpora; tum sterilis exurere Sirius agros;
Arebant herbae, et victum seges aegra negabat.
Rursus ad oraclum Ortygiae Phoebumque remenso
Hortatur pater ire mari, veniamque precari:
Quam fessis finem rebus ferat; unde laborum
Tentare auxilium iubeat; quo vertere cursus.
  Nox erat, et terris animalia somnus habebat:

in ipso poetarum sermone honeste appellantur iisdem nominibus. Veluti Virgilius III. Georg. 135. *nimio luxu ne obtusior usus Sit genitali arvo, et sulcos oblimet inertes.* Et iam Lucretius IV. 1103. *muliebria conserat arva.* Quod Graecum est. Plato Leg. VIII. p. 293. *ἀπεχομένους δὲ ἀρούρας θηλείας πάσης, ἐν ᾗ μὴ βούλοιτο ἄν σοι φύεσθαι τὸ σπαρέν.* Hinc illa in formulis nuptialibus *ἐπ' ἀρότῳ παίδων γνησίων* et alia, et ipsum Latinum *arare.* Accedit quod et vocabulum *opus* ut *ἔργον* in his rebus usitatum, ipsumque verbum *operari* non incognitum sit: ut Columella de Re Rust. XII. 4. *quibus* (rebus Venereis) *si fuerit operatus vel vir, vel femina, debere eos flumine aut perenni aqua ablui.* Propterea non credibile est Virgilium, tanti iudicii virum, memoravisse *iuventam operatam connubiis et arvis novis.*

Iura domosque dabam. Atqui domos iam adesse dixerat: *Hoste vacare domos, sedesque adstare relictas.* Idem statim repetitur: *Hortor amare focos.* Interpretes variis modis explicare studuerunt. Optimum erat sic accipere, ut Burmannus *domos dividere.* Ita Silius II. 408. *Tecta domosque partiris.* Sed etiam illud in superioribus *hortor amare focos* iam expressum est. Servius non interpretatur.

Corrupta coeli tractu. Coelo Cretae. Ovidius Met. XIII. 706. *Creten tenuere, locique Ferre diu nequiere Iovem.* Virgilium expressit Ambrosius de Noe, cap. 10. *Si quando est pestilentia, corrupta coeli tractu, prius ea, quae sunt irrationalia, lues dira contaminat.* Claudian. B. Gild. 39. *Quid referam morbiva luem cumulosque repletos Stragibus, et crebras corrupta sidere mortes.* Nemesian. Cyneg. 210. *Quod seu coelesti corrupto sidere manat.*

Effigies sacrae divom Phrygiique Penates,
Quos mecum a Troia mediisque ex ignibus urbis
Extuleram, visi ante oculos adstare iacentis
In somnis, multo manifesti lumine, qua se
Plena per insertas fundebat luna fenestras;
Tum sic affari, et curas his demere dictis:
Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,
Hic canit, et tua nos en ultro ad limina mittit.
Nos te, Dardania incensa, tuaque arma secuti,
Nos tumidum sub te permensi classibus aequor,
Idem venturos tollemus in astra nepotes,
Imperiumque urbi dabimus. Tu moenia magnis
Magna para, longumque fugae ne linque laborem.
Mutandae sedes. Non haec tibi litora suasit
Delius, aut Cretae iussit considere, Apollo.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebae;
Oenotri coluere viri; nunc fama, minores
Italiam dixisse, ducis de nomine, gentem;
Hae nobis propriae sedes; hinc Dardanus ortus,
Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum.
Surge age, et haec laetus longaevo dicta parenti

Iacentis in somnis. Sive legas *in somnis*, sive *insomnis*, semper habet difficultatem. *Iacenti* sufficit. sic enim non affirmat, dormiverit iacens an vigilaverit. Postea ipse affirmat, se iacuisse vigilantem. *Nec sopor illud erat*, et *vultus coram agnoscebat.* Pro SOMNIS legamus STRATIS. Iacebat Aeneas in stratis. Luna per fenestras nitebat. Vidit Penates. Audivit vocem. Non erat somnium. Mox surgit ex loco, in quo iacuerat. Locum Virgilius eodem vocabulo indicat: *Corripio e stratis corpus.* Pro *iacentis* duo MSS. *iacenti.* Elegantius: mihi *iacenti.*

Nos tumidum sub te permensi. Servius: »Hic versus variasse dicitur." Heynius putat eum respicere alteram lectionem *permissi.* Sed hoc nihil significat, nisi accipias pro *missi per aequor.*

Haud dubitanda refer: Corythum terrasque requirat
Ausonias. Dictaea negat tibi Iupiter arva.
Talibus attonitus visis, ac voce deorum —
(Nec sopor illud erat, sed coram agnoscere vultus,
Velatasque comas, praesentiaque ora videbar;
Tum gelidus toto manebat corpore sudor.)
Corripio e stratis corpus, tendoque supinas
Ad coelum cum voce manus, et munera libo
Intemerata focis. Perfecto laetus honore
Anchisen facio certum, remque ordine pando.
Agnovit prolem ambiguam, geminosque parentis;
Seque novo veterum deceptum errore locorum.

Nec sopor illud erat. Si prius dubitaverit essetne somnium, an non esset, finita narratione et omnia memoria repetens, dicit fuisse veram speciem. Locum quasi explicavit Silius III. 198. *Hoc trepidus monstro (neque enim sopor ille, nec altae Vis aderat noctis, virgaque fugante tenebras Miscuerat lucem somno deus.)*

Seque novo veterum deceptum errore locorum. Pearcius ad Longin. de Sublim. cap. 3. *novum errorem* reprehendit tamquam puerile dictum et sine ullo sensu. Credo. Servius explicat: »aut per contrarietatem sermonis declaravit, aut *novo* pro *magno* posuit, ut: *Pollio et ipse facit nova carmina.*" Longum est recentiorum sententias diversas commemorare. Heynius se rem ita expedivisse putavit: »errore circa loca vetera interpretanda, quod duas terras, a quibus stirpis Troianae auctores olim originem traxisse vetus fama erat, nunc non distinxerat; *novus error*, quatenus a se nunc, seriore aevo, erratum est." Locus fortasse unice explicandus est ex III. Aen. 102. *Tum genitor veterum volvens monumenta virorum.* Putavit Cretam esse novam Troianorum patriam. Nunc vidit se esse deceptum, qui sententiam monumentorum non recte intellexisset, eoque magis hoc vidit, quum repeteret, Cassandram saepe Hesperiam nominasse. Hactenus omnia bene procedunt. Etiam *deceptum errore* intelligi potest, neque *errore veterum locorum* habet difficultatem. Sed quid *novo errore?* Dici non potest, nisi iam *semel* Anchises in locis erravisset vel in monumentis erratum esset, adeo ut Anchises novum suum errorem veteribus addiderit. Atqui nunc primum erravit,

Tum memorat: nate, Iliacis exercite fatis,
Sola mihi talis casus Cassandra canebat.
Nunc repeto, haec generi portendere debita nostro,
Et saepe Hesperiam, saepe Itala regna vocare.
Sed quis ad Hesperiae venturos litora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?
Cedamus Phoebo, et moniti meliora sequamur.
Sic ait: et cuncti dicto paremus ovantes.
Hanc quoque deserimus sedem, paucisque relictis
Vela damus, vastumque cava trabe currimus aequor.

Postquam altum tenuere rates, nec iam amplius ullae
Apparent terrae, coelum undique, et undique pontus;
Tum mihi caeruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens, et inhorruit unda tenebris.
Continuo venti volvunt mare, magnaque surgunt
Aequora; dispersi iactamur gurgite vasto.
Involvere diem nimbi, et nox humida coelum
Abstulit, ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur cursu, et caecis erramus in undis.

neque monumenta erravere, sed Anchises ea non intellexerat. Heynius, qui explicaverat *nunc seriore aevo erratum*, quasi se ipse corrigens, ac sentiens hoc non esse verum, subiicit: »etsi *novus*, solito more post *vetus* ornatus causa adiectum." Utrumque, puto, minus accurate. Anchises erravit in nominibus locorum, de quibus vetere fama aliquid audiverat. Deceptus fuit *errore* veterum locorum. Etiamsi mille anni intercessissent, error dici non potuit *novus*. Ornatum in poeta lubens agnosco, sed non ineptum. Pro **NOVO** scribamus **SVO**, et habebimus ni fallor, manum Virgilii. Meus hic fuit error, dicebat. Meo veterum locorum errore deceptus fui. Et scire poteram vel ex Cassandra. Vocabula *novo* et *suo* quam saepe in MSS. permutata sint, vidimus ad Horatii Epod. XII.

Exercite fatis. Ut *exercitus curis:* vide Burmann. ad Ovid. Metam. XIII. 265.

Inhorruit unda tenebris. Unda *horruit*, se sustulit, in tenebris. Statius Theb. I. 309. de Mercurio, qui e coelo desiluit et volare incepit: *tenuique exceptus inhorruit aura.*

Ipse diem noctemque negat discernere coelo,
Nec meminisse viae media Palinurus in unda.
Tris adeo incertos caeca caligine soles
Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.
Quarto terra die primum se attollere tandem
Visa, aperire procul montis, ac volvere fumum.
Vela cadunt; remis insurgimus; haud mora, nautae
Adnixi torquent spumas, et caerula verrunt.
Servatum ex undis Strophadum me litora primum
Accipiunt, Strophades Graio stant nomine dictae,
Insulae Ionio in magno, quas dira Celaeno,
Harpyiaeque colunt aliae, Phineia postquam
Clausa domus, mensasque metu liquere priores.
Tristius haud illis monstrum, nec saevior ulla
Pestis et ira deum Stygiis sese extulit undis.
Virginei volucrum voltus, foedissima ventris

Incertos caeca caligine soles. Sol non conspiciebatur propter caliginem. Horat. II. Carm. 16. *simul atra lunam Condidit nubes, neque certa fulgent Sidera nautis.* In voce *noctes* repetendum est *incertas.*

Erramus pelago, totidem sine sidere noctes. Servius hic tres versus retulit: *Hinc Pelopis gentes Maleaeque sonantia saxa Circumstant, pariterque undae terraeque minantur. Pulsamur saevis et circumsistimur undis.* Addit hanc annotationem: »Hi versus circumducti inventi dicuntur, et extra paginam in mundo." Apparet, Aeneidem iam ante Servium multis additamentis fuisse inquinatam. Grammaticus, si haec annotatio sit Servii, significare videtur, se ex commentariis aliorum cognovisse, hos versus in aliis MSS. esse circumductos, his vel similibus signis ( ) inclusos, in aliis extra textum in inferiore pagina, ubi charta pura supererat, positos. Burmannus explicabat ex Sueton. August. 88. *qui abundantes literas in alterum versum non transferebat, sed ibidem statim subiiciebat circumducebatque.* Ego, quum in Virgilio interpretando ad Lib. VII. 583 perveneram, Wagnerum eodem fere modo, quo accepi, accepisse vidi.

Vela cadunt; remis insurgimus. Valerius Flaccus II. 13. *Vela legunt; remis insurgitur.*

Caerula verrunt. Recte de *remis.* Et conspirant in ea lectione MSS. Conf. Heins. ad Ovid. Amor. I. ix. 14,

Proluvies, uncaeque manus, et pallida semper
Ora fame.
  Huc ubi delati portus intravimus: ecce
Laeta boum passim campis armenta videmus
Caprigenumque pecus, nullo custode, per herbas.
Irruimus ferro, et divos ipsumque vocamus
In partem praedamque Iovem. Tum litore curvo
Exstruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.
At subitae horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiae, *et magnis quatiunt clangoribus alas*,
Diripiuntque dapes, contactuque omnia foedant
Immundo; tum vox tetrum dira inter odorem.
Rursum in secessu longo sub rupe cavata,
Arboribus clausi circum atque horrentibus umbris,
Instruimus mensas, arisque reponimus ignem:
Rursum ex diverso coeli caecisque latebris
Turba sonans praedam pedibus circumvolat uncis,

Per herbas. Sic plurima quidem MSS. Tamen Palatinum et duo alia, ac Priscianus *per herbam.* Idque defendit Burmannus ad Ovidii Heroid. I. 24. et explicat *per omnem herbam*, ut nulla pars sit immunis.

Harpyiae, et magnis quatiunt clangoribus alas. Servii annotatio haec est: »Sed sane hic versus, qui circumductus est, talis auditur: *resonant magnis stridoribus alas.*" Fortasse legendum: *et talis auditur.* Significat, puto, et versum esse circumductum (*et magnis quatiunt clangoribus alas*), et in aliis MSS. aliter scribi. Suspicor esse spuria. Suspicionem augent varietates, *plangoribus* et *auras* pro *alas*. *Subitae lapsu adsunt* indicat iam tantam celeritatem, quanta esse possit maxima. Adsunt et diripiunt dapes. Non tempus erat alas quatiendi, aut clamandi. Nam *clangoribus* non referendum ad alarum sonitum, docuit Servius, ex Plauti Querolo, quem scilicet nunc habemus; sed non est Plauti. Auctor illius fabulae ergo vidit hunc locum in Virgilio, et imitatus est, sicuti multa ex omni veterum scriptorum genere imitatur, ut Querolo antiquum colorem adderet. Versus legitur in editione optima Klinkhameri a. 1829, pag. 103. *Inde ubi sonuerit unus, cuncti alas quatiunt diris cum clangoribus.*

Polluit ore dapes. Sociis tunc, arma capessant,
Edico, et dira bellum cum gente gerendum.
Haud secus ac iussi faciunt, tectosque per herbam
Disponunt ensis, et scuta latentia condunt.
Ergo, ubi delapsae sonitum per curva dedere
Litora, dat signum specula Misenus ab alta
Aere cavo. Invadunt socii, et nova proelia tentant,
Obscenas pelagi ferro foedare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec volnera tergo
Accipiunt; celerique fuga sub sidera lapsae
Semesam praedam et vestigia foeda relinquunt.
Una in praecelsa consedit rupe Celaeno,
Infelix vates, rumpitque hanc pectore vocem:
  Bellum etiam pro caede boum stratisque iuvencis,
Laomedontiadae, bellumne inferre paratis,
Et patrio Harpyias insontis pellere regno?
Accipite ergo animis atque haec mea figite dicta:

Invadunt socii, et nova proelia tentant. Fortasse non peior esset oratio, sic distincta: *Invadunt socii, et (nova proelia!) tentant Obscenas pelagi ferro foedare volucres.*

Obscenas pelagi ferro foedare volucres. Servius *foedare* explicat *cruentare*, et addit exemplum Ennii: *ferro foedati iacent.* Credo veteres Romanos usurpavisse *fodare*, *foidare*, *foedare* et *fossare* pro *fodere.* A *fodare* remansit *fodicare.* Prima in *fodare* ut in *fodere* corripitur, in *foidare*, propter diphthongum, producitur. *Fodare* superesse videtur ex Ennio apud Festum: *Illyrici restant sicis sibinisque fodantes:* vide Merulam ad Ennium pag. 445. Varro Lib. VII. pag. 377. » *apud Ennium:* Decretum est stare corpora telis. *Hoc verbum Ennii dictum a fodiendo: a quo fossa.*" Ubi vere coniiciunt, et erat in MS., *fossare.* Proprie igitur *foedare* significat aliquid *fodiendo eruere*, *corrumpere*, sordidum et tristem adspectu facere, ut corpora et ora hominum vulneribus. Illud *foedare* poetis proprium mansit, in orationem solutam receptum est *fodere.* Ita saepe Livius et Tacitus, qui, quum ubique scribat *fodere*, non scripsisse videtur in Agric. 36. *foedare ora*, neque hoc e MS. Vaticano confici potest.

Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo
Praedixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
Ibitis Italiam, portusque intrare licebit.
Sed non ante datam cingetis moenibus urbem,
Quam vos dira fames nostraeque iniuria caedis
Ambesas subigat malis absumere mensas.
  Dixit; et in silvam pennis ablata refugit.
At sociis subita gelidus formidine sanguis
Deriguit; cecidere animi; nec iam amplius armis,
Sed votis precibusque iubent exposcere pacem,
Sive deae, seu sint dirae obscenaeque volucres.
Et pater Anchises passis de litore palmis
Numina magna vocat, meritosque indicit honores:
Di, prohibete minas! di, talem avertite casum,
Et placidi servate pios! Tum litore funem
Deripere, excussosque iubet laxare rudentis.
  Tendunt vela Noti: fugimus spumantibus undis.
Qua cursum ventusque gubernatorque vocabat.
Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos,
Dulichiumque, Sameque, et Neritos ardua saxis.
Effugimus scopulos Ithacae, Laertia regna,
Et terram altricem saevi exsecramur Ulixi.
Mox et Leucatae nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus fessi, et parvae succedimus urbi.

Furiarum ego maxima. Statius VII. Theb. 477. *Eumenidum velut antiquissima portis Egreditur.*

Fugimus spumantibus undis. Ita Wagnerus restituit pro *ferimur.* Hoc Heinsius recepisse videtur, quia mox sequitur *effugimus.* Sed tres versus intercedunt. Et repetitio eorundem verborum non semper nos, ut aliquid mutemus, incitare oportet. Nam est unum ex indiciis, Aeneidem non esse absolutam.

Ancora de prora iacitur; stant litore puppes.
Ergo insperata tandem tellure potiti, v. 278
Lustramurque Iovi, votisque incendimus aras;
Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.
Exercent patrias oleo labente palaestras
Nudati socii. Iuvat evasisse tot urbis
Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostis.
Interea magnum sol circumvolvitur annum,
Et glacialis hiems aquilonibus asperat undas.
Aere cavo clipeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo, et rem carmine signo:
AENEAS HAEC DE DANAIS VICTORIBVS ARMA.

Ancora de prora iacitur. Valer. Flaccus V. 70. *Iam prora fretum commoverat, et iam Puppe sedens placidas demiserat ancora terras.* Locus quidem est corruptus, sed non propterea, quod ancora semper de prora iaceretur, quod urguet Burmannus. Nam vel ex Actis Apost. XXVII. 29. apparet interdum et ancoras de puppe iaci, ἐκ πρύμνης ῥίψαντες ἀγκύρας τέσσαρας. In Valerio scribendum credo: *Puppe sedens placidas diviserat aequore terrae.* Erginus, gubernator, sedens in puppe, navim a terra in altum dirigens, effecerat, ut terrae aequore essent separatae.

Lustramurque Iovi. Schraderus coniicit *deo*, id est Apollini. Et Leucates erat Apollini sacer, et ludos Apollini celebrant. Iam veteres in explicatione *Iovi* laborarunt.

Gestamen Abantis. Ovid. XV. Metam. 163. *Cognovi clipeum laevae gestamina nostrae.* Nobilissimus autem erat hic Abantis clipeus. Conf. Heins. ad Valer. Flacci I. 453.

Aeneas haec de Danais victoribus arma. Solemnis spoliorum inscriptio. *De*, ut Graecum ἀπὸ, gentis devictae nomini praeponitur. Itaque mirum mihi accidit in galea, quam Hiero rex Olymp. 76. 3. Iovi Olympio dicavit, legi: *ΞIAPONOΔEINOMENEOΣ KAI TOIΣVPAKOΣIOI TOIΔITVPANAΠOKVMAΣ.* Bronstedius hanc inscriptionem a. 1820. in Diario Tubingensi in aes incidit, et Boeckhius ad Pindarum T. I. pag. 225. explicavit, reddens *arma Tyrrhena ex pugna Cumana reportata.* Sed Hiero Cumaeos adiuvit contra Etruscos. Figura vetus literarum et temporis diuturnitas saepe fecerunt ut oculi vel eruditissimi fallerentur. An fortasse hic titulus fuit? *TVPANAKPO-*

Linquere tum portus iubeo, et considere transtris.
Certatim socii feriunt mare, et aequora verrunt.
Protenus aerias Phaeacum abscondimus arces,
Litoraque Epiri legimus, portuque subimus
Chaonio, et celsam Buthroti accedimus urbem.
Hic incredibilis rerum fama occupat auris,
Priamiden Helenum Graias regnare per urbis,
Coniugio Aeacidae Pyrrhi sceptrisque potitum,
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstupui; miroque incensum pectus amore,
Compellare virum, et casus cognoscere tantos.
Progredior portu, classis et litora linquens;
Sollemnis quum forte dapes et tristia dona
Ante urbem in luco, falsi Simoentis ad undam,
Libabat cineri Andromache, Manisque vocabat
Hectoreum ad tumulum; viridi quem cespite inanem,
Et geminas, caussam lacrimis, sacraverat aras.

ΘΙΝΙΑ. hoc est *Tyrrhena spolia.* Forma literae *Π* in *ΑΠΟ* iam similior erat literae *P.*

Abscondimus arces. Valerius Flaccus II. 6. *Iamque fretis summas aequatum Pelion ornos, Templaque Tisaeae mergunt obliqua Dianae.* Ubi legendum videtur *aequantem.*

Hic incredibilis rerum fama occupat aures. Valer. Flaccus V. 301. *Cunctaque adhuc — Ambigua et dubia rerum pendentia summa.* Melius fortasse scriberetur *fama.*

Progredior portu. In MS. Frontini Ambros. *progredimur.* Erratum tamen, quod vel ex *linquens* apparet.

Hectoreum ad tumulum. Mallem, vocabulis transpositis — *Libabat cineri Hectoreo Manisque vocabat Andromache ad tumulum.* Verus autem Hectoris tumulus erat apud Troiam. Seneca Troad. 483. *Est tumulus ingens coniugis cari sacer, Verendus hosti.*

Et geminas, caussam lacrimis, sacraverat aras. Quantopere veteres in hoc loco explicando variaverint, apparet ex Servianis: » *Unam* marito, *alteram* filio, aut quia inferi pari gaudent numero, vel Diti patri et Proserpinae, aut quia elatae mortuorum arae, deorum altaria dicuntur: *Lachrymis sacraverat* hoc

Ut me conspexit venientem, et Troia circum
Arma amens vidit: magnis exterrita monstris
Deriguit visu in medio; calor ossa reliquit;
Labitur, et longo vix tandem tempore fatur:
Verane te facies, verus mihi nuntius affers,
Nate dea? vivisne? aut, si lux alma recessit,
Hector ubi est? dixit, lacrimasque effudit, et omnem
Implevit clamore locum. Vix pauca furenti
Subiicio, et raris turbatus vocibus hisco:
Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco.
Ne dubita: nam vera vides.
Heu! quis te casus, deiectam coniuge tanto
Excipit? aut quae digna satis fortuna revisit?
Hectoris Andromache Pyrrhin connubia servas?

tantum, ut causam lachrymarum haberet." Servius hic iunxisse videtur, non *causam lacrimis* sed *sacraverat lacrimis.* Illud *causam lacrimis* satis tenue puto. Longe melius Lucanus III. 607. *unumque relictum Agnorunt miseri, sublato errore, parentes, Aeternis caussam lacrimis.* Neque satis perspicio, cur *arae et tumulus* potissimum *causa lacrimis* dicantur. Causa erat mors Hectoris. Iam aras et tumulum mortuo quidem marito sacraverat, sed ideo ipsa non sunt *causa lacrymarum.* Tum *geminas* difficile est. Si Virgilius voluisset *nato et marito*, natum nominasset. Locum esse credo corruptum, sed felicioribus emendandum relinquo.

Magnis exterrita monstris. In Leid. *rebus.* Alterum, et ipsum est elegantius, et defenditur imitatione Valerii Flacci V. 330. *variis per noctem exterrita monstris.* Adde interpretes ad Silii III. 504.

Deiectam coniuge tanto. Hegesippus de Excidio Hieros. II. 18. *ne tanto deiecta coniuge superviveret.*

Hectoris Andromache Pyrrhin connubia servas? Aeneas supra narravit se fama accepisse incredibili, Helenum regno et coniuge Pyrrhi potitum esse. Et hic rogat Andromachen, an matrimonio iuncta sit cum Pyrrho. Heynius versum delere volebat: *Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.* Equidem non intelligo *Pyrrhin connubia servas*, quod non aliter explicari potest, nisi *nupta es Pyrrho;* neque Wagnerum difficultatem solvisse arbitror. Quid? si pro SERVAS ponamus SERVAM: *quae digna satis fortuna revisit*

Deiecit voltum, et demissa voce locuta est:
O felix una ante alias Priameia virgo,
Hostilem ad tumulum Troiae sub moenibus altis
Iussa mori, quae sortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile!
Nos, patria incensa, diversa per aequora vectae,
Stirpis Achilleae fastus, iuvenemque superbum,
Servitio enixae, tulimus. Qui deinde, secutus
Ledaeam Hermionen Lacedaemoniosque Hymenaeos,
Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam.

Hectoris Andromachen? Pyrrhin connubia servam? Quae sors digna tibi post mortem Hectoris evenit? Verumne est, quod narratur, nam vix credere potui, servaene obtigit coniugium Pyrrhi? Aeneas primum rogare debuit de Pyrrho, quoniam hoc ordine temporis erat primum. De Heleno Andromache ipsa adderet, si verum esset. Proprie dici non potest *connubia revisunt servam*. Sed ex *fortuna revisit*, facile derivatur notio felicis eventus, spectati in connubio servae cum hero.

Deiecit voltum, et demissa voce locuta est. Qui mox legitur versus 348: *Et multum lacrimas verba inter singula fundit*, hunc versum huc mallem transferre, paulo mutatum, scribens nempe **SINGVLTIM** pro **ET MVLTVM**. Nemo non sentit, quam pulchre haec de Andromache dicerentur: *Deiecit voltum et demissa voce locuta est Singultim, et lacrimas verba inter singula fundit. Vox demissa* iam indicium est pudoris, magis etiam, si quis loquitur *singultim*. Horat. Satyr. I. VI. 56. *Ut veni coram, singultim pauca locutus, Infans namque pudor prohibebat plura profari.* Ubi Commentator: »per intervalla, interruptis verbis, propter verecundiam." Statius Theb. IX. 884. *Tandem haec singultu verba incidente profatur.*

Servitio enixae. Lactant. ad Statii Theb. V. 464. »*enitor*, pario. Unde *enixae* dicuntur, quae generant."

Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam. Ingratus est versus, quocunque te vertas. Sic vere iudicavit Heynius. Heinsius coniecit *me famulo famulam Heleno*. Schraderus et alii talem hiatum in epico carmine iure reprehendunt. Wagnerus, ut alios omittam, in Quaest. XXXIV. 2. hanc regulam ex Virgilianis exemplis posuit: »si res natura sua non disiunctas inter se copula iunxeris, propones illas tamquam diversas, eoque efficies, ut altera, non tam iuncta priori, quam ab ea seiuncta, plus nanciscatur roboris et gravitatis."

Ast illum, ereptae magno inflammatus amore
Coniugis, et scelerum Furiis agitatus, Orestes
Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit
Pars Heleno; qui Chaonios cognomine campos,

Ego semper putavi, illud *que* esse iudicium alterius substantivi, quod *me* debebat· sequi. Neque hoc substantivum longe quaerendum est. Non frustra Andromache dixerat *servitio enixae*. Pepererat filium. Atque hoc erat dicendum, ut intelligeret Aeneas, cur Helenus ad regnum venire potuisset. Pro FAMVLAMQVE scribendum puto SVBOLEMQVE. *Me famulo subolemque Heleno transmisit habendam*. Idque cum historia convenit. Pausanias Corinth. 23. narrat Helenum *ἐπιτροπεῦσαι τοῦ Πύῤῥου παῖδας, συνοικοῦντα Ἀνδρομάχῃ*. Quod Pausanias narrat de pluribus Pyrrhi liberis, hoc nihil ad emendationem huius loci. Servius ad vs. 297: »Pyrrhus Andromachen quasi legitimam habuit, et ex ea filium Molossum suscepit. Moriens praecepit ut Andromache Heleno daretur; inde factum est ut Helenus teneret regnum privigni, qui successerat patri." Haec Servius. *Habendam* autem significat propriam, ut in illo *propriamque dicabo*. Ovid. Heroid. VII. 163. *Parce, precor, domui, quae se tibi tradit habendam*. Dictys Cretens. I. pag. 34. *quam Glaucem Aiaci, exceptam reliquae praedae, habendam concedunt*. Atque *habendam* etiam recte de *subole* dicitur, quae sit in patria potestate.

Regnorum reddita cessit pars Heleno. Servius explicat *reddita* more antiquo pro simplice *data*. Habet interdum *reddendi* verbum significationem *dandi*, ut dicit prudenter Gronov. ad Senecae Octav. 802: non tamen ubique hoc valet. Sed *regnum* alicui *redditur*, qui amisit. Et *pars cessit Heleno* satis est. Non recte additur, pars *data* cessit. Fortasse Virgilius pro REDDITA scripsit TERTIA. Non possum eam divisionem ex historia confirmare, sed vero similem puto. Maiorem certe Helenus sperare non ausus esset. Videamus tamen, quod Strabo narrat VII. pag. 224. ex Theopompo, nobilissimas gentes in Epiro fuisse Chaonas et Molossos, qui olim toti Epiro imperaverunt, prius Chaones, deinde Molossi; Molossi propter cognationem regum valde creverunt. Iam Pyrrhus habebat quoque Phthiam in Thessalia. Hinc tres partes efficere possumus, unam in Thessalia, duas in Epiro. Virgilius quidem, quod ad Chaoniam attinet, aliam historiam sequitur. Sed ea regio, vel etiam altera, subiecta esse potuit Molossis.

Qui Chaonios cognomine campos. Versus difficiles. Possumus locum, qui

Chaoniamque omnem Troiano a Chaone dixit,
Pergamaque Iliacamque iugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui cursum venti, quae fata dedere?
Aut quisnam ignarum nostris deus appulit oris?
Quid puer Ascanius; superatne et vescitur aura,
Quae tibi iam Troia —

nondum habet nomen, campos *Chaonios* et *Chaoniam* appellare. Sed pars regnorum, quae Heleno cessit, habebat nomen. Pro isto igitur nomine dixit *Chaoniam*. Fingamus Greenvillum, qui partem Americae septentrionalis invenit, appellavitque *Virgineam*, a poeta sic laudari: *qui Virgineos cognomine campos Virgineamque omnem Britonum de virgine dixit:* recte ille esset laudatus, sed tamen rogarem, cur ille campos a caetera regione distinxisset. Difficultas fortasse sic expediri potest. Tertia pars cessit Heleno: quam partem *campos Chaonios* et omnino totam suam regionem, in qua rari campi, *Chaoniam* appellavit. Quae Servius annotavit, haec sunt mythologica: »Constat ibi olim regem nomine Campum fuisse, eiusque posteros Campylidas dictos, et Epirum Campaniam vocatam." Vide Stephanum Byzant. in *Καμμανία*. Quod Servius porro scripsisse dicitur: »alii filiam Campi *Castriam* ab Heleno ductam uxorem" — ibi Hemsterhusius eum scripsisse putat *Cestrinam*. Cestrinus etiam erat filius Heleni. Pausan. I. pag. 26. II. 164. Stephanus in *Τροία* hoc nomine urbem fuisse docet *ἐν Κεστρίᾳ τῆς Χαονίας*. *Cestrini*, Epiri populi, memorantur a Plinio Hist. Nat. Prooem. IV. Vide et Schol. Aristoph. ad Pacem 924. Rhianus apud Steph. in *Χαῦνοι*, qui locus omnino observandus. Adde Hesychius in *Κεστρινικοὶ βόες*. Haec annotavit Hemsterhusius.

Quid puer Ascanius; superatne et vescitur aura. Andromache omnia dixit, quae dicenda erant, ut Aeneas sciret, quid ipsi post captam Troiam accidisset. Rogat vicissim Aeneam, quo modo in Epirum salvus et incolumis pervenisset. Haec est finis orationis, quam ipsa ratio et consuetudo ostendunt. Quae Grammaticus aliquis Andromachen fecit addentem, ea verecundiam Virgilii non sapiunt. Non decebat Andromachen quaerere, viverentne Ascanius et Creusa, ne, si mortui essent, dolorem Aeneae suscitaret. Exspectare debebat, quoad ipse Aeneas ista exponeret.

Superatne et vescitur aura. Ex Aeneid. I. 546. *Quem si fata virum servant, si vescitur aura Aetheria.* Servius: »*superatne*, nove dictum est, et caret exemplo."

Quae tibi iam Troia —. Plerique Codd. *quem tibi*. Hemistichium variis modis suppletum est: *Quem*

Ecqua tamen puero est amissae cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles
Et pater Aeneas et avunculus excitat Hector?

tibi iam Troia peperit fumante Creusa: obsessa est enixa Creusa: Troia est obsessa enixa Creusa: Troia natum fumante reliqui: Troia peperit florente Creusa. Mihi non credibile videtur Virgilium talia concepisse, multo minus, quum salva caeterorum sententia abesse possint. Tucca et Varius, ut Heynius dicit, saltem rescissuri fuissent. Wagnerus locum interpretatur, ita ut *vescitur aura quae tibi iam Troia* — ad Creusam referantur, et oratio sit abrupta: »Andromachen enim ex vultu Aeneae coniecisse Creusam non amplius vivere." Non puto talis aposiopesios inveniri alterum exemplum. Aeneas saltem his auditis statim excipere sermonem debuisset. Hemistichium in optimis MSS. mancum relinquitur, neque Servius supplementum vidit. Suspicor extremam huius versus partem adeo fuisse ineptam, ut nonnulli in exemplis, quaa faciebant, deleverint. Finge fuisse: *Quem tibi iam Troia peperit fumante Creusa.* Homo, literarum non plane rudis, verba *peperit fumante Creusa*, servare non potuit.

Ecqua tamen puero est amissae cura parentis? Oportet Andromachen celerrime ex vultu Aeneae coniecturam de morte Creusae fecisse. Nam statim sic loquitur, quasi dudum de morte ipsius constiterit. Quid, si Creusa viveret, sed periculoso morbo laboraret? Aeneas etiam tunc tristem vultum ostendisset. *Cura* quin de amore ac pietate dicatur, non est dubium. An recte *cura* tribuatur puero, et *cura amissae parentis*, est dubium. Servius *parentis* accipit de *patria*.

Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles. Nimium hoc fere est de *puero*. Melius Aeneid. XII. 438. *Tu facito, mox cum matura adoleverit aetas Sis memor, et te animo repetentem exempla tuorum, Et pater Aeneas et avunculus excitet Hector.*

Avunculus Hector. Pater, mater, filius, nepos a gravitate epica non abhorrent. Usu receptum est, ut *patruus, avunculus* non adhiberentur. Neque apud nos, credo, in heroico carmine vel tragoedia ponuntur. Veteres huiusmodi vocabula, usu quotidiano nimis trita, appellabant *humilia*. Et *pater* et *mater* quotidie usurpabantur, sed ipsa rei maiestas gravitatem nominum custodit. Iam olim fuere, qui hoc *avunculus* tamquam *humiliter dictum* reprehenderint, ut annotavit Servius. Idem ad Aeneid. IV. 254. docet Virgilium propterea abstinuisse nomine *mergi*, ideoque periphrasi usum *avis, quae circum litora et piscosos scopulos humilis iuxta aequora volat.* Similia sunt in *ciconia, lucerna*, aliis. Egregia de hac re est annotatio Burmanni ad Valer. Flacci VI. 358. Denique haud facile

Talia fundebat lacrimans, longosque ciebat
Incassum fletus: quum sese a moenibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus affert,
Agnoscitque suos, laetusque ad limina ducit,
Et multum lacrimas verba inter singula fundit.
Procedo, et parvam Troiam, simulataque magnis
Pergama, et arentem Xanthi cognomine rivum

dictu est, cur Hector appelletur *avunculus* Ascanii. Heynius pro *consanguineo* accipit, Wagnerus proprie. Alterum *avunculus* ita cum *patre* coniunctus non admittit; alterius quae sit auctoritas, ignoro. Nusquam certe in Aeneide generis necessitudo inter Priamum et Aeneam conspicitur.

Et multum lacrimas verba inter singula fundit. Hunc versum, paulo mutatum, ad superiora reieci. Nam non video, cur Helenus hic adeo lacrimaretur. Ducit Aeneam *laetus* ad limina. Ergo lacrimatur prae laetitia. Sed Virgilius hoc primum significasset, deinde non lacrimantem fecisset *multum* et *inter singula verba*. Si non ex laetitia lacrimetur, causam tanti moeroris addere oportuisset. Emendavi autem *singultim*. Nam, ut *fundere lacrimas* Latinum est, ita *multum fundere lacrimas* an Latinum sit, vehementer dubito. Simile quidem exemplum non vidi. Et *multum* hic satis otiosum videtur. *Fundit lacrimas*, iam aliquid est. Fundit *inter singula verba*, plus est. *Multum fundit*, rem potius minuit, quam auget. Caeterum versus in Codicibus miro saepe casu sunt turbati. Tales errores ex uno MS. propagari possunt. In fragmento Vaticano versus 670. Aeneid. IV. insertus est inter vs. 677 et 678. Ibi ergo legitur: *Quid primum deserta querar? comitemne sororem, Carthago aut antiqua Tyros, flammaeque furentes, Sprevisti moriens? Eadem me ad fata vocasses.* Hoc si in omnibus MSS. invenissent viri docti, facile in suam sedem reduxissent, quia ibi plane est alienum. Tam alienus quidem noster hic versus non est, multum tamen haud differt.

Simulataque magnis Pergama. Sive dicas *parva simulata magnis* sive *magna simulata parvis*, eodem redit. Nam *simulare aliquid*, significat similem alicuius negotii formam exprimere. *Simulare* proprie *similare* scribi debebat. Usus non admisit. Conf. Heins. ad Aeneid. XII. 224. Burmannum ad Ovid. Metam. III. 158. Claudian. II. in Rufin. 81. Muncker. ad Hygin. pag. 159. Diomedes Grammaticus Graece reddidit per *ὁμοιάζειν*. Notum est quoque *ὁμοιόω* et *εἰκάζω*. Propter similitudinem loci Virgiliani, afferam exemplum Xenophontis in Anab. V. 3. *ὁ δὲ ναὸς*,

Agnosco, Scaeaeque amplector limina portae.
Nec non et Teucri socia simul urbe fruuntur.
Illos porticibus rex accipiebat in amplis.
Aulai medio libabant pocula Bacchi,
Impositis auro dapibus, paterasque tenebant.
Iamque dies, alterque dies processit; et aurae
Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus austro:
His vatem aggredior dictis, ac talia quaeso:

ὡς μικρὸς μεγάλῳ, τῷ ἐν Ἐφέσῳ εἴκασται. Pergama igitur *simulata magnis Pergamis* sunt *assimulata*, similia facta: ut Cicero ad Atticum Epist. IX. 8. *Minervam simulatam Mentori*. Hoc est Homericum *Μέντορι εἰδομένη*. Quare etiam recte scripsit Hyginus Poet. Astron. cap. 8. *Venerem aquilae simulatam*, et cap. 28. *Dianam cato simulatam*. Ovidius Metam. XIII. 721. dixit *simulata Troia*, omissa Troia, cui illa erat simulata.

Scaeaeque amplector limina portae. Valer. Flaccus I. 675. *da reddere terris Has animas, patriaeque amplecti limina portae.* Ubi scribendum puto: *patriaeque amplectar limina portae.* Et sic fortasse voluit Turnebus Adv. XXII. 28. citans *amplectar limina portae.*

Nec non et Teucri socia simul urbe fruuntur. Quatuor versus esse indico spurios. Rei ipsius imago est turbata, oratio languida nec satis Latina, ut Virgilius Latine scribebat. Nunquam ille dixisset *frui socia urbe.*

Illos porticibus rex accipiebat in amplis. Bryantus tres versus non putat esse Virgilii. Heynius tuetur quidem, sed ita ut tentare videatur, quomodo mala causa defendi possit.

Aulai in medio libabant pocula Bacchi. Et rex eos accepit in porticibus. Etiamsi aula fuerit vicina, qui sunt in porticibus, hi non possunt in media aula libare, nisi se eo ad libandum contulerint.

Impositis auro dapibus, paterasque tenebant. Hic versus Heynio frigere videtur. Wagnerus non frigere censet, si iungas *libabant et pateras tenebant*, hoc est, *libabant pateras tenentes.* Sed neque pulchre ista per *impositas auro dapes* separantur, et postulatur *tenebant pateras et libabant.* Ipse Virgilius hunc ordinem servavit, v. c. IV. Aeneid. 60. *Ipsa tenens pateram dextra pulcherrima Dido, Candentis vaccae media inter cornua fundit.* Iam quantas esse oportuit divitias, ubi cibi in auro apponuntur! Sed faciamus Helenum, ut Pyrrhi successorem, fuisse ditissimum, abhorrebat a more illius aetatis, aureas habere patinas. Aurea pocula erant frequentia.

Troiugena, interpres divom, qui numina Phoebi,
Qui tripodas, Clarii laurus, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, et praepetis omina pennae,
Fare age (namque omnem cursum mihi prospera dixit
Religio, et cuncti suaserunt numine divi
Italiam petere, et terras tentare repostas;
Sola novum, dictuque nefas, Harpyia Celaeno
Prodigium canit, et tristis denuntiat iras,
Obscenamque famem) quae prima pericula vito?
Quidve sequens tantos possim superare labores?
Hic Helenus, caesis primum de more iuvencis,
Exorat pacem divom, vittasque resolvit
Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phoebe,
Ipse manu multo suspensum numine ducit;
Atque haec deinde canit divino ex ore sacerdos:
Nate dea; nam te maioribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides: — sic fata deum rex
Sortitur, volvitque vices; is vertitur ordo; —
Pauca tibi e multis, quo tutior hospita lustres

Qui sidera sentis. Silius IV. 120. *huic superos sentire monentes Ars fuit, ac penna monstrare futura magistra.*

Sola novum, dictuque nefas, Harpyia Celaeno. Wagnerus dubitat an *prodigium dictu nefas* Latinum sit. Itaque *dictu nefas* seclusit. In Quaest. XXXV. 9. ostendit parenthesin saepe a copula incipi. Recte, puto.

Obscenamque famem. Orosius II. 4. *Egestas turpis atque obscena fames.*

Ad tua limina, Phoebe. Mallem *meque ad nova limina Phoebi*. Parum grata videtur haec apostrophe in hac narratione. *Novus* et *tuus* et *suus* saepe confusa sunt.

Quo tutior hospita lustres Aequora. Servius *hospita* interpretatur *vicina*, Heynius, *amica*, quae navigantes tutos ac salvos transmittant. Si aequora essent *amica*, minus, puto, requirebatur Heleni admonitio, quam sequens aequora *tutius* lustraret. *Hospita* pro *vicina* vix dici possunt, nisi particula Heleno vicina. Aeneae nullum ex omnibus aequoribus erat *hospitum*. Quare pro HOSPITA scribendum censeo ASPERA. Helenus praecipue cogitat Scyllam et Charybdin.

Aequora, et Ausonio possis considere portu,
Expediam dictis; prohibent nam cetera Parcae
Scire Helenum farique vetat Saturnia Iuno.
Principio Italiam, quam tu iam rere propinquam,
Vicinosque, ignare, paras invadere portus,
Longa procul longis via dividit invia terris.
Ante et Trinacria lentandus remus in unda,

Principio Italiam, quam tu iam rere propinquam. Oratio fiet et exquisitior et facilior, si locum ita constituimus: *Principio Italiam quod tu iam rere propinquam, Vicinosque, ignare, paras invadere portus; Longa procul longis via dividit intervallis.* Iam primum, quod putas Italiam esse propinquam, et portus invadere paras, quasi sint vicini, falleris: nam longe haec Italia etiam remota est. *Quod reris*, quod ad illud attinet quod reris, explicavimus ad Aeneid. II. 180. Latinum est: quod Italiam putas propinquam, longa via eam dividit. Ovid. Remed. 783. *Nam sibi quod nunquam tactam Briseida iurat Per sceptrum; sceptrum non putat esse deos.* Idem I. Trist. II. 81. *Quod faciles opto ventos, (quis credere possit?) Sarmatis est tellus, quam mea vota petunt.* Ubi Heinsius minus recte coniicit *quo faciles ventos.*

Longa procul longis via dividit invia terris. Vult Helenus: Italia, quam tu putas esse vicinam, non est vicina, sed longe remota, et via (si hoc addi placet ex vulgata lectione) eo ducit difficilis. Interpretes antiqui et recentiores in hoc versu explicando multum laboris posuerunt, quod ex commentariis Heynianis apparet. Interea, ut nunc legitur, significat: *longa via Italiam a te dividit*, longae terrae in medio sitae sunt, quas, fere invias, non nisi summa cum difficultate superabis. Sed, ut omittam *invia* sine ullo additamento sic positum iter indicare prorsus insuperabile, Aeneas navigabat, neque terra ad litus Laurens venire debebat, sed mari. Pro INVIATERRIS scribendum coniicio INTERVALLIS, quae mutatio facillima est, si literas quasdam transponimus. Idem dicit Helenus vs. 477. *Ecce tibi Ausoniae tellus, hanc arripe velis: Et tamen hanc pelago praeterlabare necesse est: Ausoniae pars illa procul, quam pandit Apollo.* Hinc cernitur neque viam fuisse *inviam*, et Tiberim longis intervallis ab ea Italiae parte seiunctum. *Intervallis* autem, ut V. Aeneid. 320. *Proximus huic, longo sed proximus intervallo.* Hic merito usus est *intervallis*, ut magnum illud spatium ostenderet inter Epirum et Tiberim. Pro *longa* Schol. Lucani VII. 478. aliud legit: »*procul*, *iuxta*, Virgilius: *sera procul* l. v. d. i. t.«

Et salis Ausonii lustrandum navibus aequor,
Infernique lacus, Aeaeaeque insula Circae,
Quam tuta possis urbem componere terra.
Signa tibi dicam; tu condita mente teneto:
Quum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fetus enixa, iacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati:
Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.
Nec tu mensarum morsus horresce futuros:
Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo.
Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
Proxima quae nostri perfunditur aequoris aestu,
Effuge: cuncta malis habitantur moenia Graiis.
Hic et Narycii posuerunt moenia Locri,
Et Sallentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus; hic illa ducis Meliboei
Parva Philoctetae subnixa Petelia muro.
Quin, ubi transmissae steterint trans aequora classes,
Et positis aris iam vota in litore solves:
Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignis in honore deorum
Hostilis facies occurrat, et omina turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto:

Quin, ubi transmissae steterint trans aequora classes. Verba Servii haec sunt: »quidam *transmissae* legunt, ut sit praepositio: *trans* autem adverbium, ut sit *transtulit.*" Wagnerus coniicit vel Servium scripsisse divisim *trans missae*, vel fuisse qui legerint *transmissas tulerint trans aequora classes:* ut sit *aequora classes transtulerint.* Ego ista expedire nescio. In *steterint* cogitandum ex versu sequenti *in litore.*

Purpureo velare comas adopertus amictu. Optime illi interpretes, qui accipiunt pro *vela te*, ut sit infinitivus passivus. Romani sic media Graecorum exprimunt. *Velare comas* est, vela *tibi* comas.

Hac casti maneant in religione nepotes.
Ast, ubi digressum Siculae te admoverit orae
Ventus, et angusti rarescent claustra Pelori,
Laeva tibi tellus, et longo laeva petantur
Aequora circuitu; dextrum fuge litus et undas.
Haec loca vi quondam, et vasta convolsa ruina,
Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas!
Dissiluisse ferunt, quum protenus utraque tellus
Una foret; venit medio vi pontus, et undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbis
Litore diductas angusto interluit aestu.
Dextrum Scylla latus, laevum implacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, et sidera verberat unda.
At Scyllam caecis cohibet spelunca latebris,
Ora exsertantem, et navis in saxa trahentem.
Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo
Pube tenus; postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas utero commissa luporum.
Praestat Trinacrii metas lustrare Pachyni

Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas. Claudian. II. in Eutrop. 244. *Sed quid non longa valebit Permutare dies?*

Venit medio vi pontus. In duobus MSS. *medio venit.* Fortasse nonnulla olim habuerunt *medius venit inter pontus.* Ita I. Aeneid. 348. *Quos inter medius venit furor.* Vocabulum *vi* hic minus eleganter repetitur. Supra eo iam usus est in eadem re *Haec loca vi quondam — — dissiluisse ferunt.* *Venit* et *abscidit*, praesens et perfectum, bene in tali causa iunguntur.

Rursusque sub auras Erigit alternos. Nulli Codices hic praebent *egerit.* Imprudens hoc scripsit Burm. ad Valer. Flacci VI. 186. Sed tempore Pierii ita coniiciebant viri haud illiterati. Utrumque recte dicitur. *Erigit* est *egerit* in altum: *egerit* simpliciter *eiicit.* Ergo apud Valerium l. l. verum est *egerit*, apud Virgilium *erigit.*

Cessantem, longos et circumflectere cursus,
Quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam, et caeruleis canibus resonantia saxa.
Praeterea, si qua est Heleno prudentia, vati
Si qua fides, animum si veris implet Apollo,
Unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum
Praedicam, et repetens iterumque iterumque monebo:
Iunonis magnae primum prece numen adora;
Iunoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera donis: sic denique victor
Trinacria finis Italos mittere relicta.
Huc ubi delatus Cumaeam accesseris urbem,
Divinosque lacus et Averna sonantia silvis:
Insanam vatem adspicies; quae rupe sub ima

Vati Si qua fides, animum si veris implet Apollo. Sic locum Heynius et Wagnerus cum aliis bene distinxerunt. Alii iungunt *Heleno prudentia vati.* Wakkerus in Amoenit. Liter. pag. 17 coniicit: *vati Si qua fides, animum cui veris implet Apollo.* Apollo *implet animum veris*, pro verum me vatem facit. *Verus* ut ἀληθής, cognitum in hac re. Conf. et Burm. ad Valer. Flacci V. 4.

Et repetens iterumque iterumque monebo. Multa MSS. *iterum iterumque.* Heynius hoc vocat solemne vitium. Sed iam veteres haesitasse videntur, utrum esset praeferendum. In vs. 770. Aeneid. II. Mediceus quoque habet, *Nequidquam ingeminans iterum iterumque vocavi.* Accedit auctoritas Quintiliani Instit. II. 13. a Burmanno laudata: *equidem id maxime praecipiam, ac repetens iterum iterumque monebo.* Adde Bedam de metris pag. 2376. *Virgilius et M ubi voluit in fine verbi positam a supervenientis vocalis assumtione reservavit, ut: iterum iterumque monebo.* Ita hunc locum e MS. Leidensi restituit P. Boudamus in Var. Lection. II. 9. qui Virgilium scripsisse arbitratur, ut Beda exposuit. Et sic Horat. Satyr. I. x. 39. *Ne redeant iterum atque iterum spectanda theatris.*

Supplicibus supera donis. Pauca huc pertinentia annotavit Heinsius ad Ovidii Art. I. 343.

Insanam vatem adspicies. Servius: »Alii magnam dicunt. Sed melius *deo plenam* et vaticinatricem intelligimus." In hac interpretatione illud *deo plena* est memorabile. Lectum hoc olim fuit in ipso Virgilio, nunc non amplius

Fata canit, foliisque notas et nomina mandat.
Quaecunque in foliis descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit.
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.
Verum eadem, verso tenuis quum cardine ventus
Impulit, et teneras turbavit ianua frondis,
Nunquam deinde cavo volitantia prendere saxo,
Nec revocare situs, aut iungere carmina curat.
Inconsulti abeunt, sedemque odere Sibyllae.
Hic tibi ne qua morae fuerint dispendia tanti;
Quamvis increpitent socii, et vi cursus in altum

apparet. Fuscus Arellius, declamator, narrante Seneca Suasor. III, solebat multa ex Virgilio trahere, in quibus et illud »quod tantum non impie aiebat se imitatum Virgilium, *plena deo.* Solet autem Gallio noster hoc aptissime ponere." Ibi pro *impie* legendum *improbe. Improba* imitatio est *impudens*, nimia. Nam ipsa sunt Virgilii verba. Tum pro *aptissime* scribendum *ineptissime. Ineptus* est, qui aliquid facit loco et tempore alieno. De Gellione Seneca addit: »Apud Caesarem cum mentio esset de ingenio Haterii, Gellio, consuetudine prolapsus, dixit *plena deo.* Quaerenti deinde, quid hoc sese vellet, versum Virgilii retulit, et quomodo hoc sibi semel apud Messalam excidisset, et nunquam postea potuisset excidere." Utebatur igitur Gellio verbis Virgilii *plena deo* ad laudandos oratores, deinde abutebatur ad quaevis laudanda. Ac de oratoribus recte et ex more temporis adhibuit, ut Graeci suum *θεοφορήτως*, notam acclamandi formulam, de qua Wyttenb. ad Plutarchi Moralia Animadv. T. I. pag. 452. Interea Virgilianum *plena deo* celebratum fuisse videtur. Ovidius, teste eodem Seneca, ex Virgilio in Tragoedia posuit: *feror huc illuc, ut plena deo.* Placuit et aliis. Priscian. de Anastasio vs. 142. *ac veluti Delphis Phoebas, cum numine plena.* Dictys Cretensis B. Troi. I. pag. 21. *Mulier quaedam, deo plena.* Conf. Barth. ad Calpurnii Eclog. I. 89. et Interpr. ad Minutii Felicis Dialog. pag. 65.

Digerit in numerum. Servius *in ordinem.* Recte, puto. Ordo tamen est secundum *numeros.* Lucan. II. 111. *In numerum pars magna perit.* Ubi *in numerum* optime intelligitur ex opposito *in nomen perire.* Pereunt *in numerum*, v. c. centum, mille occidendi sunt, nil refert; qui pereunt *in nomen* et ad nomen, qui nominantur, citantur.

Et vi cursus in altum Vela vocet. MS. Leid. *vi ventus:* Witt. *tua cur-*

Vela vocet, possisque sinus implere secundos;
Quin adeas vatem, precibusque oracula poscas.
Ipsa canat, vocemque volens atque ora resolvat.
Illa tibi Italiae populos, venturaque bella,
Et, quo quemque modo fugiasque ferasque laborem,
Expediet; cursusque dabit venerata secundos.
Haec sunt, quae nostra liceat te voce moneri.
Vade age, et ingentem factis fer ad aethera Troiam.
Quae postquam vates sic ore effatus amico est:
Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto
Imperat ad navis ferri, stipatque carinis
Ingens argentum, Dodonaeosque lebetas,
Loricam consertam hamis auroque trilicem,
Et conum insignis galeae, cristasque comantis,
Arma Neoptolemi. Sunt et sua dona parenti.
Addit equos, additque duces;

sus. Wakef. coniicit: *vi rursus*, et *vi caurus.* Mallem: *et te rursus in altum Vela vocent.* Illud *vi* omnino displicet. *Rursus*, ut Ovid. Metam. XIV. 437. *Rursus inire fretum, rursus dare vela iubemur.* Proprie venti *nos vocant*, tum venti *vocant vela*, deinde *vela ventis* inflata nos *vocant*, hic autem simpliciter *vela vocant* pro *consilium itineris* absolvendi nos in mare vocat. Vult enim: quamvis socii increpitent, et ipse festines, et ventis secundis proficisci possis. Quare Servius *vela vocent* valde nove dictum putet, non intelligo.

Precibusque oracula poscas. Wakefieldus iungebat: *poscas precibus, ut ipsa canat oracula.*

Haec sunt, quae nostra liceat te voce moneri. Ovid. Metam. XIII. 722. *Inde futurorum certi, quae cuncta fideli Priamides Helenus monitu praedixerat.*

Addit equos, additque duces. Credo poetam in donis Aeneae substitisse; verbo addidit, et Anchisen sua accepisse. Mirum de equis. Tum *duces* intellectu difficile. Veteres accepere vel de *ducibus equorum*, vel de *ducibus itineris.* Agasones intelligi vix patitur repetitum *additque*, ut bene vidit Wagnerus. Duces *itineris* non erat necessarium, unus sufficiebat. Et si *ducem* itineris dedisset, non tam multa de via, quam sequeretur, dixisset.

Remigium supplet; socios simul instruit armis.
Interea classem velis aptare iubebat
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.
Quem Phoebi interpres multo compellat honore:
Coniugio, Anchisa Veneris dignate superbo,
Cura deum, bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Ausoniae tellus: hanc arripe velis.
Et tamen hanc pelago praeterlabare necesse est;
Ausoniae pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, o felix nati pietate! quid ultra
Provehor, et fando surgentis demoror austros?
Nec minus Andromache, digressu moesta supremo,
Fert picturatas auri subtemine vestis,
Et Phrygiam Ascanio chlamydem; *nec cedit honori;*

Remigium supplet; socios simul instruit armis. Fictus versus ex Aeneid. VIII. 80. *geminasque legit de classe biremes, Remigioque aptat, socios simul instruit armis.* Quae Latina sunt, et intelligi possunt. Si nostrum locum ad eam rationem explices, haec redit sententia: Aeneae dat novos remiges, et simul socios Aeneae armis instruit, *socios armat.* Sed socii habebant arma. Quod recte positum est in Aeneide VIII. *simul*, hic supervacuum videtur.

Fieret vento mora ne qua ferenti. Valer. Flaccus III. 490. *ne qua inde inceptis fieret mora.*

Multo compellat honore. In MSS. duobus *amore.* Sed recte Burm. *honore verborum.* Sic Silius II. 483. *quam tali alloquitur — honore.*

Vade, ait. Cod. Med. *Vade age.* Fortasse est mutatum, quia praecessit *compellat.* Sed *ait* saepe repetitur, sive *dixit* praecesserit, sive sequatur. Confer interpretes ad Ovid. Metam. VI. 281.

Nec cedit honori. Scaurus, apud Servium, legebat *honore*, hoc est, *non cedit liberalitate:* alii accipiunt pro non cedit *honore verborum.* Multi interea hemistichium tollendum esse putaverunt; Weichertus praeterea *textilibusque onerat donis* spuria censet, et Virgilium dedisse coniicit: *Et Phrygiam Ascanio chlamydem, ac talia fatur.* Wagnerus omnia pro non satis elaboratis habet. Et *cedit honore* vel *honori* valde ambiguum est. Vulgo significat, ut legitur apud Silium XII. 412. *nec cedit honore Ascraeo famave seni.* Virgiliana sunt, puto: *Et Phrygiam Ascanio chla-*

Textilibusque onerat donis, ac talia fatur:
Accipe et haec, manuum tibi quae monumenta mearum
Sint, pucr, et longum Andromachae testentur amorem,
Coniugis Hectoreac. Cape dona extrema tuorum,
O mihi sola mei super Astyanactis imago.
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat;
Et nunc aequali tecum pubesceret aevo.
Hos ego digrediens lacrimis affabar obortis:
Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Iam sua: nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies: nullum maris aequor arandum;
Arva neque Ausoniae, semper cedentia retro,
Quaerenda. Effigiem Xanthi Troiamque videtis,
Quam vestrae fecere manus, melioribus, opto,
Auspiciis, et quae fuerit minus obvia Graiis.
Si quando Thybrim vicinaque Thybridis arva

mydem: Accipe, ait, manuum sq. In MS. Mentel. tantum legitur: *nec cedit.*

Textilibusque onerat donis. Waguerus illa post superiora languere agnoscit, ita tamen defendit, ut ad copiam donorum, per verbum *onerat* declarandam, adiecta statuamus. Non video, quomodo *dona textilia* a *vestibus* et *chlamyde* differant. *Onerat* nempe Ascanium. Quis ferat iam tautologiam? Dat Ascanio *vestes* auro intextas, *chlamydem* Phrygiam, et enm onerat *vestibus* textilibus. Interpretes ad Valer. Flacci III. 9. *Cysicus abscessu lacrimans; oneratque superbis Muneribus, primas coniux Percosia vestes, Quas dabat et picto Clyte variaverat auro:* putant ea ex Virgilio esse desumta. Nec similitudo negari potest, etiam propter *abscessu lacrimans*, quod est Virgilianum *discessu moesta supremo.* Hinc igitur appareret locum iam tempore Valerii fuisse interpolatum.

Accipe et haec. Iam veteres dubitabant quomodo *et* interpretarentur. Servius: »Aut intelligimus ante aliqua fuisse donata, aut certe secundum ius locutus est. Omnia enim, quae vel avus vel pater acceperat, ad Ascanium haereditatis iure deveniunt. An *et haec*, praeter illa, quae Helenus tibi dedit?" Haec Servius. In Cod. Med. post *accipe* interpungitur. Neque recentiores se hinc expediunt, nisi locum esse non satis a Virgilio perfectum. Putavi verum: *Accipe, ait, manuum* sq.

Intraro, gentique meae data moenia cernam:
Cognatas urbis olim populosque propinquos,
Epiro, Hesperia, (quibus idem Dardanus auctor,
Atque idem casus), unam faciemus utramque
Troiam animis. Maneat nostros ea cura nepotes.
  Provehimur pelago vicina Ceraunia iuxta,
Unde iter Italiam cursusque brevissimus undis.
Sol ruit interea, et montes umbrantur opaci.
Sternimur optatae gremio telluris ad undam,
Sortiti remos, passimque in litore sicco
Corpora curamus; fessos sopor irrigat artus.
Necdum orbem medium Nox horis acta subibat:

Epiro, Hesperia. Varie Codices *Epiri, Epiro, Hesperiam.* Heynius coniicit: *Epirom, Hesperiam.* Nihil melius video. Deest copula, ut arctius vinculum significetur. Epirum, Hesperiam faciemus unam quasi animam in duobus corporibus.

Sortiti remos. Heynius explicat, qui eramus sortiti, qui diem remos agitando exegeramus. Servius: »Per *sortem divisi* ad officia remigandi." Neque aliud significare potest. Sed quid opus erat sortitione remorum, quum in gremio telluris optatae sternerentur et corpora in sicco litore curarent? Melius haec transposita leguntur: *Sortiti remos, gremio telluris ad undam Sternimur optatae.* Fiunt tenebrae, ventus adeo cessat cum sole occaso; remigamus per vices, quo celerius terram attingeremus. Pervenimus in terram.

Necdum orbem medium Nox horis acta subibat. Difficile *horis acta.* Exquisite, dicit Heynius, pro *horis exactis.* Etiamsi hoc ita usurpari posset, hic minus recte se haberet. Loquitur enim de cursu nondum medio. *Horis actis,* esset, cursus Noctis absolutus. *Nox* est dea, persona. Iam oratio videtur humilis: Dea, *horis actis,* iter fere dimidiatum perfecit. Requiritur aliquod huius imaginis poeticae ornamentum. Reperisse mihi visus sum, HORIS ACTA mutans in ASTRIS CINCTA. In MSS. saepe cernitur ORIS et CICTA. Pulcher versus: *Necdum orbem medium Nox astris cincta subibat.* Ita Noctem optimi poetae depingunt, quam siderum chori sequuntur et cingunt. Eurip. Ione 1150. *Μελάμπεπλος δὲ Νὺξ ἀσείρωτον ζυγοῖς Ὄχημ' ἔπαλλεν, ἄστρα δ' ὡμάρτει θεᾷ.* Theocrit. Eid. II. 165. *Χαῖρε Σεληναία λιπαρόχροε χαίρετε δ' ἄλλοι Ἀστέρες, εὐκήλοιο κατ' ἄντυγα Νυκτὸς ὀπαδοί.* Utroque loco usi sunt

Haud segnis strato surgit Palinurus, et omnis
Explorat ventos, atque auribus aera captat;
Sidera cuncta notat tacito labentia coelo,
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones,
Armatumque auro circumspicit Oriona.
Postquam cuncta videt coelo constare sereno:
Dat clarum e puppi signum; nos castra movemus,
Tentamusque viam, et velorum pandimus alas.
Iamque rubescebat stellis Aurora fugatis:
Quum procul obscuros colles humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates;
Italiam laeto socii clamore salutant.
Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit, implevitque mero, divosque vocavit
Stans celsa in puppi:
Di, maris et terrae tempestatumque potentes,

interpretes ad Tibulli II. 1. 87. *Ludite, iam Nox iungit equos, currumque sequuntur Matris lascivo sidera fulva choro.* Adde Valerii Flacci V. 566. qui nostram emendationem mire confirmat: *Qualibus assurgens Nox aurea cingitur astris.* Petron. 100. *Luna innumerabilibus sideribus comitata.* Propert. II. 19. *Testes sidereae tota corona deae.* Ubi vide Burmannum. Appul. de Deo Socratis pag. 121. *radiantes deos* (astra), *quibus coeli chorum comtum et coronatum suda tempestate visimus.* Bene autem Virgilius *Noctem astris cinctam* proposuit, quia mox Palinurus *Sidera cuncta notat tacito labentia coelo.* In MS. Goth. erat *Nox horis apta.* Heynius vocat non *malum lapsum.* Non credo esse errorem librarii, sed variam ex meliore codice lectionem. Nam error esset vere eruditus. Interea *apta horis* vix intelligi potest, sed *apta* indicat in aliis MSS. fuisse *astra aptis:* quod quam elegans sit et Latinum, apparet ex Aeneid. IV. 482. *Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.* Ibi plura annotarunt interpretes.

Pluviasque Hyadas. Male Codd. nonnulli *Pliadasque.* Vulgatum etiam defenditur auctoritate Appuleii de Deo Socratis pag. 120.

Di, maris et terrae tempestatumque potentes. Cur Anchises invocaret deos *terrae potentes* in itinere maritimo, me non intelligere fateor. Suspectum est, vel propter posituram

Fertc viam vento facilem, et spirate secundi.
Crebrescunt optatae aurae, portusque patescit
Iam proprior, templumque apparet in arce Minervae.
Vela legunt socii, et proras ad litora torquent.
Portus ab Euroo fluctu curvatus in arcum;
Obiectae salsa spumant adspargine cautes:
Ipse latet; gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli, refugitque ab litore templum.
Quatuor hic, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentis campum late, candore nivali.
Et pater Anchises: Bellum, o terra hospita, portas;
Bello armantur equi; bellum haec armenta minantur.
Sed tamen idem olim curru succedere sueti

inter *maris* et *tempestatum*. Servius explicat *terram, ad quam iturus sum*. Habet sine dubio suos quaevis terra deos, quos intraturi venerabantur. Sed istorum deorum non erant *venti*, nisi fortasse auram mitterent a terra, quae tamen hic Aeneae esset contraria. Praeterea nemo legens, *di maris et terrae*, aliter *terram* accipiet, quam universam tellurem, mari oppositam. Neque satis differunt *maris et tempestatum*, ut *terrae*, in medio positum, ita utrumque separet. Nihil frequentius est, quam *di maris et coeli*. Atque hoc optime huic loco conveniret. Sed nimis a vulgato recedit. Igitur pro ET TERRAE excogitavi VNDARVM. *Di maris, undarum tempestatumque potentes*. Di maris, qui undas et tempestates regitis. Sic Valer. Flaccus I. 667. *Di, quibus undarum tempestatisque sonorae Imperium*. Non dissimilis formula apud Statium Theb. V. 288. *curvo robore clausum, Dis pelagi ventisque, et Cycladas Aegaeoni Complexo, commendo patrem*.

Ipse latet. Donatus videtur legisse *patet*. Wagnerus *latet* interpretatur, reductus est a ventis. Mallem *ipse tacet*. Illud *ipse* opponitur antecedentibus: *cautes obiectae spumant salsa adspargine*, hoc est, extra portum fluctus vehementer sonant. In *ipso portu* altum est silentium et quies. Eadem ratio Aeneid. III. 570. *Portus ab accessu ventorum immotus, et ingens Ipse, sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis*. *Tacere* de mari et fluctibus, notum est, ut Graecorum πόντος σιγᾷ. Conf. Burm. ad Valer. Flacci III. 732. et Cortius ad Lucani II. 260. *Rura silent, mediusque tacet sine murmure pontus*.

Quadrupedes, et frena iugo concordia ferre:
Spes et pacis, ait. Tum numina sancta precamur
Palladis armisonae, quae prima accepit ovantis;
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu;
Praeceptisque Heleni, dederat quae maxima, rite
Iunoni Argivae iussos adolemus honores.
Haud mora: continuo perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obvertimus antennarum,
Graiugenumque domos suspectaque linquimus arva.
Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
Cernitur. Attollit se diva Lacinia contra,
Caulonisque arces, et navifragum Scylaceum.
Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Aetna;
Et gemitum ingentem pelagi, pulsataque saxa
Audimus longe, fractasque ad litora voces;

Tum numina sancta procamur. Pomponius Sabinus annotavit: »Ita et Probus legit et Apronianus." Quae sit illa lectionis varietas, dictu difficile est. Viri docti coniiciunt fuisse *sacra* pro *sancta*, vel *nomina* pro *numina*. Addere possem *magna* pro *sancta:* ut III. Aeneid. 437. *Iunonis magnae primum prece numen adora.* Fortasse tamen ea annotatio retrahenda est ad, *Spes et pacis, ait.* Ubi antiquos inter *et* atque *est* haesitasse apparet ex Servianis.

Et capita. Vere, puto, Wagnerus ex variis lectionibus effecit, Virgilium scripsisse *et caput.*

Fractasque ad litora voces. Aliquot MSS. *ab litore*, et Med. a manu secunda. Sed *ab litore audimus*, ni fallor, Latine significat, audimus, *in litore stantes.* Caesar B. Gall. I. 67. *a castris conclamatum est*, clamor oriebatur ab illis, qui in castris erant. Frontin. Strateg. IV. 1. *a terra voce et gestu expostularet.* Conf. Oudend. ad Lucani V. 640. *videre trementes Fluctibus a summis praeceps mare.* Ubi tamen alii praeferunt *fluctibus e summis.* Et praepositio *e* vel *ex* idem significat. Cognitum est Lucretii: *E terra alterius magnum spectare laborem.* Graeci quidem frequentius utuntur ἀπὸ quam ἐκ. Ut in Anthol. Lubini IV. p. 77. ipsum illud Lucretianum sic effertur: ἀπ' ἠπείρου ὁρᾶν πέλαγος. Liban. Epist. 548. *ὅπερ οἱ τοὺς ἐν χειμῶνι πλέοντας ἀπὸ γῆς ὁρῶντες πάσχουσι.* Quae loca propter similitudinem cum forma *a litore audire*

Exsultantque vada, atque aestu miscentur arenae.
Et pater Anchises: Nimirum haec illa Charybdis;
Hos Helenus scopulos, haec saxa horrenda canebat.
Eripite, o socii: pariterque insurgite remis.
Haud minus ac iussi faciunt; primusque rudentem
Contorsit laevas proram Palinurus ad undas;
Laevam cuncta cohors remis ventisque petivit.
Tollimur in coelum curvato gurgite, et idem
Subducta ad Manis imos desidimus unda.
Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere;
Ter spumam elisam et rorantia vidimus astra.
Interea fessos ventus cum sole reliquit;
Ignarique viae Cyclopum allabimur oris.
  Portus ab accessu ventorum immotus, et ingens

attuli. Talia sunt *ἀπὸ γῆς βοῷν*, quae explicavit D'Orvill. ad Chariton. pag. 703. Troiani autem *ab litore* non poterant audire, quia non stabant in litore, sed navigabant. Et *fractas ad litora* vim habet praecipuam, quia litora ipsum sonitum efficiunt, fluctus scilicet frangentia.

Rudentem Contorsit laevas proram Palinurus ad undas. Heins. ad Aeneid. V. 143. scribendum putat *tridentem.* Et *prora* recte dici potest *tridens*, ut ibi *rostra tridentia* appellantur. In MSS. quibusdam legitur *rudentes.* Fortasse fuit altera lectio: *rudentes Contorsit laeva proram Palinurus ad undas.* Servius tale aliquid cognovisse videtur. Annotatum est: »*si rudentem proram*, id est *stridentem* et sonantem in tempestate." Annotatio est mutilata, et deest v. c. *si rudentes undas* caet.

Interea fessos ventus cum sole reliquit. Hic versus facit ad firmandam transpositionem, quam supra vs. 509 feci: *Sortiti remos, gremio telluris ad undam Sternimur optatae.* Adde Rutil. Itiner. I. 343. *Sic festinantem ventusque diesque reliquit.*

Portus ab accessu ventorum immotus, et ingens Ipse. Illud *ipse* inservit opposito. Ita VII. Aeneid. 79. *Namque fore illustrem fama fatisque canebant, Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.* Statius Achill. I. 168. *leaenam Perculerat ferro, vacuisque reliquerat antris, Ipsam, sed catulos apportat.* Iam opposita sunt *portus ipse* immotus, *sed Aetna* iuxta tonat. Epitheton

Ipse, sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem,
Turbine fumantem piceo et candente favilla;
Attollitque globos flammarum, et sidera lambit:
Interdum scopulos avolsaque viscera montis
Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exaestuat imo.
Fama est, Enceladi semiustum fulmine corpus
Urgueri mole hac, ingentemque insuper Aetnam

ingens huic loco non convenit. Sive portus sit *ingens* sive *parvus*, nil refert. Pro INGENS scribendum arbitror VNDIS. *Portus ab accessu ventorum immotus et undis, Ipse, sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis.*

Horrificis iuxta tonat Aetna ruinis. Locus illustris de Aetna, quem cogitasse videtur Seneca Epist. 79. *Omnibus feliciter hic locus* (de Aetna) *se dedit: et qui praecesserunt, non praeripuisse mihi videntur, quae dici poterant, sed aperuisse. Sed multum interest, utrum ad consumtam materiam, an ad subactam accedas. Crescit in dies, et inventuris inventa non obstant. Praeterea conditio est optima ultimi. Parata verba invenit, quae aliter instructa novam faciem habent; nec illis manus iniicit, tamquam alienis, sunt enim publica.*

Erigit eructans. Recte Heynius *erigit* prae altero *egerit* amplectitur. In ipso sono *erigit* maior est vis, ubi litera *r* ab initio auditur. *Eructat* paucis illustravit Heins. ad Ovid. Metam. V. 353. *sub qua resupinus arenas Eiectat, flammasque fero vomit ore Typhoeus.*

Ingentemque insuper Aetnam Impositam. Non Aetna flammam exspirat, sed Enceladus *per Aetnam.* Hoc, ut nunc ista leguntur, non satis perspicue declaratum est. Mallem: *ingentemque insuper Aetnam Impositum. Impositus Aetnam*, ut Statius *iniectus terras*, Theb. XI. 16. *Sed gravat iniectus terras, hostiliaque urit Arva, et anhelantem coelesti sulphure campum.* Graece ἐμβεβλημμένος γῆν. Stat. IV. Theb. 267. *Imbelli parma pictus Calydonia matris Proelia.* Sic ipse Virgilius: *pictus acu chlamydem.* Valer. Flaccus I. 398. *arma tuos casus expressa.* Silius I. 407. *Flumineaque urna caelatus Bagrada parmam.* Postea vidi et Bothium voluisse *impositum.* Comparandus hic est Valer. Flacci II. 28. de Typhoeo: *Hunc profugum et sacras revomentem pectore flammas, Ut memo-*

Impositam ruptis flammam exspirare caminis;
Et, fessum quoties mutet latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, et coelum subtexere fumo.
Noctem illam tecti silvis immania monstra
Perferimus; nec, quae sonitum det causa, videmus.
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus aethra
Siderea polus; obscuro sed nubila coelo;
Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.
Postera iamque dies primo surgebat Eoo,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram:
Quum subito e silvis, macie confecta suprema,
Ignoti nova forma viri, miserandaque cultu,
Procedit, supplexque manus ad litora tendit.

rant, prensum ipso comis Neptunus in altum Abstulit, implicuitque vadis: totiesque cruenta Mole resurgentem, torquentemque anguibus undas Sicanium dedit usque fretum; cumque urbibus Aetnam Intulit, ora premens: trux ille eiectat adesi Fundamenta iugi: pariter tunc omnis anhelat Trinacria, iniectam fesso dum pectore molem Commovet experiens, gemituque reponit inani. Ubi mutanda nonnulla sunt: *Sicanium rapit usque fretum, cumque urbibus Aetnam Iniicit, ora premens.* Ideo mox bene sequitur *moles iniecta.* Pro *eiectat* et hic vere alii restituunt *eructat.* Verbum elegantius, quam ut Valerius hic e Virgilio suo non imitaretur.

Et fessum quoties mutet latus. MSS. quaedam *motat.* Vere Wagnerus hoc etiam propterea reiicit, quia adverbio *quoties* parum commode subiicitur frequentativum. Et plurimi interpretes *mutat*, tamquam exquisitius, merito praeferunt, in his et Hemsterhusius. Denique magis, credo, proprium est iis, qui fessi sunt iacendo, *latus mutare*, quam *movere.* Quare etiam, si *movere* usurpetur, fere additur *in alteram partem*, ut Callim. H. in Del. 143. *εἰς ἑτέρην Βριαρῆος ἐπωμίδα κινυμένοιο.* Appul. Metam. I. pag. 54. *marcidus et semisopitus, in alterum latus evolutus.* Scholiasta Lucani bis Virgilium respexit: VI. 92. »Typho unus ex gigantibus premitur, qui dum *se vertit in aliam partem*, perhibetur anhelare et ignem spirare:" VI. 294. »Aetna recipiens spiramina venti ingentes globos egerit flammarum, quod quoties fit, dicitur fulminatum Enceladus *mutare latus.*"

Respicimus. Dira illuvies, immissaque barba,
Consertum tegumen spinis: at cetera Graius,
Et quondam patriis ad Troiam missus in armis.
Isque ubi Dardanios habitus et Troia vidit
Arma procul: paullum adspectu conterritus haesit,
Continuitque gradum; mox sese ad litora praeceps
Cum fletu precibusque tulit: Per sidera testor,
Per superos, atque hoc coeli spirabile lumen:
Tollite me, Teucri; quascunque abducite terras;
Hoc sat erit. Scio me Danais e classibus unum,
Et bello Iliacos fateor petiisse Penates.
Pro quo, si sceleris tanta est iniuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastoque immergite ponto.
Si pereo, hominum manibus periisse iuvabit.

Immissaque barba. Pauci Codd. *dimissa*, hoc est *demissa*, et *promissa*. Recte *immissa*. Vide Heins. et Burm. ad Ovidii Metam. VI. 168.

Consertum tegumen spinis. Ovidius haec ante oculos habuit Metam. XIV. 165. *iam non hirsutus amictu, Iam suus, et spinis conserto tegmine nullis.* Vide Heins. et Burm. ad Lucani IV. 136.

Et quondam patriis ad Troiam missus in armis. Pro *et* alii *ut*. Heynius putat totum versum esse alienum, et ex Aeneid. II. 87. *Pauper in arma pater primis huc misit in annis*, confictum. Cogitat etiam omnia melius inter se fore nexa, si mox pro *Isque ubi* legas *Namque ubi*. Wagnerus *et* explicat *et quidem:* caetera erat Graius, et unus quidem ex iis, qui ad Troiam venerant. Equidem Virgilium scripsisse condicio: *Et patriis, ut quondam ad Troiam missus, in armis.* Videbamus hominem dira illuvie, barba promissa, tegmine spinis conserto: caeterum Graecus esse apparebat, eratque armatus, ut Graeci erant armati, qui olim ad Troiam venerant. *In armis patriis*, pro *armatus more patrio.* Socii autem Ulyssis armati venerant in antrum Cyclopis, et arma servaverat Achaemenides. Ex armis inprimis Aeneas Graecum agnoscebat.

Scio me Danais e classibus unum. Nonnulli *de*. Valerius Flaccus I. 196. *Scio me cunctis e gentibus unum.*

Si pereo, hominum manibus periisse iuvabit. Ambros. I. Ep. 19. alteram lectionem *manibus hominum* secutus esse videtur: *si pereundum est, iuvat perire manibus Palaestinorum.*

Dixerat; et genua amplexus, genibusque volutans
Haerebat. Qui sit, fari, quo sanguine cretus,
Hortamur; *quae deinde agitet Fortuna, fateri.*
Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus,
Dat iuveni, atque animum praesenti pignore firmat.
Ille haec, deposita tandem formidine, fatur:
Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulixi,
Nomen Achemenides, *Troiam, genitore Adamasto
Paupere (mansissetque utinam Fortuna!) profectus.*
Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Immemores socii vasto Cyclopis in antro
Deseruere. Domus sanie dapibusque cruentis,
Intus opaca, ingens. Ipse arduus, altaque pulsat

Quae deinde agitet Fortuna, fateri. Durum est *hortamur fari, fateri.* Vocabulum *deinde* alii iungunt cum *fateri.* Sed quis ita locutus est unquam, *hortamur fari, deinde fateri?* *Fari ac fateri* Latinitas postulat; neque tamen *fateri* probum est. Non dicimus *fateri calamitates suas*, sed *narrare.* Waguerus *deinde* explicat, ut fere idem sit, quod *iam.* Sed vel sic longe melius abesset. Omnino sufficit: rogamus, ut nobis dicat, qui sit et unde. Rogantibus, qui esset, Achemenides non exponere non poterat, quomodo in Siciliam venisset.

Nomen Achemenides. Virgilius hic melius desiisset. Quae sequuntur, non satis sunt elaborata. Exspectassem Troiam *missus.* Nunc cogimur accipere absolute *genitore Adamasto paupere*, cum pater esset pauper. Ipsa tamen ratio et consuetudo sermonis non eo ducit, ut accipiamus *sum ex Ithaca*, nominor Achemenides, natus patre Adamasto. Iam illa *mansissetque utinam Fortuna!* quid significant, nisi: atque utinam patri et mihi ea fortuna mansisset, mansissemus pauperes: at nunc facti sumus divites quidem, sed infelices. Atqui Achemenides nesciebat quid de patre factum esset, et ipse erat pauperior, quam fuerat domi. Quia rogaverant, quo sanguine esset cretus, ideo *patrem* nominare non erat necessarium. Genus ducebat ex sanguine Ithacensi. Fortasse haec ficta sunt ex Aeneid. II. 86. *Illi me comitem et consanguinitate propinquum Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.*

Domus sanie dapibusque cruentis, Intus opaca, ingens. Servius intelligendum censet *horrida.* Heynius merito *domus sanie* pro *saniosa* vocat

Sidera, (Di, talem terris avertite pestem!)
Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli.
Visceribus miserorum et sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero quum corpora nostro
Prensa manu magna medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanieque exspersa natarent

durissimum. Probat MS. Wittiani *cruenta*, et iungit *cruenta intus*. Burm. cum Stephano interpretatur *domus opaca sanie et dapibus:* Wagnerus, *domus sanie et dapibus*, ut Aeneid. I. 639. *arte laboratae vestes ostroque superbo:* putatque ablativum indicare habitum quendam vel modum. Dubito an exempla, quae ad Aeneid. IV. 517. attulit, sint similia. Aliquis sequitur *nudo ense* v. e. aliud est atque *domus sanie et dapibus cruentis*. Genitivus fortasse hic ferri posset, ut diceretur *domus saniei et dapum cruentarum*, ut apud Phaedrum IV. fab. 4. *domus luxuriae*. Ita Carthago *domus fraudum* appellatur: idem non efferes, domus *fraudibus*. Conf. Burm. ad l. l. Phaedri, et Heinsius in Sylloge Epistol. ed. Burm. Vol. IV. pag. 464. Ego pro INTVS scribendum puto PINGVIS. Vere Latinum est *domus sanie dapibusque cruentis pinguis*. Virgil. Aeneid. IV. 201. *pecudumque cruore pingue solum*. Silius X. 461. *per lubrica pinguis Stante cruore soli*. Quod praeferendum arbitror, licet MSS. *pingui*. Vult *per lubrica soli pinguis stante cruore: stat cruor*, ut Lucan. II. 103. Cur Virgilius totam domum appellaverit *pinguem*, non *humum*, apparet ex sequentibus.

Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli. MSS. quaedam et Servius *effabilis*. Recte Heinsius et alii *affabilis* praetulerunt. *Dictu ineffabilis* non bene convenit cum *visu difficilis:* nam *visu difficilis*, horribilis, efficit partem illius, quod *dictu est ineffabile*. Et sic est in omnibus poetarum Latinorum exemplis. Praeivit, ut videtur, Accius in Philoctete, iam a Macrobio laudatus: *quem neque tueri contra neque affari queas*. Silius I. 175. *ferum visu dictuque*, non de homine posuit, sed de negotio, et significat, *o rem visu dictuque feram!* Et sic est apud Senecam Oedip. 222. *Sit, precor, dixisse tutum visu et auditu horrida*. Quod est Sophocleum Oedip. Tyr. 1312. *ἐς δεινὸν, οὐδ' ἀκουστὸν, οὐδ' ἐπόψιμον*. Locus Orphei Argon. 901. ad Virgilianum referri potest: *δεινὴν τ' ἀνθρώποισιν ἰδεῖν, δεινὴν τ' ἐσακοῦσαι*. Iuvenal. Satyr. VI. 417, *gravis occursu, teterrima vultu*. Ibi Schol. »*visione terribilis*, ut Virgilius: *nec visu facilis*."

Sanieque exspersa natarent Limina. Varie Codd. *aspersa*, *respersa*,

Limina; vidi atro quum membra fluentia tabo
Manderet, et tepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud impune quidem; nec talia passus Ulixes,
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.
Nam simul, expletus dapibus, viuoque sepultus,
Cervicem inflexam posuit, iacuitque per antrum

Servius *adspersa* respuit, quia, quod *adspersum* est, non dici recte potest *natare*. Esset, ait, tapinosis et hyperbole. An igitur melius *limina exspersa natant?* Imo peius, neque Latinum. Verbum *exspergere* raro nunc invenitur, nec fere nisi bis apud Lucretium: significat autem *spargere ex loco*, *dissipare*. Limina adeo ipsa, loco suo mota ac dissipata, sanguine duorum hominum natarent. Quod ineptum. Verum, credo, est: *Sanieque exspersa natarent Limina*. Polyphemus socios Achemenidis ad saxum frangebat pedibus prensos, capita saxo illidebat, adeo ut oculi ex capitibus sparsi in sanie natarent. Virgilius de *oculis* dixit, quod Homerus de cerebro, Odyss. X. 289. *Σὺν δὲ δύω μάρψας ὥστε σκύλακας ποτὶ γαίῃ Κόπτ', ἐκ δ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέε, δεῦε δὲ γαῖαν*. *Spargere* est *lacerare*. Ipse Virgilius paullo ante: *Spargite me in fluctus*. Seneca inprimis eo vocabulo delectatur. Herc. Oet. 1394. *Artusque nostros dirus immittat Sinis. Sparsus silebo*. Gronovius ex corrupto *cinis* sic restituit. Ita de eodem Sini Ovid. Metam. VII. 441. *agebat ab alto Ad terram late sparsuras corpora pinus*. Seneca Hippol. 1169. *membra quis saevus Sinis Aut quis Procrustes sparsit?* Heynius putat *exspersa* doctius quam *adspersa*. Sed in tali doctrina esse debet ratio. Neque usquam, licet tam saepe inveniatur *adspersus* et *respersus*, inventum *exspersus*. Quando igitur desunt exempla, indicandum est ex analogia. Ovidius Virgilium respicit Metam. XIV. 193. *cuius viventia dextra Membra mea laniem, cuius mihi sanguis inundet Guttur, et elisi trepident sub dentibus artus*.

Tepidi tremerent sub dentibus artus. Mire Silius IV. 378. *perfractaque in ore cruento Ossa sonant; pugnantque feris sub dentibus artus*. Pro *tepidi*, alia MSS. *trepidi*. Praetulit Heinsius, ac melius puto. Res sono ipso ostenditur.

Oblitusve sui est Ithacus. Valer. Flaccus III. 664. *Oblitave, numine fesso, Iuno sui*. Claudian. Praefat. II. in Rufin. 19. *Oblitusve sui posita clementior hasta*.

Iacuitque per antrum Immensus, saniem eructans. Codices variant inter *immensus* et *immensum*. Memorabilis est locus Quintiliani Instit. Orat. VIII. 3, 84. »*Vicina praedictae*

Immensus, saniem eructans et frusta cruento
Per somnum commixta mero: nos, magna precati

(Brachylogiae) *sed amplior virtus est ἔμφασις. Eius duae sunt species: altera, quae plus significat, quam dicit, altera, quae etiam id, quod non dicit. Prior est et apud Homerum, cum Menelaus Graios in equum* descendisse *dicit; nam verbo uno magnitudinem eius ostendit: et apud Virgilium*: Demissum lapsi per funem. *Nam sic quoque altitudo demonstrata est. Idem Cyclopem* cum iacuisse *dicit* per antrum, *prodigiosum illud corpus spatio loci mensus est.*" Quintilianum neque *immensus* neque *immensum* legisse apparet. Nam ex praecepta Quintiliani Virgilius per emphasim *etiam id* significavit, quod non dixit. Lege vel *immensus* vel *immensum*, dixit quod erat reticendum. *Iacuit per antrum*, non *in antro*. *Per antrum*, est omne spatium antri, quam longum est, occupavit. Iam ipsa notio antri talis, praecipue cum homine comparati, ingens spatium ostendit, et Virgilius supra appellavit *domum opacam ingentem*. In Codd. aliquot legitur *immensam*. Hinc facillima mihi exstitit emendatio, *immersam*. *Iacuitque per antrum, Immersam saniem eructans. Immersam* scilicet *saniem*, quam *in alvum immerserat*, quod ex *eructat* intelligitur. Virgilius omnem Cyclopis turpitudinem pingendo expressit, cur non et voracitatem? Diceres fere Boethium ita legisse IV. Metrum 7. *Flevit amissos Ithacus sodales, Quos ferus vasto recubans in antro, Mersit immani Polyphemus alvo.* Ovid. Ibid. 389. *Ut quos demersit vastam Polyphemus in alvum.* Idem Metam. XV. 105. *Corporeasque dapes avidam demersit in alvum.* Phaedrus, IV. v. *Quos immolatos victor avidis dentibus Capacis alvi mersit Tartareo specu.* Ubi Burm. similia notavit. Voracitatem Polyphemi iam Homerus significavit, Odyss. X. 292. *Ἤσθιε δ' ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, οὐδ' ἀπέλειπεν Ἔγκατά τε, σάρκας τε, καὶ ὀστέα μυελόεντα*: et: *αὐτὰρ ἐπεὶ Κύκλωψ μεγάλην ἐπλήσατο νηδύν.* Ennius: *Cyclopis venter velut olim turserat alti, Carnibus humanis distentus.* Videmus autem veteres in rebus huiusmodi depingendis verecundiam minus curasse, quam hodie nostri mores commendant. Notus est Ciceronis de Antonio locus, quem tractavit Ruhukenius ad Rutilium Lupum. Neque Ambrosium de Caino et Abele I. 4. ista expressisse puduit: *Nitebat aula regio luxu, splendida caelatis parietibus, et humida natabant pavimenta vino. Fragrabat unguento humus, spinis cooperta piscium, et marcentibus iam floribus lubrica. Epulantium cruditas, odentium ructus, ebriorum sitis, hesterna crapula, repleta vomitu bibentium pocula maiore odore ebrietatis, quam si recentia tantum*

Numina, sortitique vices, una undique circum
Fundimur, et telo lumen terebramus acuto,
Ingens, quod torva solum sub fronte latebat,
Argolici clipei aut Phoebeae lampadis instar,
Et tandem laeti sociorum ulciscimur umbras.
Sed fugite, o miseri, fugite, atque a litore funem
Rumpite.
Nam, qualis quantusque cavo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atque ubera pressat,
Centum alii curva haec habitant ad litora volgo
Infandi Cyclopes, et altis montibus errant.

vina flagrarent. Ubi legendum *fragrarent.* Caeterum opportunus hic est locus emendandi Silii VI. 150. *semesa iacebant Ossa solo informi, lateque repletus et asper Vastatis gregibus nigro ructabat in antro.* Pro *late* in MSS. *eandemque, eademque* et *informidate.* Errores isti veram lectionem ostendunt *clademque repletus.* Rhetorice, repletus *cladem*, carnem, quam ex clade gregum accepit.

Atque a litore funem Rumpite. Hic etiam religionem et curam Virgilii admiror. Potuisset versum absolvere: *Sed fugite, o miseri, atque a litore rumpite funem.* Sensit esse elegantius, si *fugite* repeteretur.

Nam, qualis quantusque. Bryantius hunc et tres versus sequentes a manu aliena interpositos esse suspicatur. Heynius eam suspicionem vocat *acutam.* Bryantium inprimis offendebat *qualis quantusque claudit.* Ego versum *Lanigeras claudit pecudes atque ubera pressat* abesse mallem. Oratio melius ac gravius procedit. Fugite. Nam qualis et quantus Polyphemus iste in antro suo, de quo dixi, habitat, tales ac tanti centum Cyclopes ad litora habitant. Virgilius omnes, quos facit loquentes, poetice quidem loquentes facit, sed tamen pro rei ac temporis natura. Quod Polyphemus *pecudes in antro claudit et mulget*, hoc nihil facit ad terrorem augendum, imo aliquid valet ad minuendum. Hoc imprimis apparet, si cum Heynio interpretere: *qualis quantusque est, qui claudit, vel cum claudit.* Si non sit Virgilii, auctor formare potuit ad Horatii Epod. II. *Claudensque textis cratibus laetum pecus, Distenta siccet ubera:* et ad Virgilii Eclog. III. 99. *pressabimus ubera palmis.*

Infandi Cyclopes. Iackius ex MS. notavit *infandum.* Fieri potest, ut fuerit *vulgus infandum Cyclopes*, ut Aeneid. II. 798. *matresque virosque — miserabile vulgus*, et mox: Cyclopes, *concilium horrendum.* Sta-

14*

Tertia iam Lunae se cornua lumine complent,
Quum vitam in silvis, inter deserta ferarum
Lustra domosque traho, vastosque ab rupe Cyclopas
Prospicio, sonitumque pedum vocemque tremisco.
Victum infelicem, baccas lapidosaque corna,
Dant rami, et volsis pascunt radicibus herbae.
Omnia collustrans, hanc primum ad litora classem
Conspexi venientem. Huic me, quaecunque fuisset,
Addixi: satis est gentem effugisse nefandam.
Vos animam hanc potius quocunque absumite leto.
Vix ea fatus erat: summo quum monte videmus
Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem
Pastorem Polyphemum, et litora nota petentem:
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.
Trunca manu pinus regit, et vestigia firmat.

tius Theb. IV. 152. *Dat tamen haec iuvenum tercentum pectora, vulgus Innumerum bello.*

Hanc primum ad litora classem. Fortasse Virgilius scripsit: *Omnia collustrans, ut primum ad litora classem Conspexi venientem, huic me, quaecunque fuisset, addixi.* Aeneid. I. 305. *At pius Aeneas per noctem plurima volvens, Ut primum lux alma data est, exire.* Vult Achemenides: omnia collustrabam, et vix classem huc tendentem vidi, quum me huic, quaecunque fuisset, addixi. In vulgatis non una est difficultas.

Quocunque absumite leto. Valer. Flaccus IV. 168. *me nunquam leto dignatus et armis. Sed lacrimis potius luctuque absumor inerti.* Mallem *absumit.*

Trunca manu pinus regit, et vestigia firmat. MSS. alia *manum.* Heynius recte *manu* praefert. Sed mihi non placet *regit et firmat vestigia.* Nam idem omnino significat, et alterum utrum plane supervacuum est. *Vestigia firmare* et *regere* est facere, ut vestigia certo et tuto incessu ponantur: unde de vulneratis dicitur. Statius II. Theb. 11. *It tamen, et medica firmat vestigia virga.* De sene Claudian. Bello Gildon. 483. *Et tremulos regit hasta gradus, et nititur altis Pro baculo contis non exarmata senectus.* Idem I. Rapt. 19. *Ebria Maeonius firmat vestigia thyrsus.* Polyphemus utebatur baculo, non ob vires debilitatas, sed quia erat caecus: ut ille, cui Ovidius in Ibide 261: *trepidusque*

Lanigerae comitantur oves: ea sola voluptas,
Solamenque mali.
Postquam altos tetigit fluctus, et ad aequora venit,
Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem,

ministro Praetentes baculo, luminis orbus, iter. Phineus apud Valer. Flaccum IV. 434. erat et caecus et senex: *primas baculo defertur ad undas, Vestigatque ratem, atque oculos attollit inanes.* Ubi scribendum *baculo duce fertur.* Virgilium quidem aliquatenus molesta inutilium verborum congerie liberabis, si construas: *trunca in manu pinus regit hoc monstrum, et vestigia illius firmat.* Eum tamen pro MANV scripsisse puto VIAM: *Trunca viam pinus regit, et vestigia firmat. Viam pinus* praetentat, et sic firma ponit vestigia. *Viam regere* exquisitum. Ovid. I. Fast. 504. *Continuitque manum torva regentis iter.* In Virgilio proxime praecedit *cui lumen ademtum.* Ideo etiam pulchrius sequitur *viam regit pinus.*

Solamenque mali. In antiquissimis MSS. versus non expletus. In nonnullis aliis additum invenerunt: *de collo fistula pendet*, vel *pendebat fistula collo.* Heynius etiam tollenda putabat, *ea sola voluptas Solamenque mali:* neque *ea sola voluptas* bene convenire cum *lanigerae comitantur oves* iudicat. Sed Virgilius significat Polyphemum oves pascere. Oves eum comitantur. Hoc est *sola voluptas.* Wagnerus et alii quoque ista tuentur.

Postquam altos tetigit fluctus et ad aequora venit. » Servius: Hyperbaton in sensu. Aut Hysteron proteron. Primum enim debuerat dicere, *venit ad aequora*, deinde *tetigit fluctus.* Non credo Virgilium tam negligenter scripsisse. Neque *tangimus altos* fluctus, sed *primos*, et deinde *ad aequora venimus*, ipsum mare. Neque *fluctus* in primo litore sunt profundi neque elati. Et illud *tangere* hic de *caeco* proprie magis quam de *non caecis* accipiendum. Sensit ex *tactu* se ad fluctus pervenisse. Mutandum puto: *Postquam albos tetigit fluctus.* Hi in primo litore sunt *albi.* Homerus Iliad. I. 350. *Θῖν' ἐφ' ἁλὸς πολιῆς, ὁρόων ἐπὶ οἴνοπα πόντον.* Mirum interea, poetas, quantum novi, non dixisse *fluctus albos*, licet *álbescere* cognitum sit. Nihil obstat, quominus dixerint. Et quam pauca ex multis carmina ad nos pervenere?

Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem. Vocabulum *inde* numquam tolerare potui. Est plane supervacuum et humile. Marklandus explicat, *statim, ab hoc momento.* Burmannus *ex aqua aequoris.* Latinum est, *venit ad aequor et lavit cruorem*, non *inde lavit.* Praeterea cruor non fluebat *ex oculo effosso*, sed *ex loco*,

Dentibus infrendens gemitu; graditurque per aequor
Iam medium; necdum fluctus latera ardua tinxit.
Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice, sic merito, tacitique incidere funem;
Verrimus et proni certantibus aequora remis.
Sensit, et ad sonitum vocis vestigia torsit.
Verum ubi nulla datur dextra affectare potestas,

unde oculus erat effossus. Oculo dudum carebat. Pro INDE legamus ORBE. *Luminis effossi fluidum lavit orbe cruorem.* Lavit cruorem, qui fluebat *ex orbe*, in quo sederat lumen, quod erat effossum. Recte *orbis* de uno Cyclopis oculo. Ovid. XIV. Metam. 200. de eodem Polyphemo, *inanem luminis orbem.* Seneca Oedip. 972. *Cavisque lustrans orbibus coeli plagas, Noctem experitur: quidquid effossis male Dependet oculis, rumpit.* Sophocles Oedip. Tyr. 1270. ἄρθρα τῶν αὑτοῦ κύκλων. Statius I. Theb. 53. *vacuos orbes ostendit coelo.*

Necdum fluctus latera ardua tinxit. Lactant. IV. 15. ex ignoto poeta, de Orione, qui in pelago incedens, demersa corporis parte, *humero supereminet undas.*

Recepto Supplice, sic merito. Ovid. IV. Heroid. 127. *I nunc, sic meriti lectum reverere parentis.* Restituendum videtur Valerio Flacco V. 541. *Tum vellera victor Sic meritis, nec sola dabo.* Nunc legitur *tum meritis.*

Sensit, et ad sonitum vocis vestigia torsit. Alii *vocem* accipiunt de *strepitu* vel remorum vel undarum, alii de *celeusmate.* In illo *strepitus* sufficeret, et admodum languide adderetur *vocis.* Nec, si Virgilius dixerit *fractas ad litora voces*, quo Homericum βοῆν expressit, hic recte se habet *sonitus vocis.* Esset *ad sonitum soni*, ut ait Wagnerus. Neque *celeusma* ita simpliciter *vocem* appellari putem. Inciderant funem *taciti*, et summo silentio abire studebant. Igitur et celeusmate abstinebant. Si in MSS. omnibus legeretur, *sensit, et ad sonitum.... vestigia torsit*, nemo ex centum eruditis unquam suppleret *vocis.* VOCIS et CYCLOPS habent aliquam similitudinem. Acciperemus certe talem versum: *Sensit, et ad sonitum Cyclops vestigia torsit.* Opportune hic nomen proprium repetitur. Dudum est, ex quo Polyphemum memoravit. *Sonitum* autem, scilicet *remorum*, quod praecedit. Ita accepit Statius VI. Theb. 716. *Quale vaporifera saxum Polyphemus ab Aetna Lucis egente manu, tamen in vestigia puppis Auditae, iuxtaque inimicum exegit Ulyxem. Auditae puppis*, ex sonitu remorum.

Verum ubi nulla datur dextra affectare potestas. Alia MSS. *dextram*, Moret. *dextrae.* Servius: » *Dextram*

Nec potis Ionios fluctus aequare sequendo,
Clamorem immensum tollit: quo pontus, et omnes
Intremuere undae, penitusque exterrita tellus
Italiae, curvisque immugiit Aetna cavernis.
At genus e silvis Cyclopum et montibus altis
Excitum ruit ad portus, et litora complent.
Cernimus adstantis nequidquam lumine torvo
Aetnaeos fratres, coelo capita alta ferentis,
Concilium horrendum: quales quum vertice celso
Aeriae quercus, aut coniferae cyparissi
Constiterunt, silva alta Iovis, lucusve Dianae.

affectare: dextram intendere et iniicere, sic, ut posset navem tenere: *dextra affectare*, id est, contingere, caret exemplo." Heynius contra censet, *dextra affectare* esse consentaneum analogiae, *dextram* affectare, significaturum *dextram alterius appetere.* Ut recte iudicemus, spectanda est verbi origo et usus. *Affectare* est frequentativum ex *afficere*, *affacere.* Frequentativa simul habent vim studii et cupiditatis, et conveniunt eatenus cum desiderativis. Possis itaque primam notionem constituere, ut constituit Cortius ad Sallustii B. Iugurth. 66. *quaerere ut adficiamus*, *ut nostra faciamus.* Si usum spectas, omnia exempla, quae accepimus, sunt rerum, quae non in oculos cadunt, figurata adeo, praeter *viam*, et hoc ipsum tamen saepe figuratum. Talia v. e. voco, *affectare regnum*, *opes*, *honores*, *Gallias*, id est, *possessionem Galliorum.* Hinc sequitur nunquam dici posse *hominem affecto*, neque exemplum reperitur, neque dici posse *affecte* aliquid *dextra.* Affecto *dextram* alicuius Latinum est, si *dextram* accipias pro *fide et societate.* Aliter non Latinum est. Propterea non credo versum hunc sic a Virgilio esse factum. Imo arbitror pro DATVR DEXTRA scribendum VIAM DATVR. *Verum ubi nulla viam datur affectare potestas.* Ubi Cyclops videt, fieri non posse, ut viam ad nos affectet, et sequendo fluctus Ionios aequet. *Viam affectare* iam Plautus et Terentius usurpant: annotaverat, quae tamen nunc vel e Lexicis nota sunt, Gronovius ad Terentii Heant. II. III. 60. Ipse Virgil. IV. Georg. 562. *viamque affectat Olympo.* Recentiores pro *viam affectare*, solum *affectare* videntur dixisse. Donatus ad Terentii Phorm. V. VII. 71. »*Affectant viam*, plenum: quod nos *ἐλλειπτικῶς.*"

Praecipites metus acer agit quocunque rudentis
Excutere, et ventis intendere vela secundis.
Contra iussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim

Contra iussa monent Heleni. Heynius hunc et duos sequentes versus ab interpolatoribus esse factos credit. Alii Virgilio vindicare studuerunt. Wagnerus pro spuriis habet, et docte et ingeniose disputat. Putabam nos iis non posse carere. Nam, si deleas, *ventis intendere vela secundis* et *Ecce autem Boreas* non recte cohaerent. Boreas requirebatur, et tamquam *coelo missus* aderat, ut eo pervenirent, quo contendebant. Sed utebantur ventis secundis. Ergo Boreas erat adversus. Si versus relinquas intactos, intelligimus, cur venti secundi hic essent perniciosi, quippe qui ad Scyllam et Charybdin ferrent. Aeneas ostendere debebat, cur ventis secundis aliquamdiu uti potuerint ad fugiendum Cyclopem, sed non continuo uti, nisi vellent in periculum incidere, quod Helenus omni cura esse vitandum dixerat. Fortasse haec ita restitui possunt: *Contra iussa monent Heleni Scyllae atque Charybdis: Inter utrumque viam leti discrimine parvo. Ni teneam cursus, certum est dare lintea retro.* Iussa Heleni autem nos monent, *admonent Scyllae et Charybdis:* dixit enim viam inter utrumque valde periculosam esse. Nisi ergo cursum tenere vellem, quod velle non poteram, constitueram retro navigare versus Epirum, unde veneramus. (Nam vento meridionali usi tam eo vele facere quam fretum Siculum transire poterant.) Et iam cursum eo dirigerem, quum subito Boreas flabat. Ita Pachynum superare nobis facile fiebat. Iam singula sunt illustranda. *Iussa Heleni monent Scyllae, admonent,* quod frequentius. Livius V. 46. *Ipse locus admonebat Camilli.* Tacitus Annal. I. 67. *Tunc contractos in principia, temporis ac necessitatis monet:* conf. Burm. ad Anthol. T. I. pag. 226. In nonnullis Codd. legitur *Scyllae atque Charybdis.* Scripsi *viam inter utrumque,* licet praecedant duo substantiva feminini generis. Ovid. Metam. I. 50. *Nix tegit alta duas* (plagas), *totidem inter utrumque locavit.* Ibi plura Burm. Via inter Scyllam et Charybdin *est parvo discrimine leti,* parum a leto abest. Nam sive Scyllae sive Charybdi propius accedas, mors est vicina. Ipse Virgil. Aeneid. X. 510 *tenui discrimine leti esse suos.* Alia collegit Heinsius ad Ovidii Metam. VII. 426. Seneca hoc ita variavit, Medea 307. *Inter vitae mortisque vias Nimium gracili limite ducto. Viam inter utrumque parvo discrimine leti* — brevis oratio, in qua verbum *esse* eleganter omittitur, idque praecipue fit, si sermo est obliquus. Ita Aeneid. VIII. 11. *Advectum Aenean classi:*

Inter utramque viam, leti discrimine parvo,
Ni teneant cursus: certum est dare lintea retro.
Ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori
Missus adest. Vivo praetervehor ostia saxo
Pantagiae, Megarosque sinus, Thapsumque iacentem.
Talia monstrabat relegens errata retrorsus
Litora Achemenides, comes infelicis Ulixi.
Sicanio praetenta sinu iacet insula contra
Plemmyrium undosum; nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare; qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.
Iussi numina magna loci veneramur; et inde

IX. 232. *rem magnam, pretiumque morae fore*, pro rem esse magnam. Wagnerus in Quaest. Virgil. XV. diligentissime de verbo *est* vel addito vel omisso egit, infinitivum non attigit. Idem in Annotatione putat ellipsin non ferendam, quia pro *via est* non licet dicere *via*, nisi adiunctum fuerit adiectivum vel participium. Sed hic adiunctum est *tenui discrimine leti*, quod vim adiectivi habere potest, v. e. *viam leto proximam*, parvo spatio a morte remotam. *Ni teneam cursus*, alterum utrum faciendum est, vel pergendum, quo coepimus, vel vela retro danda. Idem plane, quod figurate Horat. I. carm. 34. *retrorsum Vela dare, atque iterare cursus Cogor relictos.*

Missus adest. Valerius Flaccus I. 625. *Non hyemem missosque putant consurgere ventos.* Recte Servius: "*missus*, favore numinum." Hinc *coelo missus.*

Talia monstrabat relegens errata retrorsus. Hunc et sequentem versum non esse Virgilii, Wagnerus ita demonstrasse videtur, ut nihil supersit, quod addam. Dudum in eadem opinione fui. Verba *comes infelicis Ulixi* iam Burmannus assuta esse putabat. In Cod. Witt. versus ad marginem erant adscripti.

Iussi numina magna loci veneramur. Ambiguum a quo *iussi*. Servius ait, vel ab Achemenide, vel ab Heleno, vel ab Anchise, vel ab oraculis. Anchisem Heynius commendat. Sed *iussi* si ita dicantur classiarii, non intelligi possunt nisi a *praefecto classis*, summo duce. Is erat ipse Aeneas. Recte narrassent: *Iussi numina magna loci venerarier:* sed Virgilius raro eam formam adhibet.

Exsupero praepingue solum stagnantis Helori.
Hinc altas cautes proiectaque saxa Pachyni
Radimus; *et fatis nunquam concessa moveri*
Apparet Camarina procul, campique Geloi,
Immanisque Gela fluvii cognomine dicta.
Arduus inde Acragas ostentat maxima longe

In Cod. Sprot. est *venerantur*. Posses hinc: *Iussi numina magna loci venerentur*. Vulgata semper accipienda sunt, ut Aeneas iusserit, et accipi possunt: *Iussi a me*. Et tamen Virgilium aliud scripsisse arbitror. In multis Codd. hic ordo verborum cernitur: *Numina magna loci iussi veneramur*. Ita etiam habet Cod. Palatinus. Eum ordinem plus gravitatis habere, iam Heynius sensit. Verum puto: *Numina magna loci iniussi veneramur*. Tanta erat Alphei et Arethusae fama, ut etiam *iniussi*, *sponte*, numina loci veneraremur. Lucan. VII. 38. *Te mixto flesset luctu iuvenisque senexque Iniussusque puer*. Seneca de Clement. 10. *Deum esse non tamquam iussi credimus*.

Proiectaque saxa Pachyni. Servius: »Porrecta, et tenta, ut X. 587. *Proiecto dum pede laevo*." Hemsterh. legit *extenta*.

Et fatis nunquam concessa moveri. Nihil minus Aeneam decet, quam talis doctrina historica. Tribuerunt illi, puto, Grammatici, non Virgilius, nisi Virgilium fuisse poetam statuamus, qui plane nesciebat, quid esset reddere personae, quod conveniret. Aeneas narrare potuit de natura regionum, quas e puppi suis propemodum oculis cernebat: neque est contra veri similitudinem, si legimus *arduus Acragas*, *palmosa Selinus* et alia huiusmodi. Sed oraculum illud μὴ κίνει Καμάριναν, unde audivisset? Multo magis cognitum erat Grammaticis.

Immanisque Gela fluvii cognomine dicti. Glossa Geographica. Aeneas urbem Gelam cognoscere non potuit. *Campi Geloi* sufficiunt, ut lectores sciant fuisse locum, ubi postea oppidum Gelae stetit. *Immanis* ineptum epitheton si iungas cum urbe *Gela*, nec satis bonum, si iungas cum *fluvii*. In variis interpretum opinionibus nulla est, quam probare possis, neque iuvant emendationes Heinsii *innantisque*, neque Martinii *a fluvio*. Wagnerus quidem hic hariolationem Heynii accepit, *immanem fluvium* esse appellatum, quia in nummis imago conspicitur bos cum facie humana. Sed haec est imago omnium fere fluviorum. Neque Virgilius scripsisset *fluvii* sed *fluvi*, quod metrum non admittit. Idem Wagnerus ad Aeneid. IX. 151, hoc vidit, et versum illepidum rescindendum arbitratur.

Moenia, *magnanimum quondam generator equorum.*
Teque datis linquo ventis, palmosa Selinus,
Et vada dura lego saxis Lilybeia caecis.
Hinc Drepani me portus et illaetabilis ora
Accipit. Hic, pelagi tot tempestatibus actus,
Heu genitorem, omnis curae casusque levamen,
Amitto Anchisen. Hic me, pater optime, fessum
Deseris, heu, tantis nequidquam erepte periclis!
Nec vates Helenus, quum multa horrenda moneret,
Hos mihi praedixit luctus, non dira Celaeno.
Hic labor extremus, longarum haec meta viarum.
Hinc me digressum vestris deus appulit oris.
  Sic pater Aeneas, intentis omnibus, unus
Fata renarrabat divom, cursusque docebat.
Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.

Moenia, magnanimum quondam generator equorum. Alienum a persona Aeneae iam est *generator equorum.* Abhorret, *quondam generator equorum.* Virgilius sui adeo oblivisci non potuit, ut putaret se, non Aenean loqui. Schraderus versum delebat, et *moenia* hinc ad antecedentem transferebat: *ostentat moenia longe.* Recte autem Aeneas dicit *arduus Acragas.* Acragas quidem ipse nondum erat conditus, sed arx Camicus, a Daedalo aedificata in summo colle, quam arcem tenebat rex Cocalus. Huic arci postea Gelenses coloni oppidum Acraganta apposuerunt.

Hic me, pater optime, fessum deseris. Valerius Flacc. I. 286. *Hic soror Aeoliden — Deserit, heu saevae nequidquam erepta novercae.*

Hinc me digressum vestris deus appulit oris. Silius VIII. 158. Si tamen illa Silii sunt: *Tum Cyrenaeam, fatis agitantibus, urbem Devenio, hinc vestris pelagi vis appulit oris.*

Conticuit tandem, factoque hic fine quievit. Valerius Flaccus IV. 624. *Sileo et precor. Atque ita facto Fine, dedit tacitis iterum responsa tenebris.* Silius XV. 68. *Postquam conticuit, finisque est addita dictis.*

P. VIRGILII MARONIS

A E N E I D O S

LIBER QUARTUS.

At regina gravi iam dudum saucia cura
Volnus alit venis, et caeco carpitur igni.

Gravi iam dudum saucia cura. Virgilius vocabulum *cura* statim repetit: ***nec placidam membris dat cura quietem.*** Hoc non pulchrum est, etiamsi, quod tamen haud credo, hoc voluerit: ***ea cura***, de qua supra dixi. Longe elegantius esset ***saucia amore.*** MORE et CVRA in MSS. non multum differunt. Litera A repetita esse potuit ex ultima in ***saucia. Saucia amore*** exemplo veterum commendatur. Ennius in Medea: ***Medea, animo aegra, amore saevo saucia.*** Hunc locum et Cicero et alii, et Orosius I. 12. laudarunt: ***Nolo meminisse Medeae amore saevo sauciae.*** Locus Ennii non fugit interpretes, ut neque fons Euripideus: ἔρωτι θυμὸν ἐκπλαγεῖσ' Ἰάσονος. Lucret. IV. 1044. ***Idque petit corpus mens, unde est saucia amore.*** Horat. Epod. XI. 2. ***amore percussum gravi.*** Bulaeus ad Valer. Flacci III. 365. versum Virgilii citavit: ***At regina gravi iamdudum carpitur aestu.*** Errore memoriae, loco Valerii deceptae.

Volnus alit venis, et caeco carpitur igni. Recte ***alit***, quia iamdudum erat saucia. Apollon. Rhod. III. 761. ἔνδοθι δ' αἰεὶ Τεῖρ' ὀδύνη σμύχουσα. v. Ruhnk. Epist. Crit. II. pag. 216. Ovid. IX. Metam. 539. ***Ipsa tamen, quamvis animo grave vulnus habebam, Quamvis intus erat furor igneus.*** Ubi Burm. volebat ***alebam.*** Alia respexit Valer. Flaccus III. 365. ***aegra assiduo mens***

Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos; haerent infixi pectore voltus
Verbaque; nec placidam membris dat cura quietem.
Postera Phoebea lustrabat lampade terras,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram;
Quum sic unanimam alloquitur male sana sororem:
Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent!
Quis novus hic nostris successit sedibus hospes!
Quem sese ore ferens! quam forti pectore, et armis!

carpitur aestu. Ovid. Metam. III. 490. *coeco paullatim carpitur igni.* Heins. coeco a MSS. restituit pro *tecto*, et illustravit. Magis certe poeticum esset *tacito mens carpitur igni*, quam *tecto*, ut Lucan. V. 811. *flamma tacitas urente medullas.* Quamvis Seneca Hippol. 280. *Labitur totas furor in medullas, Igne furtivo populante venas. Non habet latam data plaga frontem, Sed vorat tectas penitus medullas.*

Quem sese ore ferens! quam forti pectore, et armis! Dicunt post *armis* assumendum esse *fortibus*, ex *forti pectore.* Habemus ergo: Quem Aeneas se ore fert! quam fortis est pectore et armis! Ut recte dicitur *est forti pectore*, ita non recte dicitur, credo, est *fortibus armis.* Recte, *est ignavo pectore*, non recte *est armis ignavis.* Ita legendum esset, *quam fortis pectore et armis*, ut in nonnullis MSS. exstat. Fuere, qui *armos* pro *humeris* positos putarent. Etiamsi Virgilium *armis* ita de homine adhibuerit, quod tamen dubito, licet ostendatur Aeneid. XI. 644, *humeri* tamen non *fortes*, sed *lati*, vel aliter erant appellandi: ut Hesione Herculi dicit apud Valer. Flaccum II. 490. *neque enim tam lata videbam pectora. — Nec tales humeros pharetramque gerebat Apollo.* Diu est, ex quo Virgilium scripsisse credidi: *Quem sese ore ferens! quem forti pectore et armis!* Idque verum putavi, postquam Marklando idem in animum venisse cognoscebam. Dido hic laudat tantum virilem Aeneae formam. Quam pulchra facies, ait. Quale pectus, in quo virtutem habitare diceres. Quam arma eum decent! Fortitudinem mox commemorat. *Os*, *pectus* et *arma*, sic iunguntur, ut cuncta proprie accipere debeamus. Sic alibi poeta dixit: *os humerosque deo similis.* Sic Valerius et Statius *corpore et armis:* vide Burm. et adde Silium VI. 708. *ingens corpore et armis.* Burm. ad Valer. Flacci IV. 199. *se ferre* explicat *ingredi.* Equidem Romanos tum plerumque ita locutos repe-

Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.
Degeneres animos timor arguit. Heu, quibus ille
Iactatus fatis! quae bella exhausta canebat!

rio, quum aliquem indicant, qui ornatu vel forma conspicuus incedit: et saepe id ipsum, quo est cousplcuus, additur, ut Aeneide I. *talem se laeta ferebat per medios*, ut Diana uempe. Hinc illa, *vasta se mole ferre*, et similia. Hic est, *es fert ore, pectore et armis*. Variata forma, idem significat *fert os, pectus et arma:* Virgilius III. Aeneid. 490. *Sic oculos sic ille manus sic ora ferebat.* Seneca Troad. 466. *Sic tulit fortes manus.* Appul. Metam. V. pag. 338. *Sic se gerebat ferebatque*, hoc est factis et facie, animo et corpore. Wagnerus emendationem Marklandi recusat; nou enim recte dici *quem forti pectore se ferens!* Iu quo quid reprehendat, non satis intelligo. Nam si Latinum est *quem se ore ferens*, cur non sit *quem se pectore ferens?* adiectivum *forti* neminem, credo, offendet, ut non offenderet *quem se pulchro ore ferens.*

Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum. Aeneas *est genus* deorum, ut notum illud Arati κείνου γένος ἐσμὲν. Ovid. II. Fast. 397. *Si genus arguitur vultu, (ni fallit imago) Nescio quem vobis suspicor esse deum:* nempe *deum esse vobis genus.* Minus recte Heins. ex sequentibus *auctorem* repetit. Et hoc ille ignorabat, qui mutat *Nescio quem patrem*. Valer. Flaccus II. 473. *Nos Ili veteris quondam genus, invida donec Laomedonteos fugeret Fortuna penates.* Ubi mallem *Nos Ili felix quondam genus.* Est color quidam Virgilianus ex Eclog. I. 75. *Ite meae, felix quondam pecus, ite capellae.*

Degeneres animos timor arguit. Valer. Flaccus VI. 86. *Degeneresque ruunt Sindi.* Burm. ibi reprehendit Pium, interpretantem *degenerantes a maioribus*, qui fortissimi fuere. *Degeneres*, ait, sunt servili origine, non ingenui. Wagnerus, diversus a Wagnero interprete Virgilii, illud Burmannianum fere repetit, et Virgilium quoque sie esse explicandum docet, ut *degeneres* sint *ignobiles, viles.* Non reprehenderem huiusmodi annotationes, nisi vera linguae Latinae cognitio per eas impediretur. *Degeneres* semper sunt qui a meliori ad peiua deveniunt, bonae stirpis mali posteri, hinc universe *viles* homines. Neque dicas *bonos* ex mala stirpe *degeneres*, nisi fortasse in Satyra. Sindi fuere orti liberis parentibus, ergo *degeneres*, qui servos se fieri tulerint, neque libertatem recuperare potuerint. Versum Virgilii cogitabat Iuvencus, Carm. II. *Infidos animos timor irruit.* Ubi scribendum videtur *arguit.* Ita enim poetae isti Christiani priscos imitari soleut.

Si mihi non animo fixum immotumque sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare iugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit;
Si non pertaesum thalami taedaeque fuisset:
Huic uni forsan potui *succumbere culpae.*

Postquam primus amor deceptam morte fefellit. Recte Burm. exposuit, et Heinsii *decepta morte*, quod e MSS. tribus commendat, reiecit. Adde Oudend. ad Lucani VIII. 61. et Appul. Metam. VIII. pag. 561. Locum ante oculos habuit Ambros. Hexaem. V. 19. *Fertur enim turtur, ubi iugalis proprii amissione viduata, pertaesum thalamos et nomen habere coniugii; eo quod primus amor fefellerit eam dilecti morte deceptam — — Itaque iterare coniunctionem recusat, nec pudoris iura aut complaciti viri resolvit foedera, illi soli suam caritatem reservat, illi custodit nomen uxoris.*

Si non pertaesum thalami taedaeque fuisset. Non erat, quod hic quisquam timeret tautologiam. Est haec magna Virgilii ars. Dido cunctatur. Pudor retardat et impedit, quominus statim eloquatur, quod sentit. Vox novi coniugii quasi in faucibus haeret.

Huic uni forsan potui succumbere culpae. Heynius: »*culpae*, cum delectu pro amore: quatenus ille caritati et fidei erga coniugem defunctum adversari videbatur." Speciosa interpretatio, si verba Latina eam ferrent. Non ferunt. Nam significant: *si non constituissem* ab omni matrimonio abstinere, hoc *unum crimen* committere potui. Appellat alterum matrimonium *culpam*, non appellare debuit *hanc unam culpam*, nam esset opposita aliis culpis. Latinum erat, *culpae succumbere in hoc uno viro, in hac una causa.* Sed *culpa* non est vocabulum honestum, si femina eo sic utitur. Significat enim *adulterium*. Ipse Virgilius de eadem Didone Aeneid. IV. 172. *Nec iam furtivum Dido meditatur amorem: Coniugium vocat, hoc praetexit nomine culpam.* Ovidius Heroid. IV. 151. Phaedra scribit Hippolyto: *Et pugnare diu nec me submittere culpae Certa fui.* Idem V. 131. *Vim licet appelles, et culpam nomine veles.* Et sic alibi saepe. Fortasse nonnulli ex Statio contra me disputabunt. Locos ipse ostendam. Statius II. Theb. 232. *tacitae subit ille supremus Virginitatis amor, primaeque modestia culpae Confundit vultus.* Ubi Lactant. »*culpam* putant amissionem virginitatis." Talis modestia Didoni obstare non poterat. Vocatur quidem ex persona virginis *culpa*, quod proprie *culpa* non erat, si esset matri-

Anna, fatebor enim, miseri post fata Sychaei
Coniugis, et sparsos fraterna caede Penatis,

monium, significatio autem praecipue cernitur in *concubitu*. Idem Statius Theb. V. 463. *nostrae fatum excusabile culpae*. Lactantius: »minuit *amoris* invidiam, cum dicit *culpae:* ut Virgilius, *Huic uni forsan potui succumbere culpae*." Enim vero, si cogites Hypsipyleu loqui, et quid fecerint Lemniades, agnosces, *culpam* aliud esse, quam *amorem*. Dixit igitur Dido: si non omne matrimonium odissem, hoc *unum adulterium* committere potui. Quanto elegantius *Huic uni forsan potui:* scilicet, me *vinclo iugali sociare* huic uni viro. Solus hic meos sensus inflexit. Hoc Latinum est, et Didonem decet. Legitimum volebat coniugium, non furtivum amorem. Marklandus ad Statii Silv. V. III. 93. hunc versum ita attulit: *Huic uni potui forsan succumbere curae*, id est, *huic uni amori*. Marklandus attulit ex memoria, quae eum quoque in *huic uni potuit* fefellit. Sed Britannus iste, quo erat ingenio, sensit *huic uni culpae* non verum esse, et imprudens id posuit, quod saltem tolerari posset. Ac maior sapientia est in illo Marklandi errore, quam humanitas et iudicium in Burmanno, qui, *vellem*, ait, *nos docuisset Marklandus*, *unde hoc petierit*.

Coniugis, *et sparsos fraterna caede Penatis*. Duplex olim ferebatur interpretatio. Servius: »*Sparsos penates*, si *Didonis*, dispersos per fugam, intelligimus; si *fratris*, pollutos cruore. *Fraterna* autem caede quam frater admiserit." Ego *sparsi Penates* quin recte dicatur, non dubito. Valer. Flaccus II. 595. *Aeolios Fortuna Penates Spargit*, *et infelix Scythicum gens quaerimus amnem*. Lucan. III. 99. *captae rapturus moenia Romae*, *Sparsurusque deos*. Conf. Lachman. ad Propert. III. XXV. 21. *Spargere et alterna communes caede Penates:* qui locus tamen adeo difficilis, et extra omnem cum antecedentibus et sequentibus necessitudinem positus est, ut nemo se intelligere dicat. Latinum ergo est *sparsi Penates*. Quaeri potest, an et hoc loco? Regina loquitur de suis Penatibus. Hos secum sumsit in Africam. Mutati erant, non dispersi. *Sparsi Penates* sunt populi, in diversas terrarum oras discedentis, non unius hominis. Nec quisquam diligens scriptor, puto, iunget *sparsos caede Penates*, nisi *cruore sparsos* significet. Superest *sparsi caede fraterna*, quam *frater* admisit. Nego esse Latinum. Penates sparsi *fraterna caede*, sunt vel *caede fratris*, quem fratres Penates interfecere, quod hic non convenit, vel *caede mei fratris*, quod etiam non convenit. Caedes *fraterna* tantum passive sumitur. Catull. Epithal. 181, de Ariadne, *Respersum iuvenem fraterna caede*

Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Impulit. Agnosco veteris vestigia flammae.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentis umbras Erebi noctemque profundam,
Ante, Pudor, quam te violo, aut tua iura resolvo.

secuta. Horat. Epod. VII. 17. *acerba fata Romanos agunt, Scelusque fraternae necis. Ut immerentis fluxit in terram Remi, Sacer nepotibus cruor.* Idem Satyr. II. v. 15. *Cruentus Sanguine fraterno.* Sic Homerus Iliad. I. 563. πόλλ' ἀχέουσ' ἠρᾶτο κασιγνήτοιο φόνοιο. Idem per genitivum effertur. Seneca Agam. 448. *Sparsum cruore regis Herceum Iovem;* et vs. 976. *Caede respersam viri dextram ablue.* Herc. Furent. 372. *Egone ut parentis sanguine adspersam manum Fratrumque gemina caede contingam?* Idem est *regia*, *paterna*, *maritali caede sparsa manus.* Recte Silius de scelere Pygmalionis I. 22. *Pygmalioneis quondam per coerula terris Pollutum fugiens fraterno crimine regnum:* non *fraterna caede.* Unica ratio *fraternam caedem* in Virgilio admittit, si nempe Pygmalion a Sychaeo, et Sychaeus a Pygmalione occisi fuissent. Idem valet v. c. de *fraterna caede* Eteoclis et Polynicis, de fratribus a Cadmo satis, qui per mutua vulnera cadebant. Nam tum *agentes* et *patientes* sunt iidem. His de causis non credo Virgilium scripsisse *sparsos fraterna caede Penatis.* Neque vocabulum *coniugis* mihi placet. Non requiritur. *Miseri Sychaei* sufficit, et omnia complectitur. Historia et Annae et lectoribus satis erat nota.

Solus hic inflexit sensus. Valerius Flaccus VII. 172. *cum primos aggressa et flectere sensus Virginis — quis mota loco labefactaque cessit.*

Agnosco veteris vestigia flammae. MS. Zul. *et nosco.* Ios. Iscanus de Bello Troiano IV. 331. *agnoscens veteris vestigia cursus.*

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat. Ovid. Heroid. XVII. 220. *Delicti fies idem reprehensor et auctor. Terra, precor, vultus obruat ante meos.* Ubi non sequitur id, quod se facturam negat.

Ante, Pudor, quam te violo, aut tua iura resolvo. Iam minus exacte scribentis est *prius — ante quam.* Plautinum *neque eum ante conspexi prius*, differt aliquantum. Magis accederet Propertianum II. xix. 65. *Aut prius infecto deposcit praemia cursu, Septima quam metam triverit ante rota:* nisi incerta esset lectio, et melior vel *arto*, vel *axe*, sive e MSS. sive e coniectura Burmanni. Hoc Marklandum movit, ut scribendum putaret *Sancte Pudor.* Ingeniose profecto.

Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores
Abstulit; ille habeat secum, servetque sepulcro.
Sic effata sinum lacrimis implevit obortis.
  Anna refert: O luce magis dilecta sorori,
Solane perpetua moerens carpere iuventa?
Nec dulcis natos, Veneris nec praemia noris?

Sed ita oratio, quae nunc iam est satis rhetorica, magis etiam rhetorica fieret. Quae verborum pompa, *ante quam te, o Pudor, violo!* Quam inanis ornstus, *aut tua iura resolvo!* Gravitss et màiestaa mire augentur, si deleas. Omnem animi sensum expressit, quum dixit: *huic uni forsan potui.* Sed tellus mihi prius dehiscat, quam illud faciam. Sychaeus primos amores abstulit, Sychaeus servet. Ovidius Heroid. VII. 97. in eadem causa interpolatus est, ubi Dido scribit: *Exige laese Pudor poenas, violate Sychaeo: Ad quem, me miserum, plena pudoris eo.* Totum distichon eiiciendum censeo. Aliud figmentum in MS. regio vidit Heinsius: *Exige, laese Pudor, poenas violataque — Iura, nec ad cineres famu retenta meos: Vosque mei manes animaeque cinisque Sychaei, Ad quas, me miseram, plena pudoris, eo.* Lennepius quidem ingeniose et docte supplebat *violataque lecti.* Fortasse nunc sentiet vir eximius, omnia terso Nasone esse indigna, et suspicionem fraudis ex additamento Cod. regii confirmari. Nec meliora puto illa ex Heroid. IV. 155. *Depuduit, profugusque pudor sua signa reliquit. Da veniam fassae, duraque corda doma.* Quid, quaeso, est *Pudor reliquit sua signa?* Pudor se, *Pudor Pudorem reliquit.* Caetera sunt centones Ovidiani. Commemoratio *pudoris*, tam inopportuna in antiquis poetis, saepe studium castimoniae Christianae prodit.

Abstulit. Male in Sprot. Cod. *sustulit.* Catullus Carm. LXVIII. 19. *Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors Abstulit.* Lucan. I. 111. *pignora iuncti Sanguinis — Abstulit ad manes.* Seneca Hippol. 861. *Statuitque secum ferre, quo moritur, malum.*

Sinum lacrimis implevit obortis. Credo, *sinum* sororis, in quo sinu caput et vultum reponebat. Valerius Flaccus VII. 251. *Talia verba dabat, collapsaque flebat iniquae In Veneris Medea sinus.* Seneca Medea 541. *liberos — in quorum sinu lacrimas profundam.*

Nec dulcis natos, Veneris nec praemia noris. Nati dulces sunt *praemia* Veneris, connubii. Interpretationi sunt haec Lucani II. 330. *Mox ubi connubii pretium mercesque soluta est Tertia iam suboles.* Virgilius expressit Graecum δῶρα Ἀφροδίτης. Sed ea non semper unum atque idem significant. Apud

Id cinerem aut Manis credis curare sepultos?

Homerum Iliad. *Γ.* 54. sunt illecebrae, quibus Venus Paridem instruit. Hoc bene animadvertit Heynius. Vide et D'Orvill. in Vanno Crit. pag. 643. Auctor Hymni 101, de anu, *ἥτε τόκοιο Εἴργηται, δώρωντε φιλοστεφάνου Ἀφροδίτης*. Unde Ruhnken. in Praefat. pag. XIII, omnem dubitationem tolli arbitratur, sintne hic ipsi *nati* an *concubitus*. Sed etiam in Graeco poeta sic acceperim, ut *τόκος* et *δῶρα* sint *partus et liberi*. Anus *parere* non potest, matrimonium vel concubitum *emere* potest, neque inde necessario *εἴργηται*. Nec scio an recte dicatur de *vidua*, quae talium rerum non inscia est. *Ea Veneris praemia* Dido iam norat. Ipsa dixit, Sychaeum primum amores suos abstulisse. Claudian. I. Rapt. 33. bene de eo, qui nesciebat quid esset coniugium: *quod solus egeret Connubii, sterilisque diu consumeret annos, Impatiens nescire torum nullasque mariti Illecebras, nec dulce patris cognoscere nomen.* Et Epithal. Palladii 130, ubi Venus loquitur: *Vivite concordes et nostrum discite munus.* Hinc *nota* voluptas, et *notus* calor, III. Georg. 130. VIII. Aeneid. 389. contra virgines *ignarae*, *nesciae*, *ἀδίδακτοι* et simili modo appellantur. Virgilium autem voluisse *natos praemia Veneris*, scilicet amoris et connubii, hoc, ni fallor est certissimum argumentum, quod *δῶρα* reddidit *praemia*: si voluisset *concubitum*, reddere debuisset *dona* vel *munera*. Discrimen observavit Donatus ad Terentii Eunuch. V, VIII. 27. *Quodvis donum et praemium a me optato:* »*donum* deorum est, *praemium* virorum est fortium, *munus* hominum. Et *donum munusque* tam ante factum, quam post factum datur, *praemium* non nisi post factum est. *Donum* voluntarium, *praemium* debetur." Graeci habent unum vocabulum *δῶρα*. *Δῶρα Ἀφροδίτης* tam sunt *praemia amoris et connubii*, *proles*, quam quod dea Venus hominibus donat, *amoris fructum*, *ἔργον*. Latini distinguunt. *Vina*, *frumenta*, *olea*, sunt *dona et munera* Bacchi, Cereris, Minervae. Nemo ea unquam appellavit *praemia*, nec appellare potuit. Exempla sunt apud interpretes ad Virgil. Aeneid. I. 636, Horatii II. Carm. 14, et Silium VII. 748. Quare et Ovidius II. Am. III. 2. bene scripsit: *Mutua nec Veneris gaudia nosse potes.* Ibi Latinum non esset *praemia*. Nam Veneris *dona* etiam appellantur *gaudia*. Tibull. II. I. 12. *Quis tulit hesterna gaudia nocte Venus.* Conf. Barth. ad Rutil. Itin. I. 261. Virgilius igitur usus est figura, quae Hendiadyoin appellatur. Potuisset: *Nec dulcis natos, Veneris pia praemia, noris.* Ad Graecam rationem se componere maluit, quod etiam erat verecundius a sorore sorori dictum, quam de concubitu. Et quanta Virgilii fuerit verecundia, non modo ex vita, sed etiam ex carminibus constat.

Esto: aegram nulli quondam flexere mariti,
Non Libyae, non ante Tyro; despectus Iarbas,
Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis
Dives alit: placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?
Hinc Gaetulae urbes, genus insuperabile bello,
Et Numidae infreni cingunt, et inhospita Syrtis;
Hinc deserta siti regio, lateque furentes
Barcaei. Quid bella Tyro surgentia dicam,
Germanique minas?
Dis equidem auspicibus reor et Iunone secunda
Hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.
Quam tu urbem, soror, hanc cernes, quae surgere regna
Coniugio tali! Teucrum comitantibus armis,
Punica se quantis attollet gloria rebus!
Tu modo posce deos veniam, sacrisque litatis
Indulge hospitio, caussasque innecte morandi:
Dum pelago desaevit hiems, et aquosus Orion,

Non Libyae, non ante Tyro. In multis Cod. *Libye.* Wakkerus Amoenitatibus Literariis p. 19. probat, et pro ablativo accipit, ut mox sequitur *Tyro.* Servium Hemsterh. sic emendat: » *quidam autem* Libyae mariti, *Libyes,* Tyro mariti, *Tyrii exponunt.*

Placitone etiam pugnabis amori. Frustra in quibusdam MSS. *placidone.* Conf. Heinsius ad Ovidii Art. Am. I. 37.

Lateque furentes Barcaei. Quatuor Codd. et Hieronymus *vagantes.* Si in pluribus inveniretur, praeferrem.

Bella Tyro surgentia. Bella, quae nobis a Tyro imminent. Vidi, qui secus acciperent. Accepit etiam interpres ad Silium XIII. 616. *cognovit Latio surgentia bella Poenorum.* Ibi enim *Latio* est dativus.

Indulge hospitio. Scholiast. Lucani IV. 664. *abundantius praebe.* Mox, pro *caussasque* in fragm. Vaticano *et caussas.*

Dum pelago desaevit hiems, et aquosus Orion. Mira annotatio, quae Servio tribuitur: » Enumerat quas morae caussas possit innectere. Praetende, inquit, naufragiis fluctus; adversa navigatione iactatis procellarum nomen oppone. Hoc est, inflammare animum et artem docere precandi." Corrige

Quassataeque rates, dum non tractabile coelum.
His dictis incensum animum inflammavit amore,
Spemque dedit dubiae menti, solvitque pudorem.

naufragia, et *peccandi*. Annotatio non videtur Servii. Similis est praecepto Rhetoris poetici, iubentis discipulos *caussas morandi* explicare. Virgilius, credo, omisit. Neque profecto opus erat amanti feminae suggerere. Ipsa facillime inveniret. Servius vocabulum *desaevit* non interpretatur, unde fere suspicor eum non vidisse. Ad *aquosus Orion* leguntur: »id est: *dum occidit*." Tam brevis annotatio de tali vocabulo non est moris Serviani. Sed videamus de ipsis versibus. *Desaevit* est *valde saevit*. Si explices *saevire desinit*, versus fit ineptior. Sed tantae tempestates non sunt diuturnae. Continuantur horas aliquot, diem, duos, tres. Non magna morae caussa. Neque Dido uti poterat hac caussa. Dicere debebat: mane aliquantisper. Vides tempestatem desaevire. Hoc et ipse Aeneas videbat, qui in tanta procella non esset navigaturus, et Dido ita amorem nimis aperte statim proderet, eum, quem omni modo celare studet. Recte hac caussa utitur Aeneid. IV. 309. *Quin etiam hiberno moliris sidere classem*, *Et mediis properas aquilonibus ire per altum.* Tunc iam noverat Aenean. Itaque et Ovidius Epist. VII. 175. facit eam his argumentis utentem, cum Aeneas abire constituerat: *et socii requiem poscunt*, *laniataque classis Postulat exiguas semirefecta moras. Aquosus Orion*, non satis vehemens epitheton in tempestate. Melius a Virgilio appellatur *nimbosus*. Iam illa *non tractabile coelum* sunt pars tempestatis. Dum hiems desaevit, dum Orion desaevit, dum coelum non est tractabile. Haec non opportune interrumpuntur insertis in medio *quassataeque rates*. *Quassatae rates* sunt aliud argumentum; post illud argumentum repetitur idem, quod supra iam satis erat explicatum.

Quassataeque rates, *dum non tractabile coelum*. Puto, dum rates *quassatae sunt*. Vix Latinum. Aeneas appellit classem *quassatam* in litora Africae, iter ex Africa differt, *quia* naves sunt quassatae, quassae; omnia recte. Au etiam *differt iter*, *dum sunt quassatae*, quamdiu sunt quassatae? Vehementer dubito. Melius puto: *caussasque innecte morandi Quassatasque rates*, *et non tractabile coelum*.

Spemque dedit dubiae menti, *solvitque pudorem*. In superiore versu longe maior erit gravitas, si legatur *incensum animum inflammavit*: additum *amore*, languet. Dudum amabat. Imo erat *incensa*. *Incensam* soror *inflammat*. Mens *dubia* est, incerta quid faceret, cederetne amori, nec ne. Quae spes tali menti daretur? *Impulsus* datur, non *spes*. Concinnior sententia ex hac interpunctione

Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt; mactant lectas de more bidentis
Legiferae Cereri, Phoeboque, patrique Lyaeo;
Iunoni ante omnis, cui vincla iugalia curae.
Ipsa, tenens dextra pateram, pulcherrima Dido,
Candentis vaccae media inter cornua fundit;
Aut ante ora deum pinguis spatiatur ad aras,
Instauratque diem donis, pecudumque reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.
Heu vatum ignarae mentes! *quid vota furentem*,

orietur: *Hic dictis incensum animum inflammavit, amori Spemque dedit, dubiae menti solvitque pudorem.* Pulchre, *spem dedit amori*, amanti. Pulchre, *pudor dubiae mentis.* Valerius Flaccus VII. 172 sq. omnem hunc Virgilii locum ante oculos habuit. Quaedam iam supra laudavi. Addo haec. Venus loquitur: *me ipsa opus est: cunctantia poscunt Pectora me, dubiusque pudor: iam foedera faxo Ausonii petat ipsa viri, metuatque morari.* Si tamen *solvitque*, post *dubiae menti* positum, hanc interpunctionem admittat. Tibullus quidem et alii sic scribare non verentur. Virgilius fere abstinuit.

Heu vatum ignarae mentes! Si quis haec et antecedentia accurate et nulla praeiudicata opinione occupatus perpendat, is, credo, mihi concedet, non aliam, nisi hanc inde confici posse sententiam: *Adeunt templa, rogant deos, ut consilium de matrimonio cum Aenea secundent.* Dido etiam eventum per aruspicium cognoscere studet. Sed vates ignorant, quid velit Dido. Cupit amore liberari. Omnia tamen vota et templa eam non liberant. Nam non minus uritur. Atque ita fere Virgilium accepit Silius VIII. 100. *Heu sacri vatum errores! dum numina noctis Eliciunt, spondentque novis medicamina curis, Quod vidi decepta nefas.* Et Appul. Metam. X. pag. 682. *Heu medicorum ignarae mentes! Quid venae pulsus, quid fatigatus anhelitus: ergo igitur impatientia furoris altius agitata* sq. Sed talis sententia neque ipsa est sana, neque huic loco convenit. Dido non hoc agebat, ut amore liberaretur. Postea id egit, utens opera Massylae sacerdotis. Iam olim varie explicaverunt. Servius: »*ignarae*, amoris reginae, quia illae (Anna et Dido) alias caussas litationis praetendebant, et ideo vota oon perficiebant." Alia eiusdem Servii praetereo. Heynius libere interpretatus est, ex sua ipsius mente potius, quam significatione verborum. Equidem ista non intelligo

Quid delubra iuvant? Est mollis flamma medullas

nisi ratione, quae naturae rerum plane adversatur. Quare Virgilium scripsisse credo *Heu fati ignarae mentes!* et caetera esse spuria arbitror. Soror Didoni suaserat, ut deos veniam posceret, itaque Aeneas ad iucundum matrimonium permoveretur. Dido sacra facit Iunoni ante omnes, *cui vincla iugalia curae*. Inhiat extis, an spondeant, Aenean esse amaturum. *Heu fati ignarae mentes!* Nam si scirent, quot ae quantae calamitates ex illo Aeneae amore nascereutur, amorem et coniuginm non optarent. Homines vulgo nesciunt, quid precentur. Argumentum gravissimum, saepe a philosophis tractatum, ut a Platone in Alcibiade, duobus Dialogis, unde Iuvenalis pulcherrimam Satyram X. composuit. Poetae saepe exclamationem de errore humano in hac re interserunt. Eaque exclamatio gravis et elegans mihi de Didone videtur, licet nonnulli reprehenderint. Animi lectorum excitantur, et iam nunc ad conijciendas infelicis feminae miserias praeparantur. Virgilius iterum adhibuit X. Aeneid. 501, ubi Turnus spolio ovat, et gaudet potitus: *Nescia mens hominum fati sortisque futurae! Turno tempus erit, magno cum optaverit emtum, Intactum Pallanta, et cum spolia ista diemque Oderit.* Heynius illa laudat et miratur, parum sibi constans, qui eadem de Didone vix excusavisset. Sed Heynius ibi suum ipse iudicium et sensum sequitur; hic, aliorum opiuione, reprehendentium, aliquantum erat occupatus. Tanti est, servare libertatem. Comparari autem possunt Ovidii Metam. VI. 434. *gratata est scilicet illis Thracia: Disque ipsi grates egere: diemque, Quaque data est claro Pandione nata tyranno, Quaque erat ortus Itys, festam iussere vocari. Usque adeo latet utilitas!* Glareanus fatetur, se non posse explicare, quid illud ἐπιφώνημα significet. Burmannus, quamqnam minime esse obscurum dicat, ita tamen interpretatur, ut non intellexisse appareat. Voluit Ovidius: diem istam habuerunt festam, sed habere debuerant nefastam. Adeo *homines nesciunt, quid ipsis utile* et felix sit. Phaedrus hoc Burmanno ostendere potuisset, in I. Fab. 12. *O me infelicem, qui nunc demum intelligo, Utilia mihi quam fuerint, quae despexeram, Et, quae laudaram, quantum luctus habuerint!* Ovidius in Metam. VI. 472. eandem sententiam sic informavit: *Proh superi! quantum mortalia pectora coecae Noctis habent! ipso sceleris molimine Tereus Creditur esse pius.* Statius Theb. V. 718. *proh! sors, et coeca futuri Mens hominum!* Pro VATVM seu VATV emendavi FATI. Ita Lucan. II. 14. *Sit coeca futuri Mens hominum fati.* Silius II. 206. *coeca fati.* Statius II. Theb. 92. *proh! gnara nihil mortalia fati Corda sui!* Cuningha-

Interea, *et* tacitum vivit sub pectore volnus.
Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens; qualis coniecta cerva sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cresia fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum
Nescius: illa fuga silvas saltusque peragrat
Dictaeos; haeret lateri letalis arundo.
Nunc media Aenean secum per moenia ducit,
Sidoniasque ostentat opes, urbemque paratam;
Incipit effari, mediaque in voce resistit.
Nunc eadem, labente die, convivia quaerit,
Iliacosque iterum demens audire labores
Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.

mus corrigebat *Heu fatum ignarae mentes*. Interea Appul. X. Metam. pag. 682. *vatum* legisse videtur: *heu medicorum ignarae mentes!*

Quid vota furentem, Quid delubra iuvant. Eam, quae in votis ac delubris auxilium contra furorem quaerit. Nec pulchre statim repetitur, tota *vagatur urbe furens*.

Est mollis flamma medullas. Mollis flamma non convenit *furenti*. Hoc et alii viderunt, et Wagnerus. Ergo iungunt *mollis medullas*. Scio *molle pectus, cor*, similia, *mollis medullas* ita appellatas nescio. Est epitheton fastidii plenum. Virgilius, credo, dixisset *imas medullas:* ut Seneca Medea 819. *imas urat serpens Flamma medullas*. Gruetus ad Lucani VI. 629. haec pro spuriis habet.

Interea, et tacitum. Iam scribendum est: *Interea tacitum vivit sub pectore volnus*. Oratio autem optime cohaeret. Dido deos in templis precatur, exta consulit. Infelix, nescit quid optet. Amor interea crescit. Iam similis est furenti. Coniunctio *et* in duobus MSS. deest.

Haeret lateri letalis arundo. Ambros. de Caino et Abele I. 5. *velut cervus sagittatus in iecore haeret saucius*.

Incipit effari, mediaque in voce resistit. Statius X. Theb. 151. *Et medio affatu verba imperfecta relinqui*.

Iliacosque iterum demens audire labores. Ovidius Art. II. 127. de Calypsone: *Haec Troiae casus iterumque iterumque rogabat*.

Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore. Post hunc versum ponendos esse arbitror: *Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta*.

Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit, suadentque cadentia sidera somnos:
Sola domo moeret vacua, stratisque relictis
Incubat. Illum absens absentem auditque videtque.
Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta,
Detinet, infandum si fallere possit amorem.
Non coepta assurgunt turres; non arma iuventus
Exercet, portusve aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta, minaeque
Murorum ingentes, *aequataque machina coelo.*
Quam simul ac tali persensit peste teneri

Detinet, infandum si fallere possit amorem. Non enim honestum est, Didonem, solam, media nocte, in domo vacua, Ascanium in gremio tenere: neque etiam vero simile, patrem, cuius omnis cura stabat in nato, passurum, noctem in aliena domo transigere Ascanium.

Stratisque relictis Incubat. Quae Aeneas modo reliquerat, ubi in convivio accubuerat. Wagnerus accipit de *toro viduo*, quem Dido antea cum Sychaeo partiri solebat. Sed hoc in urbe Tyri fuit. Et *strata* non dicuntur *relicta* a marito, et occupata a coniuge, ad memoriam mariti revocandam, nisi ille brevi ante reliquerit.

Portusve aut propugnacula bello Tuta parant. Schraderus coniiciebat *portasve*. Vere puto. *Portae* et *propugnacula* melius iunguntur. Nec tam recte *portus* parantur, quam, quod alibi Virgilius dixit, *effodiuntur*. Ovid. Heroid. VII. 122. de eadem Didone, vix in Africam appellente: *Bella tument: bellis peregrina et femina tentor; Vixque rudes portas urbis, et arma, paro.* Quod Burmannus non intellexit, et perversa emendatione corrupit. Dido vix portas urbis parabat, *cum simul* arma parare debebat, ab hostibus nempe statim petebatur. *Vix — et*, pro *vix — cum*, satis notum est. Vide Wagnerum Quaest. Virgil. XXVIII. 3.

Aequataque machina coelo. Multo concinnius desinitur in *minaeque murorum ingentes*. Non portae, non turres parantur, non muri aedificantur. Et quid est *machina* illa? Servius per epexegesin ad *muros* refert. Alii *tigna* interpretantur statuta et colligata ad muros aedificandos, alii *instrumenta bellica*, alii *turres* per muros dispositas. Heynius *molem*, *aedificium*. Alii legendum putant *aequandaque*. Est, credo, supplementum grammatici, vocabulum ponentis, quod ei primum tolerabile in mentem veniret, neque a metro abhorreret.

Cara Iovis coniunx, nec famam obstare furori;
Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis:
Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis
Tuque puerque tuus; magnum et memorabile numen,
Una dolo divom si femina victa duorum est.

Cara Iovis coniunx. Nullam invenire potui probabilem caussam, cur Iuno hic *cara Iovis coniunx* appelletur. Longe praestaret *magna Iovis coniunx.*

Magnum et memorabile numen. In multis Codd. *nomen.* Interpretes hi *numen*, illi *nomen* praeferunt. Sententiae ac Latinitati magis convenit *nomen.* Tu et puer tuus egregiam laudem refertis. Magnum et memorabile nomen, si una femina victa est a duobus numinibus. Pone *numen.* Habebis: *magnum est numen*, si una femina victa est a duobus divis. Dicendum erat *magna ac memorabilia numina.* Sed accipiunt *numen* pro potestate: *vestrum numen*, dicunt, magnum erit et memorabile. Enimvero, Ironica et acerba oratio postulat exclamationem *Magnum ac memorabile nomen!* Sive exclamationis signum ponere malis post *duorum est!* Et omnes, quos vidi scriptores, adiectiva iungunt cum *nomine*, *facto*, non cum *numine*, *potestate.* Affertur Ovidii Metam. IV. 410. *Tum vero totis Bacchi memorabile Thebis Numen erat; magnasque novi matertera vires Narrat ubique dei!* Sed in quatuor MSS. legitur *nomen.* Recte. Apparet ex sequentibus *novi Dei.* Bacchus antea non habebatur pro deo. Nunc miraculo adeptus erat *nomen* memorabile, et omnes novum deum agnoscebant. Iunxit Virgilius *laudem*, *spolia*, *nomen*, tamquam de re praeclare in bello gesta. Thucyd. I. 1. *πόλεμον μέγαν τε καὶ ἀξιολογώτατον.* Livius XXXIX. 51. *nec magnam nec memorabilem ex inermi proditoque Flaminius victoriam feret.* Silius IV. 184. *Egregium Ausoniae decus ac memorabile nomen.* Ambros. Oper. T. I. pag. 395. *Magnum et memorabile beneficium dei.* Hegesippus de Excidio Hieros. V. 29. *Ineunt consilium magnum et memorabile.* Omitto frequens illud in historicis, facinus *memorabile* et *memorandum*, non omitto Terentii Heaut. II. III. 73. *Non fit sine periculo facinus magnum et commemorabile.* Alia exempla laudavit Burmannus. Quapropter verum iudico *nomen*, etiam quia video Ovidium expressisse locum Virgilii, X. Metam. 608. *habebis Hippomene victo magnum et memorabile nomen.*

Una dolo divom si femina victa duorum est. Scholiasta ad Ovidii Ibin 307. affert versus Grammatici ficto nomine Menephronis: *quis honos, quae gloria, si vos Turbaque nec*

Nec me adeo fallit, veritam te moenia nostra,
Suspectas habuisse domos Carthaginis altae.
Sed quis erit modus? aut quo nunc certamina tanta?
Quin potius pacem aeternam pactosque hymenaeos
Exercemus? habes, tota quod mente petisti:
Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem.
Communem hunc ergo populum, paribusque regamus
Auspiciis; liceat Phrygio servire marito,
Dotalisque tuae Tyrios permittere dextrae.
  Olli (sensit enim simulata mente locutam,
Quo regnum Italiae Libycas averteret oras)
Sic contra est ingressa Venus: Quis talia demens
Abnuat, aut tecum malit contendere bello?
Si modo, quod memoras factum fortuna sequatur.
Sed fatis incerta feror, si Iupiter unam
Esse velit Tyriis urbem Troiaque profectis,
Miscerive probet populos, aut foedera iungi.
Tu coniunx; tibi fas animum tentare precando.
Perge; sequar. Tum sic excepit regia Iuno:

minima, exsuperastis virginem, et unam. Partim ex Metam. VI. 524. *et virginem et unam Vi superat.*

Habes, tota quod mente petisti. Auctor Queroli vs. 245. *Habes nunc plane, tota mente quod rogas.*

Quo regnum Italiae Libycas averteret oras. Regnum gentium, mundi, esse debebat in Italia. Iuno cupiebat esse in Africa. Italia nondum habebat regnum. Aeneas in eo erat, ut inferret. Regnum adeo Italiae non potest alio averti. Si Iulius Caesar vel Augustus sedem imperii Carthaginem transtulissent, hoc fuisset regnum Italiae oras Libycas avertere, ex Italia in Libyam transferre. Ita nostra memoria regnum Portugaliae aversum est in Brasiliam. Scribendum puto: *quo regnum Italia Libycas averteret oras.* Et sic volebat Wakefieldus. Iuno optat, quod Aeneae suadet Dido apud Ovid. Heroid. VII. 151. *Ilion in Tyriam transfer felicius urbem.* Virgilius saepe dixit Troas *arcere, avertere Latio.* Idem est avertere *regnum.* Nam in Troianis et Aenea erat hoc regnum mundi.

Mecum erit iste labor. Nunc qua ratione, quod instat,
Confieri possit, paucis, adverte, docebo.
Venatum Aeneas unaque miserrima Dido
In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus
Extulerit Titan, radiisque retexerit orbem.
His ego nigrantem commixta grandine nimbum,
Dum trepidant alae, saltusque indagine cingunt,
Desuper infundam, et tonitru coelum omne ciebo.
Diffugient comites, et nocte tegentur opaca;
Speluncam Dido dux et Troianus eandem
Devenient. Adero, et, tua si mihi certa voluntas,
Connubio iungam stabili propriamque dicabo.

Mecum erit iste labor. Mihi cordi et curae illud negotium erit. Non obliviscar. Ea, quae cara sunt, nobiscum habemus et servamus. Virgil. IV. Aeneid. 29. *ille habeat secum servetque sepulcro.* Differt hoc ab altero Aeneid. I. 76. *tuus labor.* Atque hic, si possim, locum Valerii Flacci emendabo, VI. 331. Incola Scythiae loquitur: *feror Arctois nunc liber in arvis Cuncta tenens mecum: omnis amor iacturaque plaustri Sola.* Muta distinctionem: *Cuncta tenens, mecum omnis amor, iacturaque plaustri Sola.* Quod amo et mihi carum est, mecum habeo. Hoste appropinquante, fugimus. Nullam facimus iacturam praeter plaustri. Liberi vagamur in arvis. Sunt immetata. Nihil proprium est cuiquam. Igitur tenemus cuncta arva. Omnia sunt omnium.

Dum trepidant alae. Locus difficilis. Videtur tamen *alae* dictum pro *equitibus.* Potuisset Virgilius *dum trepidant equites.* Mox occurrunt *Massyli equites.* Silius illa respexit II. 418. *subitoque exterrita nimbo Occultant alae venantum corpora silvis. Alae venantum* occultant sua corpora silvis. Heynius minus recte interpretatur Silium.

Tua si mihi certa voluntas. Si tua certa voluntas est mihi, si mihi adest, ea fidere possum. Valer. Flaccus IV. 471. *namque est tibi nostra voluntas.* Heinsius ibi frustra corrigebat: *et tibi nostra voluntas.* Fortasse tamen in Virgilio melius scribetur: *tua si tibi certa voluntas.* Si tu idem vere et ex animo cupis, quod ego cupio. Ovidius Art. III. 617. *adsit modo certa voluntas.* Vide Burmannum.

Connubio iungam stabili propriamque dicabo. Versus male repetitus ex Aeneide I. 73. *Connubium* his verbis significatur plane legitimum,

Hic Hymenaeus erit. Non adversata petenti
Annuit, atque dolis risit Cytherea repertis.
  Oceanum interea surgens Aurora reliquit.
It portis, iubare exorto, delecta iuventus.
Retia rara, plagae, lato venabula ferro,
Massylique ruunt equites, et odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi

solemni ritu initum. Sed tale connubium ita in spelunca contrahi non poterat. Imo in spelunca *aliquid* fieret, unde connubium stabile oriretur. Hoc *aliquid* Iuno honeste *Hymenaeum* appellat. Quare et Silius II. 416. *Hinc et speluncam furtivaque foedera amantum Callaicae fecere manus.* Loquitur de Didone et Aenea. Dido quidem hoc vocabat postea *coniugium*, sed Aeneas se non in ea foedera venisse testabatur.

Dolis risit Cytheraea repertis. *Doli* Iunonis Venerem non latebant. Ex Hymenaeo illo nasceretur matrimonium. Aeneas maneret in Africa. Regnum mundi ab Italia averteretur. Carthago non deleretur. *Dolis repertis*, cum dolos reperisset, *deprehendisset.* Nescio cur Heynius hoc vix satis ex usu sermonis putet. Plautus Mostell. V. I. 62. *Malefacta vestra reperi radicitus.* Ovid. Fast. III. 846. *furta reperta.* Ubi plura Heinsius. Claudian. Eutrop. I. 88. *fraude reperta, cautior.* Consul. VI. Honorii 235. *Cuius consilium non unquam reperit hostis.* Sic *inventus* pro *deprehensus* apud Valer. Flaccum IV. 365. de Iove, qui Io vaccam Iunoni roganti negare non audebat: *qua fraude negaret, Aut quos inventos timuisset Iupiter astus?* Quae sic corrigenda esse indico: *qua fronte negaret, Aut quos inventus finxisset Iupiter astus? Inventus* erat in MS.

Retia rara, plagae, lato venabula ferro. Versus non pulcher, et suspectus. *Retia* et *plagae* vix satis differunt, ut in tali descriptione iungantur. Et quod verbum omissum cogitabimus? Servius dicit, vel *portantur*, vel per Zeugma *ruunt.* Utrumque durum. Aequius ferrem, si scriptum esset: *Retia rara humeris, lato et venabula ferro.* It iuventus. Retia erant in humeris. Seneca quidem verba, ut nunc sunt, novit. Hippol. 43. sq. *alius raras Cervice gravi portare plagas Alius teretes properet laqueos — Robur lato dirige ferro.* Longe tamen melius *portare plagas.* Modestius quoque Horatii composita sunt illa Epist. I. VI. 58. *Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos, Differtum transire forum populumque iubebat.*

Poenorum exspectant; ostroque insignis et auro
Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.
Tandem progreditur, magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.
Nec non et Phrygii comites, et laetus Iulus,
Incedunt. Ipse ante alios pulcherrimus omnis
Infert se socium Aeneas, atque agmina iungit:
Qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo,
Instauratque choros, mixtique altaria circum
Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi;
Ipse iugis Cynthi graditur, mollique fluentem

Frena ferox spumantia mandit. In Hamb. *mordet.* Alterum venustius. Apollonii IV. 1608. comparavit Ruhnken. Epist. Crit. II. pag. 226. *ἀργινόεντα δ' ἐνὶ στομάτεσσι χαλινὰ Ἀμφὶς ὀδακτάζοντι παραβλήδην κροτέονται.* Venuste iterum Virgil. VII. 279. *fulvum mandunt sub dentibus aurum.* Sedulius Carm. IV. *phaleris qui pictus et auro Ore cruentatum mandenti concutit aurum.* Recentiores Virgilio poetae hic pulchrum vocabulum *vexare* adhibent. Silius V. 147. *Stat sonipes vexatque ferox humentia frena.* Conf. Oudendorp. ad Lucani IV. 751. Quod Graece in Anthol. I. pag. 66. *θυμῷ δίσμα βιαζόμενος.*

Pharetra ex auro. Amant poetae repetitionem *auri.* Sic omnia ex auro fuisse clarius apparet. Exempla ubique adsunt. Vide et Burmannum ad Ovidii Metam. II. 107.

Agmina iungit. Iungit agmina sibi, hoc est, se iungit agminibus. Fluxit ex Latina in linguam Francicam. Nonnulli interpretes minus bene intellexerunt. Burmannus, quod saepe facit, etiam hic reprehendit Vondelium, interpretem Neerlandum, magni nominis poetam, Latine non satis scientem. Cur hoc fecerit Burmannus, ignoro. Interim Heynius ipsum quoque Burmannum erravisse ostendit.

Instauratque choros. Melius in MS. Leid. *instaurant.* Cretes et Dryopes et Agathyrsi instaurant choros at fremunt circum altaria, in honore Apollinis. Ipse graditur per iuga Cynthi.

Qualis ubi hibernam. Schol. Iuvenalis VII. 221. *Qualis ob hibernam.* Error librarii.

Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro;
Tela sonant humeris. *Haud illo segnior ibat*
Aeneas; *tantum egregio decus enitet ore.*
Postquam altos ventum in montis, atque invia lustra,
Ecce ferae, saxi deiectae vertice, caprae
Decurrere iugis; alia de parte patentis
Transmittunt cursu campos atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant, montisque relinquunt.

Haud illo segnior ibat Aeneas. Quamquam non omnes comparationis partes semper ad rem comparatam referantur, hic tamen magnificus Apollinis incessus et ipsa dei pulchritudo tam accurate descripta sunt, ut non opus sit addere, talem fuisse et incessisse Aeneam, quia praecedit: *Aeneas se socium infert agmini*, in quo erat Dido praecipua. Maiestas agminis ex Didonis imagine intelligitur. Neque Apollo celeritate utebatur. *Graditur*, lento passu et decoro incedit. Ergo non convenit *haud segnior* ibat Aeneas. Grammatici saepe huiusmodi comparationes suppleverunt. Memorabile exemplum est in eodem hoc libro IV. 256, 257, 258. *Haud aliter terras inter coelumque volabat* sq. Omnes fere eruditissimi et elegantissimi homines eos versus eiecerunt. Et tamen in nullo fere MS. desiderabantur. Quis igitur inique ferat, idem me hoc loco experiri?

Tantum egregio decus eminet ore. Imitati videntur Ovid. Heroid. IV. 78. *Et levis egregio pulvis in ore sedet.* Valerius Flac. V. 368. *Tyndarides ipso egregio supereminet ore.* Statius Theb. VI. 563. *quis Maenaliae Atalantes Nesciat egregium decus?* Nisi Grammaticus ipse hinc petierit.

Invia lustra. Illustrat Burmannus ad Valerii Flacci III. 593. *Heu miserae, quibus illo, ferae, quibus incidit usquam Immeritis per lustra viris.* Ubi mallem, *Heu miseri per lustra viri!*

Deiectae. Fera *deiecta* est *prostrata*, occisa, in venatu. Vide Wagnerum, et interpretes ad Nepotem VIII. 3. Sed hic additur *deiectae vertice.* Itaque Virgilius cavit, ne pro *occisis* accipi posset. Latinum est *feram de saxo deiicere.* Venatores, seu qui feras commovent et e lustris excitant, *deiiciunt* eas e vertice. Heynius putabat se *ipsae* deiiciunt ferae. Recte Virgilius capras appellat *feras.* Alioquin *capreas* posuisset. Vide Oudend. ad Appul. VIII. Metam. p. 514.

Montisque relinquunt. Venatores venerant in montes. *Postquam altos ventum in montis.* Capreae deiectae fugiunt. Alia de parte, ubi non sunt montes, cervi excitantur. Cervi in locis gratis erant, ad fontes. Legamus *fontisque relinquunt.*

At puer Ascanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo; iamque hos cursu, iam praeterit illos,
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.
Interea magno misceri murmure coelum
Incipit. Insequitur commixta grandine nimbus.
Et Tyrii comites passim, et Troiana iuventus,
Dardaniusque nepos Veneris, diversa per agros
Tecta metu petiere. Ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido dux et Troianus eandem
Deveniunt. Prima et Tellus et pronuba Iuno
Dant signum: fulsere ignes, et conscius aether

At puer Ascanius. Locum ornavit Statius Silv. V. II. 118. *Gaetulo sic pulcher equo, Troianaque quassans Tela, novercales ibat venator in agros Ascanius, miseramque patri flagrabat Elisam.*

Prima et Tellus et pronuba Iuno dant signum. Heinsius *primae*, omisso *et*. Elegantius. Sed quid significat *prima* vel *primae?* Wagnerus dicit: »Vel *primum*, vel scribendum *Furiae et Tellus*, vel in *prima* inest vis, quae nos fugit." Haec Wagnerus. De *Furiis*, has cum *Tellure* et *Iunone* parum commode iungi, ipse vidit. Neque apparet cur Tellus et Iuno *primae* dederint signum, nisi opponatur *ululatui* Nympharum, qui sequebatur. Addidisset, credo, Virgilius, *tum* ulularunt Nymphae. Tota imago, quam poeta informavit, ni fallor, haec est. Dido et Aeneas inibant coniugium, quasi legitimum, sed soli, sine testibus, sine solemni ritu, voluntate Iunonis ac Veneris. Iuno omnem rem susceperat et curabat. Signa et indicia, tale coniugium esse initum, requirebantur. *Ignes, fulmina* erant pro facibus nuptialibus, *ululatus* Nympharum pro carmine, Iuno ipsa erat *auspex* et pronuba. Talia signa non laetissimi quidem erant ominis, ipsa tamen per se in tali hac conditione non adeo infausta. De Nymphis Didonem scribentem fecit Ovid. VII. Heroid. 95. *Audieram voces; Nymphas ululasse putavi: Eumenides fatis signa dedere meis.* Ergo Nymphas non infaustas indicavit. Fortasse pro PRIMA ET scribendum est TREMVIT. *Speluncam Dido dux et Troianus eandem Deveniunt: tremuit tellus, et pronuba Iuno Dat signum; fulsere ignes et conscius aether Connubiis.* Tota tempestas erat opus Iunonis. Coelum incipiebat mur-

Connubiis; summoque ulularunt vertice Nymphae.
Ille dies primus leti primusque malorum
Caussa fuit. Neque enim specie famave movetur,
Nec iam furtivum Dido meditatur amorem:
Coniugium vocat; hoc praetexit nomine culpam.
  Extemplo Libyae magnas it Fama per urbis;
Fama malum, quo non aliud velocius ullum;
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo;
Parva metu primo, mox sese attollit in auras,

mure misceri. Vix Dido et Aeneas in speluncam venerant et matrimonium contraxerant, quum Iuno illud per vehementissimum tonitru ac fulmen confirmavit. *Tellus tremuit*, ignes fulsere. Ad ea territae Nymphae ululant. Apollonius Rhodius utrumque iunxit III. 1218. *Πίσεα δ' ἔτρεμε πάντα κατὰ στίβον· αἱ δ' ὀλόλυξαν Νύμφαι ἑλειονόμοι ποταμηΐδες:* qui locus interpretes non effugit. Valerius Flaccus II. 536. *Idaeaque Mater Et chorus et summis ulularunt collibus amnes.*

Ille dies primus leti primusque malorum Caussa fuit. Non iusto ordine ponuntur *leti et malorum.* Postulatur *malorum et leti.* Virgilium scripsisse arbitror LABES pro LETI. *Ille dies primus labes primusque malorum Caussa fuit.* Frequens est illud *prima mali* et *malorum labes.* Virgilius Aeneid. II. 97. *Hinc mihi prima mali labes.* Sed *labes* saepe habet aliud substantivum adiunctum. Valerius Flaccus II. 239. *Ast aliae Thressas labem causamque furoris Diripiunt.* Iustinus XVII. 1. *Haec illi prima mali labes, hoc initium impendentis ruinae fuit.* Gualterus Alexandr. I. 466. *Unde mali labes et prima effluxit origo Iliaci casus.* Muretus in Var. Lect. XIII. 16. putat Virgilium Thucydidis fuisse studiosissimum, atque hoc ex eo depromsisse; *Ἥδε ἡ ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει.* Eiusdem loci similitudo adverterat Wyttenbachium. Hic Homeri addidit νῆες ἀρχέκακοι, unde Herodotum V. 97. sumsisse νῆες ἀρχὴ κακῶν, quod Plutarchum T. II. 861. A, mutasse in ναῦς ἀρχεκάκους.

Coniugium vocat. Ovid. Metam. VII. 69. *Coniugiumque vocas, speciosaque nomina culpae Imponis, Medea, tuae?*

Parva metu primo. Varias interpretum opiniones de loco difficili non enumerabo. Postquam Heynius in annotatione explicaverat de *Fama* malum imminens nuntiante, unde *metus* animos incessit, melius in Excursu III. sic scripsit: »Fatendum tamen, esse alia, quae subtiliori iudicio vix satis

Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, ira irritata deorum,
Extremam, ut perhibent, Coeo Enceladoque sororem
Progenuit, pedibus celerem et pernicibus alis;
Monstrum horrendum, ingens; cui, quot sunt corpore plumae,
Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu,
Tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit auris.
Nocte volat coeli medio terraeque per umbram,
Stridens, nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, et magnas territat urbis;
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.
Haec tum multiplici populos sermone replebat
Gaudens, et pariter facta atque infecta canebat:
Venisse Aenean, Troiano a sanguine cretum,
Cui se pulchra viro dignetur iungere Dido;
Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere,

se probent, a viris doctis non animadversa. Versu 176 male interpositum est *metu*, quod ita a Fama, in deam mutata, nos revocat ad *abstractum*, quod dicimus, ad *ipsum rumorem;* debebat esse parva *primo motu*, *cursu*, *volatu*. Nec verborum positus admittit, ut *metu* sit *ad metum*, ut *metum iniiciat*. Haec vere Heynius indicavit. Schraderus coniiciebat *parva modi*, vel *modo:* Goesius, *parva ortu primo*. Si consideres, quam parum VENIT a METV abeat, dices Virgilium scripsisse: *Parva venit primo*, *mox sese attollit in auras*. Sic imago Famae egregie servatur, et Latine dicitur primo *parva venire*, id est *in parva corporis specie*. Exempla dedi ad Horatii Carm. I. 19. Virgilius expressit Homeri Iliad. *Δ*. 442. de Eride: *Ἥ τ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει*. Quid, quaeso, *ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται* aliud est, quam *parva venit primo?* Et *venit*, pulchrius quam Homericum *surgit*. Quamquam non sint eaedem imagines.

Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere. Wyttenbachius putabat Virgilium cogitasse recentis memoriae negotium, Antonii et Cleopatrae, similiter luxuriantium, de quo Plutarchus II. p. 942, et Dio Cassius

Regnorum immemores, turpique cupidine captos.
Haec passim dea foeda virum diffundit in ora.
Protenus ad regem cursus detorquet Iarban,
Incenditque animum dictis, atque aggerat iras.
  Hic Hammone satus, rapta Garamantide Nympha,
Templa Iovi centum latis immania regnis,
Centum aras posuit; vigilemque sacraverat ignem,
Excubias divom aeternas, pecudumque cruore
Pingue solum, et variis florentia limina sertis.
Isque amens animi, et rumore accensus amaro,
Dicitur ante aras, media inter numina divom,
Multa Iovem manibus supplex orasse supinis:
Iupiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenäeum libat honorem,
Adspicis haec? an te, genitor, quum fulmina torques,
Nequidquam horremus? caecique in nubibus ignes
Terrificant animos, et inania murmura miscent?

V. 6. Formula *hiemem fovere*, explicanda est, puto, ut *noctem fatigare*, et similia: *se fovent per hiemem*, *se fatigant per noctem*.

Rumore accensus amaro. Valerius Flaccus II. 358. *monitis accensus amaris*.

Caecique in nubibus ignes. *Caecus* non videt, quo ignes iaculetur. Ignes igitur facile possunt evitari. Ignes, quos *caecus* iaculatur, ipsi vocantur *caeci*, et sunt vani. Virgilium fere descripsit Silius XII. 628. *coecum e nubibus ignem*, *Murmuraque a ventis misceri vana docebat*. Vide interpretem Livii XL. 10. qui ista Patavini ex Virgilio illustrat: *sed, ne sint coecae*, *pater*, *exsecrationes tuae*, *discerne et dispice insidiatorem et petitum insidiis*. Apparet *coecas exsecrationes* appellari proprie, ubi non discernitur, uter per eas esset petendus. Lucianus, in Timone pag. 100, fulmen appellat *ψυχρόν*, et Iovem dicit *δαλόν τινα ἐπανατείνασθαι*, *ὡς πῦρ μὲν ἢ καπνὸν ἀπ' αὐτοῦ μὴ δεδιέναι*.

Et inania murmura miscent? Animos miscent, hoc est *turbant*, non probandum. Ignes *miscent* murmura, pro *adiuncta habent*, *faciunt*, multo minus probandum. Nam humile est, si fulmina ignibus immiscent inane murmur. Omnino reponendum arbi-

Femina, quae nostris errans in finibus urbem
Exiguam pretio posuit, cui litus arandum,
Cuique loci leges dedimus, connubia nostra
Repulit, ac dominum Aenean in regna recepit.
Et nunc ille Paris, cum semiviro comitatu,
Maeonia mentum mitra crinemque madentem

tror: *et inania murmura misces.* Eleganter, Iupiter *miscet* murmura, *facit murmura* e diversis sonis composita, varia murmura. Hinc loca, in quibus murmur fit, ipsa murmure *miscentur.* Heynius et ad Aeneid. II. 298. et alibi explicavit. Si *miscent* servandum est, accipere debemus pro *miscentur.* Sed *misces* etiam Paullinus vidit. Scripsit enim Carm. X. *Qui trifido igne micat, nec inania murmura miscet.*

Dominum Aenean in regna recepit. Vere Servius: »Vehemens accusatio: me maritum respuit, et Aenean non virum, sed *dominum* recepit." Caeterum Sallust. B. Iug. X. non dissimili valde modo dixit: *Te in meum regnum accepi.*

Cum semiviro comitatu. Quod inprimis ex vestitu conficit. Ecclesiastici accommodavere ad Bacchum. Lactant. I. x. *Delatus Cretam cum semiviro comitatu.* Firmicus pag. 15. *Liber, proiectis infulis, quas pampineis coronarum circulis illigabat, cum semiviro comitatu fugiens.*

Maeonia mentum mitra crinemque madentem Subnixus. In uno MS. est *subnexus.* Servius: »*subnixum* et *subligatum habens.*" Unde et eum legisse diceres *subnexum.* Sed discrimen unius literulae nihil apud me valet. Videndum utra scriptura melius Latinitati conveniat. Et *subnexus* et *subnixus* suos patronos, magni nominis viros, invenit. Marklandus utrovis modo recte dici arbitratur, nihilque adeo adversus exemplaria mutandum. Heynius *subnixus* esse putat exquisitius, et sic explicat: *quodcumque subligatam sibi habet aliquam rem, illud* subnixum *ea re videri potest.* Sed, si istam explicationem ad locum nostrum accommodamus, hinc oritur singularis imago. Mentum habet mitram *subligatam*, ergo mentum nititur mitra, mitra est sub mento, mentum supra mitram. *Subniti* aliqua re, significat, *niti aliqua re supposita*, inniti. Sic Virgilius, optimus sui ipsius interpres, Aeneid. I. 506. *Solio subnixa resedit.* III. 402. *Subnixa Petelia muro.* Coelius historicus, teste Servio, dixerat: *Petelia imposita est excelso muro.* Talia sunt apud alios scriptores, *subnixus verticibus, iugis.* Mitra igitur *subnixa* est crinibus et mento, crines et mentum non subnixa mitrae. Imago Heynii in eo falsa est, quod *mitra* ipsa non est *subligata* mento,

Subnixus, rapto potitur: nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.
Talibus orantem dictis, arasque tenentem,
Audiit omnipotens, oculosque ad moenia torsit
Regia, et oblitos famae melioris amantis.
Tum sic Mercurium alloquitur, ac talia mandat:
Vade age, nate, voca Zephyros, et labere pennis:
Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc
Exspectat, fatisque datas non respicit urbis,
Alloquere, et celeres defer mea dicta per auras.
Non illum nobis genetrix pulcherrima talem
Promisit, Graiumque ideo bis vindicat armis:
Sed fore, qui gravidam imperiis belloque frementem

sed per funiculos constricta, qui sub mentum alligati sunt. Si quis magnum habet mentum, quod pectori incumbit, dici potest *innixus mentum pectore*, nunquam *innixus mento pectus*. Verum adeo arbitror *subnexus*.

Talibus orantem dictis, arasque tenentem. Abest versus a Cod. Menag. Iudice Burmanno abesse poterat. Gravitas orationis ipsa augebitur, puto, si tollis. Addidit Grammaticus ex Aeneid. VI. 124. *Talibus orabat dictis, arasque tenebat.*

Sed fore, qui gravidam imperiis. Servius: » Alii hunc ordinem volunt: sed fore, qui Italiam, gravidam bello, frementem *imperiis regeret.*" Legisse videntur: *qui gravidam bello imperiisque frementem.* Caeterum illud de Aenea non satis intelligo. Venus non talem Aenean promisit, sed qui Italiam regeret et totum orbem terrarum domaret. Hoc dici tantum poterat de Romanis, praecipue de Augusto. Aeneas prodidit et propagavit genus a sanguine Teucri. Illud genus rexit Italiam et orbem vicit, non Aeneas, *sed domus Aeneae. Auctores generis* interdum facere dicuntur, quod nepotes faciunt. Sed tunc illi auctores non tam directe indicantur. *Hic erit, qui regat*, vix alius esse potest, quam Aeneas. Et *qui genus proderet*, ista omnino debebant praecedere. Fieri potest, ut versus, *Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem*, sit glossa, et Virgilius scripserit: *Sed fore, qui gravidam imperiis belloque frementem Italiam regeret, genus alto a sanguine Teucri.* Venus nobis Aeneam non talem promisit, qui, fati oblitus, regnum mundi in Africa conderet: sed ex eo fore, qui Italiam aliquando

Italiam regeret, genus alto a sanguine Teucri
Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.
Si nulla accendit tantarum gloria rerum,
Nec super ipse sua molitur laude laborem:
Ascanione pater Romanas invidet arces?
Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur?
Nec prolem Ausoniam et Lavinia respicit arva?
Naviget! Haec summa est; ***hic nostri nuntius esto.***
Dixerat. Ille patris magni parere parabat
Imperio: et primum pedibus talaria nectit,
Aurea, quae sublimem alis, sive aequora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco
Pallentis, alias sub Tartara tristia mittit;
Dat somnos adimitque, ***et lumina morte resignat.***

regerent, genus illud Iulium, ex sanguine Ascanii haeredis, ex Teucro. Sic Aeneid. I. 235. *Certe hinc* (ex Troianis, Aenea) *Romanos olim — Hinc fore ductores, revocato sanguine Teucri.*

Hic nostri nuntius esto. Alii accipiunt Mercurium *nuntium*, alii *rem* ab eo nuntiatam. Verba, utrovis modo sumas, sunt valde otiosa. Scribi poterat *hoc nostri nuntius esto.* Ut dicimus *hoc auctor est.* Sed Wagnerus docet *hic nuntius* poni pro *huius rei* nuntius. Enimvero Iovis oratio gravius finitur *haec summa est.* Servius explicat: *totum propter quod mitteris. Haec est praeceptorum meorum collectio.* Bonus poeta his verbis non adderet *horum nuntius esto.* Et Heumannus recidebat.

Dat somnos adimitque. Fortasse Ennianum, vel alterius antiqui poetae, interpretati Homerica Odyss. XXIV. 4. *τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει Ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.* Illud antiquum et Horatius in Satyr. II. III. 288. expressisse videtur: *Iupiter, ingentes qui das adimisque dolores.*

Et lumina morte resignat. Dictu difficile est, quid sit *morte resignat lumina.* Hinc tot tamque variae explicationes: *claudit, aperit* in morte, *aperit mortuis, post mortem aperit, solvit lumina, ademtis viribus, rursus occludit, resignat a morte, iamiam morientes in vitam revocat, resignat morte, ne claudantur.* Alii acceperunt *limina*, quod in duobus MSS. legebatur: alii coniecerunt

Illa fretus agit ventos, et turbida tranat
Nubila. Iamque volans apicem et latera ardua cernit
Atlantis duri, coelum qui vertice fulcit;
Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris
Piniferum caput et vento pulsatur et imbri;
Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento
Praecipitant senis, et glacie riget horrida barba.
Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Constitit; hinc toto praeceps se corpore ad undas
Misit, avi similis, quae circum litora, circum
Piscosos scopulos, humilis volat aequora iuxta.

nocte resignat. Additum puto hemistichium versus explendi caussa. Nam ipsa illa verba sunt tam obscurae et ambiguae significationis, ut probabilem inde sententiam elicere non possis: et de Mercurio oculos mortuorum vel aperiente, vel vivorum claudente, nihil aliunde constat: denique in MS. Vatic. totus versus ad calcem paginae erat reiectus. Auctor illius MS. genuinam versus partem simul cum spuria, in exemplo, quod sequebatur, sola notata, in imo margine ponere potuit, vel imprudens, vel alia de caussa. Neque propterea, si extremam versus partem rescindimus, cogemur et priorem rescindere. Statius I. Theb. 304 sq. Virgilium sic expressit, ut cum eo certasse videatur: *Paret Atlantiades dictis genitoris, et inde Summa pedum propere plantaribus illigat alis. Tum dextrae virgam inseruit, qua pellere dulces Aut suadere iterum somnos, qua nigra subire Tartara, et exsangues animare assueverat umbras.* In quibus *subire Tartara* et *animare umbras* est Virgilianum *evocat* et *mittit.* Illud *lumina morte resignat* Statius non vidit. Caeterum et Circae erat sua virga. Valerius Flaccus VII. 248. Medea illi dicit: *Redde diem noctemque mihi; da prendere vestes Somniferas, ipsaque oculos componere virga.* Optat Medea, vel solo contactu vestium Circes somnum capere. Venus habitum Circes mentiebatur, ut poeta dixerat vs. 212. *mutata deam, mentitaque pictis Vestibus et magica Circen Titanida virga.* Interpretes non recte de *stragulis* vel ipso *somni amictu* accipiunt. Burmannus se haec non satis perspicere fatetur.

Glacie riget horrida barba. Lactantius ad Statii Theb. III. 264. *rigentes* explicat *erectas, horribiles*, ut Virgilius *riget horrida tergo Palla.* Errorne memoriae, an vidit *tergo riget horrida palla?*

Haud aliter terras inter coelumque volabat,
Litus arenosum ac Libyae ventosque secabat,
Materno veniens ab avo. Cyllenia proles
Ut primum alatis tetigit magalia plantis:
Aenean fundantem arces ac tecta novantem
Conspicit. Atque illi stellatus iaspide fulva
Ensis erat, Tyrioque ardebat murice laena,
Demissa ex humeris: dives quae munera Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro.
Continuo invadit: Tu nunc Carthaginis altae
Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem
Extruis! heu regni rerumque oblite tuarum!
Ipse deum tibi me claro demittit Olympo

Haud aliter terras inter coelumque volabat. Multi hunc et duos sequentes versus interpolatori tribuunt. Ne scilicet apodosis comparationis deesset, ficti sunt. Et erat ista interpolandi facillima opportunitas. Ubi enim praecedunt: *hinc Mercurius se praeceps misit, sicut avis, quae volat circum litora, scopulos et aequora;* vel cogitando suppleamus: *ita, ut illa avis, se praeceps misit Mercurius.* Multa manum imperitam et fraudem produnt. Ut omittam MSS. in quibus hic est solito maior discrepantia, unus etiam versus alio ordine positus, dicendum erat: sic se Mercurius *misit;* non enim hic agi potest de altiore volatu. Tum *Mercurius* iterum et inepte memoratur; *haud aliter* non sic ponitur, nisi in apodosi sit gravitas; denique *litus arenosum ac Libyae* vix Latina sunt, ut sonus *volabat, secabat*, ingratus. Wagnerus rem ita demonstravit, ut nihil, quod adderem, reperire potuerim.

Atque illi stellatus iaspide fulva Ensis erat. Illud *atque* Heynium offendit, adeo etiam ut Virgilium in *conspicit* desiisse putaret, caetera autem a Tucca et Vario addita. Immerito. *Atque* poni solet in re inexspectata, mira, subito oculis obiecta. Vide Wagner. Quaest. Virgil. XXXV. 22.

Tyrioque ardebat murice laena. Valerius Flaccus VI. 526. *Barbarica chlamys ardet acu.* Vide Heinsium. Pro *Tyrio*, Schol. Iuven. Satyr. III. 283. habet *vario.* Error, puto, librarii.

Demissa ex humeris. Silius XV. 421. *Fraternum laena nitebat Demissa ex humeris donum, quam foederis arcti Trinacrius Libyco rex inter munera pignus Miserat.*

Ipse deum. Statius II. Theb. 115. *Ipse deum genitor tibi me miseratus ab alto Mittit.*

Regnator, coelum et terras qui numine torquet;
Ipse haec ferre iubet celeris mandata per auras:
Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?
Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Nec super ipse tua moliris laude laborem;
Ascanium surgentem, et spes heredis Iuli
Respice; cui regnum Italiae Romanaque tellus
Debentur. Tali Cyllenius ore locutus
Mortalis visus medio sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
At vero Aeneas adspectu obmutuit amens,
Arrectaeque horrore comae, et vox faucibus haesit.
Ardet abire fuga, dulcisque relinquere terras,

Nec super ipse tua moliris laude laborem. Versus deest in Mediceo et aliis quibusdam MSS. Neque requiritur. Ratio oppositionis iam est in: *Si te non movet — Ascanium respice.* Et Virgilius caeteram orationem Mercurii variavit, ne plane eadem esset ac Iovis.

Ascanium surgentem, et spes heredis Iuli Respice; cui regnum Italiae Romanaque tellus Debentur. Ego primum non laudo nomina *Ascanii et Iuli* sic coniuncta. Omnino sufficit memorasse *Iulum*, auctorem gentis Iuliae. Deinde, quod et supra de Aenea dixi, *regnum Italiae* nec *Romana tellus* debebantur *Iulo*, sed Caesari et Augusto. Aliorum locorum, ut vs. 355. *Quem regno Hesperiae fraudo et fatalibus arvis*, alia quaedam ratio est. Hic quidem si pro ASCANIVM scribis ATNATVM, et QVIS, hoc est *quibus*, pro CVI, praeclaram sententiam nancisceris. *At natum surgentem, et spes heredis Iuli Respice, quis regnum Italiae Romanaque tellus Debentur.* Respice natum tuum, haeredem tuum Iulum, respice spem illius, quam spem efficiunt genus et nepotes, illi, quibus Italia debetur. *Posteri* dicuntur *spes* viventium. Virgil. Aeneid. II. 503. *Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum.* Ubi plura interpretes. Quam pulchrum sit *at natum*, non est quod dicam. Virgil. Aeneid. I. 543. *Si genus humanum et mortalia temnitis arma, At sperate deos memores fandi atque nefandi.* Res satis illustrata ab iis, qui de Particulis scripsere.

In tenuem ex oculis evanuit auram. Sedulius Carmine Paschali: *in vacuas fugiens evanuit auras.*

Attonitus tanto monitu imperioque deorum.
Heu, quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat affatu? quae prima exordia sumat?
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partisque rapit varias, perque omnia versat.
Haec alternanti potior sententia visa est:
Mnesthea Sergestumque vocat, fortemque Cloanthum:
Classem aptent taciti, sociosque ad litora cogant;
Arma parent, et, quae rebus sit caussa novandis,
Dissimulent: sese interea, quando optima Dido
Nesciat, et tantos rumpi non speret amores,
Tentaturum aditus, et quae mollissima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus. Ocius omnes
Imperio laeti parent, ac iussa facessunt.
At regina dolos (quis fallere possit amantem!)
Praesensit, motusque excepit prima futuros,

Reginam ambire furentem. Valerius Flaccus VII. 256. *Dumque illam variis moerentem vocibus ambit.*

Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc. Hic et sequens versus etiam inveniuntur Aeneid. VIII. 20. Heynius habet suspectos, Brunckius sustulit. Heinsius corrigit *utque animum.* Non credo esse Virgilii. Sequens versus aberat a MS. Gud. et fortasse a fragm. Vatic. Angor Aeneae iam satis expressus est his *Heu quid agat?* sq. Illud *atque* nullam vim habet. Wagnerus sic defendit: »Decernit Aeneas Carthaginem relinquere; sed haeret ac nescit, quomodo rem, quae celari Didonem non poterat, ita ei aperiat, ut eius animus non nimis offendatur, *ac* propterea varia agitat consilia. Tandem haec animo sedit sententia.” Vel in ista Wagneri oratione prosa *ac* equidem delendum censerem. Caesar aut Livius nunquam addidissent.

Arma parent. Aberat totus versus a MS. Gud. Sed carere non possumus, licet non pulchre statim sequatur *quis rebus dexter modus.*

At regina dolos. Locum imitatus est Valerius Flaccus VIII. 408. si tamen illa sint Valerii. Excellentia Virgilii ex imitatione talium poetarum magis elucet. Pro *dolos*, in Venet. *dolo.* Ita iungere oporteret *fallere dolo.* Sic Aeneid. I. 684. *falle dolo.* Neque universe vera est sententia. Multae enim amantes falluntur, non omnes *dolo.*

Omnia tuta timens. Eadem impia Fama furenti

Omnia tuta timens. Quae timet *omnia tuta*, frustra timet, ubi non timendum est. Ovid. VII. Metam. 47. *Quid tuta times?* Iscanus B. Troi. V. 442. *Omnia certa timet.* Hoc igitur de Didone dici non potest. Nam non frustra nunc timet. Servius exponit: »deest *etiam*, nedum illa quae timebat." Fortasse Servius sive voluit, sive scripsit: *Omnia timens, etiam tuta, nedum illa, quae nunc timebat.* Sic Ovidius IV. Trist. III. 13. *quamvis tuta. Crede quod est; quamvis ac desine tuta vereri. Deque fide certa sit tibi certa fides.* Paullin. Carm. 18. *tuta etiam timuit.* Sed, ut alias difficultates in explicatione Serviana praeteream, dura est ellipsis vocabuli *etiam*, neque castigati scriptores ita loquuntur. *Omnia* et *tuta* non separantur. Virgil. Aeneid. I. 587. *Omnia tuta vides.* Valerius Flaccus VII. 250. *infestaque cerno omnia.* Si Virgilius totum hunc locum sic concepisset: *At regina dolos (quis fallere possit amantem?) Praesensit, motusque excepit prima futuri Omina, cuncta timens*, nemo haberet vel minimum, quod reprehenderet. OMINA et OMNIA, TVTA et CVNCTA, ut literarum formam habent simillimam, ita in MSS. centies sunt permutata. Eleganter et Latine *praesensit dolos*, et *prima excepit omina motus futuri*, prima, ante alios omnes *omina*, *indicia* et signa instantis discessus animadvertit. Didonem quippe non latuit Aenean subito ad se vocasse Mnesthea, Sergestum et Cloanthum, socios clam urbem relinquere, ac trepidare. Haec erant quasi omina futuri. Hinc nihil boni ominabatur. Cuncta timens, ut solent amantes. Ovid. VI. Metam. 522. *cuncta timentem:* VII. Metam. 719. *cuncta timemus amantes.* III. Art. 720. *Et quia amans semper, quod putat esse, timet.*

Eadem impia Fama. Interpretes ista, tamquam facillima, silentio praetereunt. Ne explicant quidem. Audiamus igitur Servium: »*eadem*, quae et Iarbae nuntiaverat, *impia*, quia supra *Fama malum.*" Illud *de Iarba* totis versibus centum viginti quinque praecesit, adeo ut hic fere iam obliti simus, quid supra de Fama dixerit. *Eadem* repeti potest exiguo intervallo, ut Statius repetiit in eadem caussa, II. Theb. 205. *Socias it Fama per urbes* — 208. *Nec minus Ogygiae eadem dea turbida Thebas Insilit.* Neque epitheton *impia* placet. Appellavit quidem *malum*, sed addidit *quo non velocius aliud ullum*, et addidit *nuntia veri.* Est quidem *malum*, sed non huiusmodi, ut universe *impia* nominari possit. Neque intelligo, qua ratione haec ita coniuncta accipiantur: Dido praesensit et prima excepit motus futuros, *et Fama ei detulit armari classem.* Si Fama eodem momento detulit, Dido non habebat, quod praesentiret. Tempus

Detulit, armari classem, cursumque parari.
Saevit inops animi, totamque incensa per urbem
Bacchatur: qualis commotis excita sacris
Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithaeron.
Tandem his Aenean compellat vocibus ultro:
  Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
Posse nefas? tacitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,

quidem inter suspicionem Didonis et uuntium Famae fuit exiguum, tamen aliquod. Virgilium scripsisse puto ET IAM IMPROBA pro EADEM IMPIA. Regina (quis fallat amantem?) praesensit dolos, et ante omnes abitum parari animadvertit, dum cuncta timet. Neque frustra timuisse, brevi vel potius statim apparuit. Fama enim classem armari detulit. *Iam*, *iamque*, *et iam*, de rerum temporumque vicibus ac progressu, saepe a Virgilio usurpatur, et idem est atque *statim post*, *continuo:* Wagnerus Quaest. XXIV. 8. explicavit. *Fama* autem rectissime *improba* appellatur, quae spargendis rumoribus nunquam satiatur, quae nunquam quiescit, nec fatigatur. Hinc ipse hominum *labor improbus*. Dixi nonnulla de hoc vocabulo eiusque permutatione in MSS. cum *impia* ad Horatii Carm. III. 1. Adde interpretes ad Valerii Flacci VI. 702. et Oudend. ad Lucani VII. 760. Tres Virgiliani imitatores meam coniecturam confirmant. Tribuerunt *Famae* idem epitheton Valerius Flaccus V. 82. *Fama per extremos quin iam volat improba manes.* Silius IV. 5. *Fama per Ausoniae turbatas spargitur urbes — Diros canit improba motus*, *Et gliscit gressu.* Paullinus Petrocorius de Vita S. Martini Lib. II. *barbaricos affert Fama improba motus.* Denique Iustus Vondelius locum ita interpretatur: *de zelve onrustige Faem brogt de kranckhoofdige vrouw over.* Atque eam et similes Vondelii, ut et Bilderdykii, interpretationes pro magno veritatis testimonio semper accepi. Fuere poetae excellentissimi omnium, quos Neerlandi unquam vidimus. Et quamquam Bilderdykius melius Latine sciret quam Vondelius, neuter tamen satis sciebat, ut loca corrupta bene emendare possent. Sed suus illis sensus vere poeticus saepe tacite ostendebat, quid Latinus poeta scribere debuisset. Ita Vondelius hic *impia* reddidit *onrustige*, probe animadvertens illud requiri, sed nesciens Latine dici *improba*, non *impia*.

Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hiberno moliris sidere classem,
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum,
Crudelis? Quid? si non arva aliena domosque
Ignotas peteres, et Troia antiqua maneret,
Troia per undosum peteretur classibus aequor?
Mene fugis? Per ego has lacrimas dextramque tuam te,
(Quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui)
Per connubia nostra, per inceptos hymenaeos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum: miserere domus labentis, et istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.
Te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni
Odere; infensi Tyrii; te propter eundem
Exstinctus pudor, et, qua sola sidera adibam,

Moritura. Cui mors certa instat. Conf. interpretes ad Vellei. Paterc. II. 5.

Troia per undosum peteretur classibus aequor? Imitatur Ovidius et alibi, et Heroid. XIII. 127. *Quis velit in patriam vento prohibente reverti? A patria pelago vela vetante datis.* Valerius Flaccus II. 404. *sic portus fugeret ratis, aspera si te Plias in adversae tenuisset litore Thraces?* Seneca Natur. Quaest. V. 18. *Incertam fortunam experimur, vim tempestatum nulla ope humana superabilem, mortem sine spe sepulturae. Non erat tanti, si ad pacem per ista veheremur.*

Quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui. Mea ipsius culpa nihil aliud mihi superest, totam me tradidi in tuam potestatem. Etiam si possem, vi ut maneres non te cogerem tamen. Adeo te amo.

Si bene quid de te merui. Statius I. Theb. 60. *si bene quid merui.*

Quidquam dulce meum. Honeste. Conf. interpretes ad Terentii Andr. II. I. 25. Ovid. Heroid. VII. 177. *Pro meritis, et, si qua tibi praebebimus ultra, Pro spe coniugii tempora parva peto.* Quae non intelligo, nisi emendentur: *Per merita, et, per, si qua tibi praebebimus ultra, Pro spe coniugii.* Locus ex Virgilio videtur expressus.

Exstinctus pudor. Dido non servaverat pudicitiam. Vivebat cum Aenea, matrimonio non iuncta. Hinc etiam apparet versum *Ante Pudor quam te violem aut tua iura resolvam*, recte a me esse deletum.

Fama prior; cui me moribundam deseris, hospes?
Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat.
Quid moror? an mea Pygmalion dum moenia frater
Destruat, aut captam ducat Gaetulus Iarbas?

Qua solasi dera adibam, Fama prior. Fama pndicitiae. Albinov. Eleg. I. 41. *Quid tibi nunc mores prosunt, actumque pudice Omne aevum, et tanto tam placuisse viro? Quidque pudicitia tantum inviolata bonorum, Ultima sit laudes inter ut illa tuas?* Quae sic restituenda esse censeo: *actumque decore*, et: *Quidque pudicitiae fama inviolata, bonorum Ultima sit laudes inter ut illa tuas?*

Cui me moribundam deseris, hospes? Sulpitius Severus Histor. p. 537. *Cur nos pater deseris? Aut cui nos desolatos relinquis?*

Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat. Ovid. Heroid. VII. 167. *Si pudet uxoris, non nupta, sed hospita dicar.* Cicero Tusc. Quaest. II. 8. *O nate, vere hoc nomen usurpa patri.* Redditnm est ex Graeco Sophocl. in Trachin. 1064. ὦ παῖ, γενοῦ μοι παῖς ἐτήτυμος γεγώς. Unde dicerem scribendnm: *o nate, vere hoc nomen usurpem pater.*

Quid moror? Servins: » Utrum, quid *in hac terra moror*, an, quid *in vita moror?*" Claudianns VI. Cons. Honor. 315. ostendit, quomodo acceperit: *infensi comites, odere propinqui, Quid moror invisam lucem?* Potius tamen sequor alterum, *in hac terra.* Non possum in Africa manere, si tu abeas. Possem fortasse manere, si soboles mihi de te fuisset suscepta. Sic non omnino capta viderer. Nam captiva sine dubio fiam Iarbae. Oratio apta ad misericordiam Aeneae excitandam, eumque praeparandum ad audiendas preces, ut, si tamen discederet, Didonem secum duceret. *Quid moror?* Quid hic sto etiam, et maneo? Similis est locus Ovidii, sed corruptus, III. Amor. VI. 75. *Cur modo Vestalis taedas invitor ad ullas Turpis, et Iliacis inficianda focis? Quid moror? en digitis designor adultera vulgi. Desit famosis, qui notet ora pudor. Hactenus; et vestem tumidis praetendit ocellis: Atque ita se in rapidas perdita misit aquas.* Scribendum est: *Quid moror? an digitis dum signer adultera vulgi? Di, sit famosis, qui notet ora, pudor.* Illud *Di* saepe ab Ovidio interiicitur. Vide Heinsium ad Heroid. XVIII. 102. *Sit pudor*, ut III. Amor XI. 16. *Eveniat nostris hostibus ille pudor.*

Captam ducat Gaetulus Iarbas? Ovid. VII. Heroid. 125. *Quid dubitas vinctam Gaetulo tradere Iarbae?* III. Fast. 551. *Protinus invadunt Numidae sine vindice regnum, Et potitur capta Maurus Iarba domo.*

Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam suboles; si quis mihi parvulus aula
Luderet Aeneas, qui te tamen ore referret;
Non equidem omnino capta ac deserta viderer.
  Dixerat. Ille Iovis monitis immota tenebat
Lumina, et obnixus curam sub corde premebat.
Tandem pauca refert: Ego te, quae plurima fando
Enumerare vales, nunquam, Regina, negabo
Promeritam; nec me meminisse pigebit Elissae,
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.
Pro re pauca loquar. Neque ego hanc abscondere furto
Speravi, ne finge, fugam, nec coniugis unquam
Praetendi taedas, aut haec in foedera veni.
Me si fata meis paterentur ducere vitam

Parvulus aula Luderet Aeneas, qui te tamen ore referret. Minus recte quaedam MSS. *parvus in aula*, et *tantum* pro *tamen*. *Tantum* erat etiam in MS. Front. Maii pag. 542. Indicia imitationis sunt in Statio XII. Theb. 348. *parvoque torum Polynice fovebo*. Appul. Metam. V. p. 345. *Sic in hoc saltem parvulo cognoscam faciem tuam*. Auctor Carm. de Aetna 594. *Sub truce nunc parvi ludentes Colchide nati*. Paullin. Carm. 21. *Et nunc in aula parvulus ludit Dei*.

Tandem pauca refert. Quae Aeneas refert, non sunt adeo pauca. Aliud est, quando ipsa dicit *pauca loquar*. Habet illud excusationem, quod non longa oratione usurus esset ad factum defendendum, qualem orationem Dido requiri arbitrabatur. Neque eleganter Virgilius dicit de Aenea, *pauca refert*, Aeneas de se *pauca loquar*. Mallem DICTA pro PAVCA. *Tandem dicta refert. Dicta referre*, pro *respondere*, satis notum est.

Dum spiritus hos regit artus. Bene *regit*, non *reget*. Lucan. I. 363. *Dum movet haec calidus spirantia corpora sanguis*. Ibi non poterat in MSS. esse *movebit*.

Pro re pauca loquar. Multa ac magna tua de me sunt merita. Ea nunquam obliviscar. Sed ad rem ipsam veniamus, et ad consilium meum: illud paucis defendam. Seneca Herc. Furente 401. *pauca pro caussa loquar nostra*.

Me si fata meis paterentur ducere vitam Auspiciis. Seneca Oedip. 882. idem sic enuntiavit: *Fata si liceat mihi Fingere arbitrio meo.*

Auspiciis, et sponte mea componere curas:
Urbem Troianam primum dulcisque meorum
Reliquias colerem; *Priami tecta alta manerent*,
Et recidiva manu posuissem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo,
Italiam Lyciae iussere capessere sortes.
Hic amor, haec patria est. Si te Carthaginis arces,

Reliquias colerem; Priami tecta alta manerent. Non memorabo, quam diversae sint interpretum de sententia horum verborum opiniones. Sententia autem non esse potest alia, nisi haec: Incolerem locum, ubi Troia stetit, ubi sunt rudera et reliquiae aedium, quondam a civibus meis habitatarum; hunc igitur locum incolerem, et palatium Priami non esset vastatum, sed integrum staret. Prior pars se recte habet, altera cum priore non convenit. Optare poterat, *ut palatium Priami non esset vastatum*, efficere non poterat. Si reliquias Troiae incolere vellet, debebat et *urbem et palatium restituere;* sed hoc nemo ita expressit *palatium maneret.* Nam, ut dixi, *maneret* est *incolume staret.* Vide Virgil. Aeneid. II. 56. *Troiaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.* II. 455. *dum regna manebant.* Ovid. II. Art. 439. *Troia maneret, Praeceptis Priami si foret usa sui.* Metam. VIII. 114. *superata iacet* (patria). *Sed finge manere.* Virgilius iunxit *urbem Troianam et reliquias* pro *reliquias urbis Troianae:* addidit *meorum*, perspicuitatis caussa. Burmannus ad Valerii Flacci II. 395, *colerem* interpretatur *instaurarem.* Vix Latinum.

Et recidiva manu posuissem Pergama victis. Melior esset consecutio *colerem* et *ponerem.* Si mihi meo arbitrio vivere liceret, incolerem locum, ubi Troia stetit, Troiam restituerem, et ponerem nova Pergama. Virgilius bis alibi *Pergama* appellavit *recidiva.* Nec video, cur hic suos nominet *victos.* Troiani recte nominantur *victi* per invidiam, a Iunone et inimicis scilicet. Si se ipsi sic nominant, hoc accidit ad misericordiam movendam, ut: *Non ea vis animis, nec tanta superbia victis.* Virgilius potius scripsisset: *Et recidiva manu posuissem Pergama Teucris.*

Hic amor, haec patria est. Italia est meus amor, Italia est mea patria. Quamquam Latine dicatur *hic amor*, mallem tamen *haec amor, haec patria est.* Formam versus adumbrat Statius IX. Theb. 186. *Hic amor, hoc una timidi fortesque sequuntur, Nobilitare manus.* Ovidius Remed. 283. *Hic amor, hic pax est.* Posuit adverbialiter.

Phoenissam, Libycaeque adspectus detinet urbis:
Quae tandem, Ausonia Teucros considere terra,
Invidia est? Et nos fas extera quaerere regna.
Me patris Anchisae, quoties humentibus umbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt,
Admonet in somnis et turbida terret imago;
Me puer Ascanius, capitisque iniuria cari,
Quem regno Hesperiae fraudo et fatalibus arvis;
Nunc etiam interpres divom, Iove missus ab ipso,
(Testor utrumque caput) celeris mandata per auras
Detulit. Ipse deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.
Desine meque tuis incendere teque querelis;
Italiam non sponte sequor.
  Talia dicentem iamdudum aversa tuetur,

Quae tandem invidia est. Papinius Statius I. Theb. 279. *me Tantaleis consistere tectis Quae tandem invidia est?* Et Burmannum ista comparasse video.

Me puer Ascanius. Repetendum est verbum ex antecedentibus, *admonet*. Parum eleganter. Nam et verbum *admonet* non separari potest ab *in somnis*, et propius est verbum *terret*. Requiritur, puto, novum aliquod verbum, quale: *Me movet Ascanius.* Quid Virgilius scripserit, non facile est ad coniiciendum. Alterum, *admonet*, somniis fere proprium est. Egregie illustravit Heins ad Ovidii Metam. XIII. 216.

Incendere. Bene Servius: *exagitare.* Sallust. Cat. XXXVIII. utrumque verbum coniunxit. Adde Cort. ad Cicer. Epist. ad Div. I. IX.

Italiam non sponte sequor. In D'Orv. *quero.* Heynius putat, indocte ex interpretamento. Credo magis ex transpositione literarum ortum esse errorem.

Talia dicentem iamdudum aversa tuetur. Imitando secuti sunt Ovidius Metam. IX. 27. *Talia dicentem iamdudum lumine torvo Spectat.* Valer. Flaccus V. 520. *Talibus orantem vultu gravis ille minaci Iamdudum fremit, et furiis ignescit opertis.* Ubi scribendum: *Talibus orabat:* ex Virgilio Aen. IV. 437. Claudian. B. Gild. 518. *Talia grandaevum flammata fronte loquentem Obliquisque tuens oculis, non pertulit*

Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis, et sic accensa profatur:
Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.
Nam quid dissimulo? aut quae me ad maiora reservo?

ultra. Hinc dicitur *oculos obliquare*, de quo breviter Gronov. ad Senec. Oedip. 339. quod omnino idem est atque *aversa tuetur*. Prae indignatione Aenean adspicere non potest *rectis oculis*. Burmanno non displicebat *adversa*, quia alterum non satis convenit cum *totum pererrat*. *Adversa* habent multi Codices. Sed animus et ira Didonis etiam in eo conspicitur, quod, quamvis sit difficilius, tamen Aenean aversis oculis *oblique* totum pererrat. Euander Aeneid. VIII. 153. idem facit, sed magis rectis oculis, non iratus: *Dixerat Aeneas, ille os oculosque loquentis Iam dudum, et totum lustrabat lumine corpus*.

Luminibus tacitis. Scholiast. Lucani VIII. 171, et IX. 355. utitur hoc loco. Refert *tacitis* ad ipsam Didonem.

Aut quae me ad maiora reservo. Non sunt *maiora*, non *peiora*, ad quae me reservem. Sed nemo se ipse *reservat*, *servat*, ut sortem infeliciorem perpetiatur. Fata interdum hominem *reservant ad peiora*, ut Aeneid. XI. 159. *Felix morte tua, neque in hunc servata dolorem*. Ibi plura dicemus. Sententia igitur verborum, quibus nunc utitur Dido, haec est: »Si maiora et peiora essent, quae mihi accidere possent, me ad ea reservarem, neque Aenean nunc magis incenderem. Parcerem maledictis, ut graviorem olim iniuriam acciperem." Atqui hoc ineptum est. Ergo non silentio erat praetereundum, quod nonnulla MSS. habent *quid me ad maiora reservo?* Et Heinsius ex altero, ubi legebatur *quod*, fecit *quo*. Atque ita scribendum est: *quid me ad maiora reservo?* Inveni tamen aliud, elegantius ac gravius, quod esse verum minus dubitavi tunc, quum idem Schradero in mentem venisse vidi: *aut quae me ad meliora reservo?* Nihil dissimulabo. Non verebor Aenean iratis verbis exagitare. Nam *meliora* sperare non possum. Ad meliora igitur frustra me servarem. Ipse Virgil. Aeneid. I. 207. *Durate, et vosmet rebus servate secundis*. Et sic legisse videtur Orosius II. x. *Se ad meliora tempora reservent*. MAIORA et MELIORA non multum differunt. Nonnulli interpretes in *reservo* aliquid posuerunt, quod non est Latinum, sed barbarum, nempe *me contineo*.

Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit, aut miseratus amantem est?
Quae quibus anteferam? Iam iam nec maxima Iuno,
Nec Saturnius haec oculis pater adspicit aequis.
Nusquam tuta fides. Eiectum litore, egentem
Excepi, et regni demens in parte locavi;
Amissam classem, socios a morte reduxi.
Heu furiis incensa feror! Nunc augur Apollo,
Nunc Lyciae sortes, nunc et Iove missus ab ipso
Interpres divom fert horrida iussa per auras.

Num lumina flexit? Seneca Consol. ad Marciam 15. *Flente populo Romano, non flexit vultum.* In Cod. Mentel. *texit.* Si fuerit *tinxit*, quod Heynius suspicatur, hoc vulgato peius est.

Quae quibus anteferam? Cui rei *quam rem* anteferam? Qua re quid est indignius toleratu? Omnia sunt leviora, quam quod nunc non ingemuit, non lumina flexit, non lacrymas dedit, non miseratus est amantem. Huic crudelitati (*quibus*) quam (*quae*) crudelitatem anteponam?

Nec Saturnius haec oculis pater adspicit aequis. Valerius Flaccus IV. 1. *Atque ea non oculis Divum pater amplius aequis Sustinuit.* Ubi praestaret *adspicere aequis Sustinuit.*

Amissam classem, socios a morte reduxi. Servius: »subaudis, *renovavi.*" Heynius: »classem, quae iam *pro amissa* haberi posset, una cum Troianis ad loca luta reduci iussi." Wagnerus: »convenit perturbato Didonis animo, ut verbum *servavi* supprimat." Bryantius totum versum delebat, et Heynio videbatur languidior. Virgilium pro AMISSAM scripsisse coniicio A FLAMMIS. *A flammis classem, socios a morte reduxi.* Tyrii classem Aeneae voluerunt incendere. Aeneid. I. 525. *prohibe infandos a navibus ignis.* Socios voluerunt interficere. Aeneid. I. 541. *Bella cient, primaque vetant consistere terra.*

Furiis incensa. Reddendum Valerio Flacco IV. 9. *Iam quibus incertam bellis — quanta trepidam formidine cernam.* Lege *incensum*, id est *ardentem*, periclitantem.

Nunc Lyciae sortes. Servius in parte annotationis: »*quod lupus ei primus post interemptum Pythonem, ex eo loco, qui appellatur Tempe, aurum attulit.* Hemsterhusius in annot. MSS. vere corrigit *laurum.*

Fert horrida iussa per auras. Valerius Fl. III. 47. *Mygdoniae Pan iussa ferens saevissima matris.*

Scilicet is Superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat. Neque te teneo, neque dicta refello.
I, sequere Italiam ventis; pete regna per undas.
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis, et nomine Dido

Scilicet ie Superis labor est. Lucan. VI. 492. *Quis labor hic Superis, cantus herbasque eequendi Spernendique timor?* Ioseph. Iscan. B. Troi. III. 133. *haec scilicet angit Cura Deos, aevi tacitos vexare recessus, Et rerum librare vices.* Male Wakefield. *scilicet* refert ad antecedentia.

Spero equidem mediis, ei quid pia numina possunt. Duos versus valde corruptos arbitror, facile tamen restituendos. *Si quid numina possunt*, est, in tali re, formula inusitata. Dido non dubitabat an possent, sed optare debebat, ut iniurias Aeneae non negligerent. Ergo precibus erant movenda. Neque ipsa oratio hie satis concinna: spero te poenas daturum, si qua est deorum potentia.

Supplicia hausurum ecopulis. Novum quidem et inusitatum, *haurire* et *exhaurire supplicium*, non est. Statius Achill. I. 667. *iuvenemque premat, fortassis acerbas Hausurum poenas.* Silius VI. 286. *Heu quantis luimus mox tristia proelia damnis! Quantaque supplicia et quales exhausimus iras!* Sed *exhaurire* aliud est, et significat *ad finem usque* perferre, diu tolerare. Quod de Aenea dici non potest. Tum *haurire supplicia*, est magis, *contrahere* et *contracta ferre;* ut apud Statium, si Deidamia Achillem accusasset, Achilles ex illa accusatione poenas contraheret, ea accusatio ipsi caussa esset poenarum. Et sie alia fere exempla sese habent. Cicero I. Tuscul. 35. *Pompeius propagatione vitae quot quantas quam incredibilee hausit calamitatee?* Nec quisquam Latine scribet: Aeneas supplicium perfidiae in scopulis *hausit*, sed *dedit*, *solvit*, *luit*, *perpessus est.* Virgilius fortasse locum sie concepit: *Spero equidem, modo si quid apud pia numina possunt Supplicia, hausurum ecopulis. Si modo*, ut Aeneid. IV. 109. *Si modo, quod memoras, factum fortuna sequatur. Pia numina*, quae bonis et infelicibus favent: Aeneid. I. 603. *Si qua pios respectant numina.* Aeneid. II. 536. *Di, si qua est coelo pietas, quae talia curet. Supplicia* de *precibus* usurpari, vel ex Sallustio constat. *Si quid possunt* est Virgilianum. Aeneid. IX. 446. *Si quid mea carmina possunt.* Lucanus idem alio modo enuntiavit, V. 778. *quod si sunt vota, Deisque audior.*

Saepe vocaturum. Sequar atris ignibus absens;
Et, quum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus Umbra locis adero. Dabis, improbe, poenas;
Audiam, et haec Manis veniet mihi fama sub imos.
His medium dictis sermonem abrumpit, et auras
Aegra fugit, seque ex oculis avertit et aufert,

Sequar atris ignibus absens. Habet eximius hic locus eum alias difficultates, tum hanc imprimis, quod dicit: *absens* te sequar, *et quum mortua ero*, ubique tibi adero: dabis poenas; hoc audiam, et fama poenae tuae ad me in Orcum veniet. Haec inter se non conveniunt. Nam si Aeneae ubique umbra adesset, videre poterat poenam, neque opus erat fama cognoscere. Omnia sic esse ordinanda censeo: *Sequar atris ignibus, absens Omnibus umbra locis adero. Dabis improbe poenas. Et, quum frigida mors anima seduxerit artus, Audiam, et haec Manis veniet mihi fama sub imos.* Tamquam Furia, facibus armata, te sequar; imaginem deceptae a te Didonis ubique videbis; ea tibi semper ante oculos versabitur, teque vexabit. Omnibus locis, quamvis absens, tibi tamen adero, *ut umbra tua tuum corpus sequitur.* Et quum mortua ero, audiam poenas tuas, nam poenas dabis. Grandis et lucida sententia. Pulcbre *absens adero:* Aeneid. IV. 83. *illum absens absentem auditque videtque.* Terentius Eunuchi I. II. 112. *Cum milite isto praesens, absens ut sies. Umbra*, de assiduo comite, notum. Plautus Casin. I. I. 3. *certum est mihi, Quasi umbra, quoque ibis tu, te persequi.* Ovid. I. Trist. IX. 11. *Utque comes radios per solis euntibus umbra.* Atque huc simul referendum proverbium de male sibi consciis, qui *suam ipsi umbram timent: adero umbra*, pro *tamquam* umbra. Quominus *umbra* accipiamus de *umbra Didonis mortuae*, hoc etiam prohibet: umbrae eorum, qui interfecti sunt, interfectores vexant. Aeneas autem neque Didonem interfecerat, neque Dido nunc de se interficienda cogitat. Lactantius ad Statii Theb. V. 163. Virgiliana laudavit: sed nihil ad interpretationem proficimus.

Manis veniet mihi fama sub imos. Silius XI. 255. *mihi fama sub umbras Te feret oppressum Capuae cecidisse ruinis.* Ubi plura interpretes.

His medium dictis sermonem abrumpit. Valerius Flacc. II. 161. *sic fata, querelas Abscidit, et curis pavidam lacrymisque relinquit.*

Seque ex oculis avertit et aufert. Putabam aliquando nos alterutro verbo posse carere. Seneca tamen imitatione probavit, Consol. ad Marciam 23. *Eripit se aufertque ex oculis perfecta virtus.*

Linquens multa metu cunctantem, et multa parantem
Dicere. Suscipiunt famulae, collapsaque membra
Marmoreo referunt thalamo, stratisque reponunt.
At pius Aeneas, quamquam lenire dolentem
Solando cupit, et dictis avertere curas,
Multa gemens, magnoque animum labefactus amore;
Iussa tamen divom exsequitur, classemque revisit.
Tum vero Teucri incumbunt, et litore celsas
Deducunt toto navis. Natat uncta carina;
Frondentisque ferunt remos et robora silvis
Infabricata fugae studio.
Migrantis cernas, totaque ex urbe ruentis;
Ac velut ingentem formicae farris acervum
Quum populant, hiemis memores, tectoque reponunt;
It nigrum campis agmen, praedamque per herbas
Convectant calle angusto; pars grandia trudunt
Obnixae frumenta humeris; pars agmina cogunt,
Castigantque moras; opere omnis semita fervet.
Quis tibi tum, Dido, cernenti talia sensus!

Multa parantem dicere. Ovid. X. Metam. 72. *Orantem, frustraque iterum transire parantem Arcuit.*

Frondentisque ferunt remos. In multis Codd. *ramos.* Burm. ad Ovid. Amor. III. VIII. 43. dicit in *optimis* Codd. et *ramos* praefert. De optimis Codd. dubito. Et ego *ramos* praefero. Magis indicatur studium celeritatis, et melius convenit cum *roboribus*, quae pro *malis* essent, ut *rami* pro *remis.*

It nigrum campis agmen. Ambrosius Hexaem. VI. 4. totum locum adumbravit: *Nigro convectatur agmine praeda per campos, fervent semitae comitatu viantium, et, quae comprehendi angusto ore non possunt, humeris grandia frumenta truduntur.*

Quis tibi tum, Dido. Burmanno, quia animadverterat librarios centies *tunc* pro *nunc* dedisse, placebat *hunc.* Caussa non satis idonea. *Tum*, ex persona poetae dictum, accommodatius videtur. Secutus est Sedulius in Carmine Paschali: *Quis tibi tunc, lanio, cernenti talia sensus? Quosve dabas gemitus, cum vulnera fervere late Prospiceres arce ex summa, vastumque videres Misceri ante oculos tantis plangoribus aequor?*

Quosve dabas gemitus, quum litora fervere late
Prospiceres arce ex summa, totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus aequor!
Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis!
Ire iterum in lacrimas, iterum tentare precando
Cogitur, et supplex animos submittere amori,
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.
Anna, vides toto properari litore? Circum
Undique convenere; vocat iam carbasus auras,
Puppibus et laeti nautae imposuere coronas.
Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre, soror, potero. Miserae hoc tamen unum

Tantis clamoribus. In uno *vastis.* Si in aliquo esset *laetis*, arriperem. Et clamor nautarum in tali re *laetus* est, et pulchre opponeretur moestitiae Didonis.

Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat. Ne quid *inexpertum* relinquat, nec fortasse *frustra moriatur*, si non prius tentet, an Aeneas moveri possit ad manendum. Nam si moveretur, Dido *frustra* periret, *sine caussa*, *gratis*, *mortem perdidisset.* Illud *frustra* explicarunt Burmannus ad Aeneid. II. 348. et Schultingius ad Senecae Suasor. VI. Non igitur placet interpunctio: *Ne quid inexpertum (frustra!) moritura relinquat.* ut *frustra* poeta de suo interposuerit.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem. Stephanus vidit MS. in quo erat *spectare.* Idque Burm. T. I. Anthologiae Latin. pag. 721. non improbat. Sed *sperare* longe exquisitius, et confirmat Quintil. Instit. VIII. 2. » *contrarium* (proprietati) *est vitium id, quod apud nos improprium, ἄκυρον apud Graecos vocatur: quale est* — tantum sperare dolorem." Sententiam Heynius sic exposuit: » praevidere hunc Aeneae discessum poteram, itaque pectus firmabo ad ferendum." Puto contrarium: » non potui exspectare hunc dolorem, ergo non perferre potero. Si potuissem exspectare, me ad eum ferendum praeparare potuissem." Ita Valerius Flaccus I. 321. *Dividimur: nec ad hos animum componere casus Ante datum.* Omne, quod fit subitum et inexapectatum, nos vehementius percellit. Dido non potuit *sperare*, quia non merita erat. Et Aeneas Italiae iam erat oblitus. Itaque Mercurius, a Iove missus, eum fati sui admonere debuit.

Hoc tamen unum. Dolorem non perferre potero, sed succumbam. Hoc unum tamen tentabo.

Exsequere, Anna, mihi; solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus;
Sola viri mollis aditus et tempora noras.
I, soror, atque hostem supplex affare superbum:
Non ego cum Danais Troianam exscindere gentem
Aulide iuravi, classemve ad Pergama misi;
Nec patris Anchisae cinerem Manisve revelli:
Cur mea dicta negat duras demittere in auris?
Quo ruit? extremum hoc miserae det muuus amanti:
Exspectet facilemque fugam, ventosque ferentis.
Non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro,

Te colere. Dido vel sorori hanc notitiam Aeneae invidet. Varro scripsit, Aenean ab Anna fuisse amatum. Vide Servium ad Aeneid. V. 4. et IV. 682. Adde Ovidium Fast. III. 623.

Mollis aditus et tempora noras. Ovidius Metam. IX. 610. *Non adiit apte; non legit idonea, credo, Tempora: nec petiit horamque animumque vacantem.*

Hostem supplex affare superbum. Respicit responsum Aeneae: *Ego te, quae plurima fando* sq. Virgilius hoc dicit ex sensu Romano. Responderat *superbe*, tamquam rex. Illa voluerat responsum tamquam amantis. In eo vocabulo saepe non est notatio vitii aut sceleris, sed nimiae maiestatis, quod tamen in liberis civitatibus pro vitio habetur. Nepos Vita Pausaniae III. *Apparatu regio utebatur: aditum petentibus conveniendi non dabat: Superbe respondebat.* Conf. Gronov. ad Senecae Oedip. 804. Melius autem interpunges: *supplex affare superbum. Non ego* sq. Est enim oratio Didonis ad Annam, ut ostendat, se dignam esse, pro qua Aenean alloquatur. Anna uti poterat his argumentis, sed hoc Dido ipsius arbitrio relinquit. Poetae tamen imitatores ita acceperunt, quasi Dido dixisset: *haec refer Aeneae.*

Non ego cum Danais. Similis forma orationis apud Valerium Flaccum II. 601. *cinerique, precor, mea reddite dicta: Non ego* sq. Silius VI. 504. *Non ego Amyclaeum ductorem in proelia misi.*

Nec patris Anchisae cinerem Manisve revelli. Statius IX. 9. *non aliis ultum Cadmeia pubes Insurgunt stimulis, quam si turbata sepulcris Ossa patrum, monstrisque datae crudelibus urnae.* Ubi legendum videtur: *ventisque datae*, hoc est, cineres in ventum spargerentur.

Non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro. Ovid. Remed. 273. *Non ego, quod primo (memini) spe-*

Nec pulchro ut Latio careat, regnumque relinquat:
Tempus inane peto, requiem spatiumque furori,
Dum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam (miserere sororis);
Quam mihi quum dederis, cumulatam morte remittam.

rare solebam, Iam precor, ut coniux tu meus esse velis.

Tempus inane peto, requiem spatiumque furori. Varie olim interpretatum *inane tempus*. Vide Serviana. Optime, *quasi non magnam rem.* Talia sunt Ovidii Remed. 277. *Ne properes, oro. Spatium pro munere posco. Quid minus optari per mea vota potest?* Hoc est ipsum illud *inane tempus*, tempus exiguum, *rem inanem*, quam facile sine damno tuo tribuere potes. Idem Ovidius VII. Heroid. 178. *Pro spe coniugii tempora parva peto. Dum freta mitescunt et amor, dum tempore et usu Fortiter edisco tristia posse pati.* Ovidius utroque loco Virgilium secutus est. Statius Theb. X. 704. *Da spatium tenuemque moram.* Seneca Medea 293. *Parumne misera temporis lacrimis negas?* Theocrit. Eidyll. XXVII. 4. *κενὸν τὸ φίλαμα λέγουσιν.* Caeterae veterum interpretationes apud Servium non tanti sunt. In his, *tempus quo Aeneas vacuus et otiosus est.* Quamquam ita legatur apud Valerium Flaccum III. 650. *si finibus ullis Has tolerare moras et inania tempora possum.* Alii interpretabantur tempus *inane, sine officio matrimonii.* Dignum ingenio Grammatici non elegantis. Ita Schol. Lucani II. 342. accipiebat: *da tantum nomen inane Connubii*, pro *sine concubitu.* Quod in eo loco recte se habet.

Extremam hanc oro veniam. Nunquam duos hos versus a Virgilio factos credidi. Quae caussa esse poterat, cur adeo dubitaret, an soror hoc facere vellet necne? Si res cum praesenti vitae periculo esset coniuncta, ardentius petere non potuisset, quam nunc petiit, ut Aenean conveniret illa soror, cui Aeneas etiam sensus arcanos credere solebat. Et, quasi non sufficeret *oro extremam hanc veniam*, additur *miserere sororis!* Ut scilicet aliquid faceret, quod factu esset longe facillimum. Nec pulchre *oro*, et mox *orabat.* Praeterea iam supra dixerat: *extremum hoc miserae det munus amanti.*

Quam mihi quum dederis, cumulatam morte remittam. Haec nemo unquam intellexit, neque intelliget. Iam antiqui interpretes haerebant. Ferebatur varia scriptura *quam mihi cum dederis cumulatam:* et *quam mihi cum dederit cumulata.* Priorem, ut dicit Servius, Tucca et Varius probabant. Sed hoc est commentum vetustioris Grammatici, a quo Servius se decipi passus est, si ea

Talibus orabat, talisque miserrima fletus
Fertque refertque soror. Sed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit;
Fata obstant, placidasque viri deus obstruit auris.
Ac velut annoso validam quum robore quercum
Alpini Boreae nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant; it stridor et alte
Consternunt terram concusso stipite frondes;
Ipsa haeret scopulis, et, quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit:
Haud secus assiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, et magno persentit pectore curas;
Mens immota manet; lacrimae volvuntur inanes.

verba sint ipsius Servii. Nam Tucca et Varius, qui ediderunt Aeneidem, non addiderunt varias lectiones. Longum est memorare, quid Burmannus, Heynius et alii ad hunc locum explicandum composuerint. Wagnerus habet in desperatis. MSS. hic sunt turbata, quod suspicionem interpolati versus auget. Varietates hae sunt: *mihi tu dederis*, *cum dederit cumulata morte*, *cumulatim*, *remittam*, *relinquam*, *remissum*. Omitto etiam virorum doctorum coniecturas, quarum nulla ad aliquam veri similitudinem accedit. Ipse vix probabilem sententiam hinc elicio, etiam si liberum sit ipsa verba comminisci: »Ora Aenean hoc extremum. Si mihi id concesserit, tum me, certa morte liberatam, relinquat." Hoc saltem intelligeretur. Sed quis verba, ut nunc leguntur, ad eam sententiam conformabit?

Fertque refertque soror. Fert et iterum fert. Ovid. Trist. I. VII. 6. *In digito qui me fersque refersque tuo*, id est: effigiem meam in anulo tecum et semper ubique circumfers. Bene Servius, quamquam a Burmanno reprehensus. Alteram versus partem ante oculos habuit Hegesippus de Excidio Hieros. V. 32. *Complevit sermonem Iosephus, sed nullis Ioannes fletibus movetur.*

Fata obstant, placidasque viri deus obstruit auris. Post hunc versum in Codice Gothano insertus est: *Ne sint ammotae neque sistant gaudia mente.* Pro *viri* Wakefieldus recte legebat *viro*.

Lacrimae volvuntur inanes. Didoni non profecturae. Schol. ad Iuvenalis Satyr. XIII. 133. accepisse videtur pro lacrimis *falsis*, utens hoc loco ad explicandum *humorem coctum*.

Tum vero infelix fatis exterrita Dido
Mortem orat; taedet coeli convexa tueri.
Quo magis inceptum peragat, lucemque relinquat,
Vidit, turicremis quum dona imponeret aris,
(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros,
Fusaque in obscenum se vertere vina cruorem.
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.
Praeterea fuit in tectis de marmore templum
Coniugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis et festa fronde revinctum:
Hinc exaudiri voces et verba vocantis
Visa viri, nox quum terras obscura teneret;
Solaque culminibus ferali carmine bubo
Saepe queri, et longas in fletum ducere voces.
Multaque praeterea vatum praedicta piorum
Terribili monitu horrificant. Agit ipse furentem
In somnis ferus Aeneas; semperque relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam, et Tyrios deserta quaerere terra.
Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,

Mortem orat. Quos oraret, nisi deos? Et cur *oraret*, quod sibi ipsa dare poterat, et dare decreverat? Scribendum potius *mortem optat.* Et Dido nunc est paullo sedatior. Deliberat. Explicandus inde Horatius Serm. II. III. 281. *Libertinus erat — qui unum me surpite morti, Dis etenim facile est, orabat.* Horatius eum fuisse insanum dicit. Poterat enim ipse facere, quod orabat.

Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori. Pulchre dictum. Sed unde Virgilius novit?

Agit ipse furentem. Valerius Flaccus VII. 142. *Saevior ipse Turbat agitque sopor.* Conf. interpretes ad Ovid. Art. II. 496.

Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus. Sic Dido in somnis agitur ab Aenea. *Agmen* dicitur de tribus. Statius IV. Silv. VIII. 44, *quem non hoc agmine vincas?* (trium insontium) Seneca Herc. Furente 101. *agmen horrendum anguibus Megaera ducat.* Idem Medea 958. vocat *turbam Furiarum.* Vide Gronovium ad Thyest. 523. *Agmina*

Et solem geminum, et duplicis se ostendere Thebas;
Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes,

etiam Latinum est. Sic certe Virgilium secutus est Valerius Flacc. VII. 147. *Turbidus ut Poenis caecisque pavoribus ensem Corripit, et saevae ferit agmina matris Orestes.* Et II. 227. *Tantum oculos pressere metu: velut agmina cernant Eumenidum.* Quamquam ibi cernere potuerint ingentem Furiarum numerum, tot Furias, quot mulieres Lemniacas cernebant.

Et solem geminum, et duplicis se ostendere Thebas. Seneca Agam. 728. *Sed ecce gemino sole praefulget dies; Geminumque duplices Argos attollit domos.* Valerius Flacc. eleganter de ebriis, III. 65. *Qualis in Alciden et Thesea Rhoetus iniqui Nube meri, geminam Pholoen, maioraque cernens Astra ruit.*

Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes. Eruditi homines haec patienter tulerunt, imo admirati sunt, donec Marklandus in Epist. Crit. pag. 123. emendavit *Poenis agitatus*, eamque emendationem in Annotat. ad Statii Silv. III. iii. 16. confirmavit. Multi ingeniosum inventum laudarunt. Burmannus sibi non constitit: ad Anthol. Latin. T. I. pag. 170. praeferendum dicit *scenis*, singulari usus argumento, quia nempe sequitur: *ubi concepit furias evicta dolore.* Repudiandum quidem propterea *furiis agitatus*, sed nihil facit ad repudiandum *Poenis*. Idem Burmannus ad Propert. IV. viii. 1. legendum dicit *Poenis* non *Scenis*, et eam *Poenarum*, quae Graece Ποιναὶ Ἀλάστορες et Ἐριννύες appellantur, significationem illustrat; quibus addi possunt ea, quae annotarunt interpretes ad Silii II. 551, et XIII. 604. Heynius lectionem Marklandi amplecteretur, si declaratum videret *scenis agitatus* habere aliquid quod poeta indignum sit. Iungit: *velut Orestes in scenis furit, quum fugit agitatus.* Neque *scenae* mentio Wagnerum offendit, quia in condenda Carthagine *theatrum* iam memoratum est. Iungit autem *scenis agitatus*, et explicat *saepe in scena agitatus.* De sensu pulchri, difficile est disputatu. Habet suum quisque. Ut meum alteri non obtrudam, ita nec meum mihi ab altero eripi patiar. Ego totam *scenam* Virgilio, et quovis non pessimo poeta, in tali causa indignam arbitror. Virgilius ostendere voluit magnum Didonis furorem. Hunc furorem exemplo illustrat. Exemplum Orestis sumit. Recte. Nam illius furor, ut ex miserrimo scelere ortus, tristitia ac vehementia aliorum fere omnium furores superavit. Hunc furorem intelligimus, horremus, et incredibili misericordia commovemur. Ea nimirum est vis naturae ac veritatis. Ecce autem subito tantum *calorem ingens frigus* excipit. Poeta a naturae veritate ad artem, a vita ipsa, ad sce-

Armatam facibus matrem et serpentibus atris

nam delabitur, et hoc dicit: *Didonis furentis talis est imago, qualis Orestae in scena;* talis est Dido, qualis Orestes in scena ostenditur. Poeta paullo ineptior fortasse addidisset nomen histrionis, qui Orestem agere solebat. Nam, si *scenae* mentio fit, multum interest, quis partes Orestis habeat. Mali artifices v. c. personam Orestis pessime tuerentur, ita ut Tragoedia magis referret Comoediam. Itaque Dido non erat similis *cuivis Oresti* in scena, sed Oresti, quem Athenis Polus, vel Romae Roscius imitabatur. Quomodocumque illud de *scena* explices, cogitatio *rei fictae* semper manet. Oratores et alii saepe utuntur imagine *scenae* in caussa Orestis et Furiarum, sed ut vel aliquid *doceant*, vel *rideant*, vel ea ratione, quae a maiestate loci Virgiliani maxime abhorret. Aristoph. Pluto 422. *Ἴσως Ἐριννύς ἐστιν ἐκ τραγῳδίας. Βλέπει γέ τοι μανικόν τε καὶ τραγῳδικόν.* Propert. II. xvi. 29. *Tunc me vel Tragicae vexetis Erinnyes.* Ut de *comoedia* Plautus Mostell. V. ii. 30. *Optimas frustrationes dederis in Comoediis.* Hinc *senes comici* apud Ciceronem, et Telephus *Tragicus* apud Horatium ad Pisones, 96. Cicero in Pison. 20. *Ego te non tragico illo Oreste aut Athamante dementiorem putem.* Fare ut Iuvenal. Satyr. XII. 23. *poetica tempestas.* Iuncus apud Stobaeum § 116. pag. 595. Voluptates et malitiae *μονονουχὶ μάστιξι καὶ κέντροις, ὥσπερ ἐπὶ σκηνῆς αἱ τῶν τραγῳδῶν Εὐμενίδες, τὸν νέον ἐλαύνουσιν.* Nobilissimus omnium est locus Aeschinis contra, Timarch. § 194. *Μὴ γὰρ οἴεσθε, τοὺς ἠσεβηκότας, καθάπερ ἐν ταῖς τραγῳδίαις, Ποινὰς ἐλαύνειν καὶ κολάζειν δᾳσὶν ἡμμέναις:* quem imitatus est Cicero et in Orat. pro Roscio Amer. 24. et in Leg. I. 14. *ut eos agitent insectenturque Furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae.* Denique Quintil. Instit. II. 10. *Nam magos et pestilentiam et responsa et saeviores tragicis novercas, aliaque magis adhuc fabulosa, frustra inter sponsiones et interdicta quaeremus.* Haec exempla, quae partim interpretes ad varios scriptores laudarunt, partim ipse inveni, non huiusmodi sunt, ut vulgatam in Virgilio lectionem commendent, sed magis non esse tolerandam demonstrent. Nec quisquam, puto, Romanus, aetate Augusta, *scenis agitatus Orestes* aliter accepisset, nisi Orestes, *cuius furor est nobile ac frequens Tragoediarum argumentum.* Ita Claudian. I. in Eutrop. 292. *Thebas ac funera Troiae Tristis Erechthei deplorat scena theatri.* Iulius Firm. de Error. Prof. Relig. pag. 15. *Qui qualia fecerit scelera, in scenis quotidie a tragici carminis auctoribus traditur.* Et sic accepit Mythographus a Maio

Quum fugit, ultricesque sedent in limine Dirae.

editus T. III. Auct. Class. pag. 53. *Hic namque Orestes, quia optimus tragoedus fuit in scenis celebratus.* Ubi fortasse legendum *tragoediis*. *Orestes scenis agitatus* etiam significare potest, quem poetae in scenis *traduxerunt*, *riserunt*, prosciderunt. Ausonius Epigr. 70. *Herculis haeredi quam* (libidinem) *Lemnia suasit egestas, Quam toga facundi scenis agitavit Afrani.* Manifesta imitatio, quae ostendit, quo verba detorqueri possint. Marklandus in Epist. Critica h. l. Ausonii non praetermisit, et alia addidit argumenta, cur *scenis* corruptum indicaret: Virgilium non recte a vera re ad fictam subito transire; si de Oreste scenam adhibuerit, adhibere etiam debuisse de Pentheo, cum utriusque causa par esset; *agitatus* esse *turbatus*, sed non semper *furore*, et *agitatus* non poni nisi cum adiectivo caussae. Burman. ad Ovidii Trist. II. 395. scribit: nemo magis, ut Virgilius dicit, *agitatus fuit*, quam Orestes. Burmannus ibi non cogitabat de Virgilio illustrando, sed verbis eam tribuit sententiam, quam quivis tribueret. Et sic interpretatur Servius: *famosus, celebratus tragoediis.* Et erat hoc argumentum vere celebratissimum non modo Graecis, sed etiam Romanis, Ennio, Naevio, Pacuvio, fortasse et Attio. Vid. Burmannus l. l. Neque hoc praetereundum. Omnes hi versus de Oreste sunt nobilissimi, et poetae imitatores certatim in iis exprimendis elaboraverunt. *Scenam* apud neminem invenies. Quae quum ita sint, Virgilium *scenis agitatus* non scripsisse indico. Marklandi *Poenis agitatus*, propterea non verum arbitror, quia statim sequitur: *ultricesque sedent in limine Dirae.* Nam *Poenae* et *Dirae* sunt eaedem. Pro SCENIS AGITATVS conieci SCELERE EXAGITATVS. Virgil. III. Aeneid. 331. *scelerum furiis agitatus Orestes.* Cicero Verr. I. XI. *quorum scelerum poenis agitatur.* Pro Roscio Amer. 24. *suum quemque scelus agitat.* Livius XXI. 41. *Hannibalem nisi Saguntinum scelus agitaret.* Sed etiam *exagitatus* in hac re usitatum est. Horat. Satyr. II. VI. 54. *at omnes di exagitent me.* Schol. Cruq. »Exagitatur a diis, qui ob scelus perpetratum furore concutitur." Iuvenal. Satyr. VI. 29. *Dic qua Tisiphone, quibus exagitare colubris.* Sueton. Nerone 34. *Nero saepe confessus exagitari se materna specie, verberibusque Furiarum ac taedis ardentibus.* Silius II. 290. *Exagitant manes iuvenem Furiaeque paternae.*

Quum fugit, ultricesque sedent in limine Dirae. Statius Theb. XII. 509. *Oedipodae Furias et funus Olynthi Texit, et a misero matrem summovit Oreste.* Ubi Scholiasta: »Quia Orestes, eum post absolutionem fureret, ad hanc aram,

Ergo, ubi concepit furias, evicta dolore,
Decrevitque mori, tempus secum ipsa modumque
Exigit, et, moestam dictis aggressa sororem,
Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat:
Inveni, germana, viam, (gratare sorori)
Quae mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem.
Oceani finem iuxta solemque cadentem
Ultimus Aethiopum locus est, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum:
Hinc mihi Massylae gentis monstrata sacerdos,

Pylade amico traheute, confugit, et resipuit, matrem autem summovit Virgiliane. Nam sibi imminere non Furia sed mater videbatur occisa, ut: *armatam facibus matrem et serpentibus atris confugit, ultricesque sedent in limine Dirae.* »Quae sic scribeuda sunt: *matrem* autem *summovit*, Virgiliane, ut *armatam* sq. *Num sibi* sq. Illud *confugit* pro *cum fugit* erat etiam in duobus MSS. *Diras* autem *sedent in limine*. Quu *limine?* Servius docuit ex Pacuvio, Orestem propter vitandas Furias Apollinis templum fuisse ingressum. Unde cum vellet exire, a Furiis invadi. Si uun excidit versus, quo indicatum fuit templum Apollinis, Virgilius obscure scripsit. Valerius Flaccus locum bis ante oculos babuit, V. 446. *Ultrices spectant u culmine Dirae.* II. 235. *diras aliae ad fastigia taedas Iniiciunt, adduntque domos: pars ignibus utris Effugiunt propere: sed dira in limine coniux Obsidet.* Ovidius eandem fere rem in Athamante magis perspicue exposuit, IV. Metam. 487. *monstris exterrita coniux, Territus est Athamas: tectoque exire parabant: Obstitit infelix, aditumque obsedit Erinnys.*

Inveni, germana, viam. Valer. Flaccus III. 396. *nostra requiret cura viam. Memori iam pridem cognita vati Est procul, ad Stygiae devexa silentia noctis, Cimmerium domus,* ut *Superis incognita.* Locum melius interpunxi, et emendavi *ut* pro *et;* opposita sunt *cognita vati*, *ut Superis incognita.* Statius Theb. V. 109. *Inveni, promitto, viam — qua renovanda Venus.*

Hinc mihi Massylae gentis monstrata sacerdos. Monstrata, nun ipsa quaesivit. Nam invita ad has artes descendit. Emendandus hic est Silius VIII. 99. *Ad magicas etiam fallax atque improba gentis Massylae levitas descendere compulit artes.* Lege: *Massylae vates. Vates*, quae hic *sacerdos.*

Hesperidum templi custos, epulasque draconi
Quae dabat, et sacros servabat in arbore ramos,
Spargens humida mella soporiferumque papaver.
Haec se carminibus promittit solvere mentis,
Quas velit; ast aliis duras immittere curas;
Sistere aquam fluviis; et vertere sidera retro;
Nocturnosque movet Manis; mugire videbis
Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.
Testor, cara, deos, et te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artis.
Tu secreta pyram tecto interiore sub auras
Erige, et arma viri, thalamo quae fixa reliquit
Impius, exuviasque omnis, lectumque iugalem,

Hesperidum templi custos, epulasque draconi Quas dabat. Illud *que* post *epulas* tolerari non potest. Wagnerus accipit, quasi scriptum esset *quae custos erat et dabat.* Ita scriptum oportebat, si *epulasque* recte se haberet. Fortasse Virgilius reliquit: *Hinc mihi Massylae gentis monstrata sacerdos Hesperidum templi, succos epulasque draconi Quae dabat.* Animadverte quam non dissimilia sint SVCCOS et CVSTOS. Sacerdos templi Hesperidum, gentis Massylae, pro *ex gente Massyla.* Mox *succos* poeta explicat *humida mella* ut *epulas* vocat *soporiferum papaver.* Ovidius VII. Metam. 149. *Pervigilem superest herbis sopire draconem. Hunc postquam sparsit Lethei gramine succi.*

Et sacros servabat in arbore ramos. Silius IV. 636. *Quid domus Hesperidum, aut luci favere Dearum, Fulvos aurifera servantes arbore ramos.*

Spargens humida mella soporiferumque papaver. Imitatur Valer. Flaccus I. 60. *tantoque silet possessa dracone Vellera, multifidas regis quem filia linguas Vibrantem, ex adytis cantu dapibusque vocabat, Et dabat hesterno liventia mella veneno.* Medea ferum draconem cantu et veneno mulcebat, quasi magis tractabilem faciebat, ut ali posset ac vellet. *Hesternum* venenum, quod maximam vim amiserat, ut draco, inebriatus furorem remitteret, non occideretur. Sic Massyla sacerdos suo draconi dedit *soporiferum* papaver, non quo dormiret, sed torperet. Atque ita fere accepit Turnebus. Schraderus versum eiicere volebat.

Quo perii, superimponant. Abolere nefandi
Cuncta viri monumenta iuvat monstratque sacerdos.
Haec effata silet; pallor simul occupat ora.
Non tamen Anna novis praetexere funera sacris
Germanam credit, nec tantos mente furores
Concipit, aut graviora timet, quam morte Sychaei.
Ergo iussa parat.

At regina, pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti taedis atque ilice secta,
Intenditque locum sertis, et fronde coronat
Funerea; super, exuvias, ensemque relictum,
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.
Stant arae circum, et crinis effusa sacerdos
Ter centum tonat ore deos, Erebumque, Chaosque,

Cuncta viri monumenta iuvat monstratque sacerdos. Alii *iubet.* Recte Wagnerus alterum praetulit. *Iubet* et *monstrat* hoc loco tam parum differunt, ut sit pene tantologum. Melius, *et me ipsam iuvat*, et praecipit sacerdos. *Monstrare* est medicorum. Horat. Epist. II. ii. 149. *Si vulnus tibi monstrata radice vel herba Non fieret levius.*

Nec tantos mente furores concipit. Neu opus est emendatione *concipere.* Ovidius X. Metam. 403. *nec nutrix etiamnum concipit ullum Mente nefas.*

Graviora timet quam morte Sychaei. Recte Servius: »Graviora timet posse contingere, quam quae morte Sychaei vel fecit vel passa est Dido." Viri docti centies hanc dicendi formulam illustravere. Proxime accedit Horat. II. Carm. xiv. 26. *mero Tinguet pavimentum superbo Pontificum potiore coenis.*

Ter centum tonat ore deos. Dubitant interpretes iungendumne *ter centum*, an *ter tonat.* Silius quidem I. 91. *ordine centum Stant arae coelique deis Ereboque potenti. Hic, crine effuso, atque Hennaeae numina Divae, Atque Acheronta vocat Stygia cum veste sacerdos.* Iunxit igitur *ter tonat centum.* Et plurima in huiusmodi sacris *ter* fieri solebant. Non tamen omnes dei vocabantur, sed inferi. Virgilius ambiguum vitare potuisset, scribendo: *Ter Noctis tonat ore deos.* Ut Ovidius XIV. Metam. 404. *Et Noctem, Noctisque deos Ereboque Chaoque convocat.* Idem VII. Metam. 182. sq. ubi Medea *Egreditur tectis, vestes induta re-*

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.
Sparserat et latices simulatos fontis Averni;
Falcibus et messae ad Lunam quaeruntur aenis
Pubentes herbae, nigri cum lacte veneni;
Quaeritur et nascentis equi de fronte revolsus
Et matri praereptus amor.
Ipsa mola manibusque piis altaria iuxta,
Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta,
Testatur moritura deos, et conscia fati
Sidera; tum, si quod non aequo foedere amantis
Curae numen habet iustumque memorque, precatur.
Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem

cinctae Nuda pedem. Ter se convertit: ter sumtis flumine crinem Irroravit aquis: ternis ululatibus ora solvit. Tuque triceps Hecate — Dique omnes Noctis adeste.

Unum exuta pedem vinclis. Mos erat in multis sacris vincula pedibus demere. Vide interpretes ad Ovidii Fast. V. 431. *Ille memor veteris ritus, timidusque deorum, Surgit: habent gemini vincula nulla pedes.* Adde Delrionem ad Senecae Medeam 752. De *uno* pede exuto, nulla apud scriptores est mentio, nisi Artemidorum. Quod sane mirum, quum poetae toties magica ista describant, et Virgilium ante oculos habuerint. Quare aliquando legendum putavi *Nudum exuta pedem vinclis.* Idque confirmari quodammodo potest ex Ambrosio de Isaaco et Anima 4. *Exi quasi exuta vinculis pedem, et nudo exserta vestigio.* Sed retinent nos monumenta veterum, in quibus imagines *unum exutae pedem* conspiciuntur. Vide Heynium. Ovidii quidem in Ibin 347. de Lycurgo dictum, *In gemino dispar cui pede cultus erat*, huc non pertinet.

Nox erat. Hunc locum, puto, respexit Cestius Smyrnaeus, Rhetor, apud Senecam Controv. III. 17. »*Soleo dicere vobis Cestium Latinorum verborum inopia, hominem Graecum, laborasse, sensibus abundasse: utique, cum se ad imitationem magni alicuius ingenii duxerat. Nam in narratione, cum fratrem traditum sibi describeret, placuit sibi in hac explicatione una et infelici:* Nox erat concubia, et omnia, Indicea, canentia sideribus muta erant. *Montanus Iulius, qui comis fuit, quique egregius poeta, aiebat illum imitari voluisse Virgilii descriptionem.* Nox erat, et terras animalia fessa per omnes Alituum pecudumque genus sopor altus habebat.''

Corpora per terras, silvaeque et saeva quierant
Aequora, quum medio volvuntur sidera lapsu,
Quum tacet omnis ager, pecudes, pictaeque volucres,
Quaeque lacus late liquidos, quaeque aspera dumis
Rura tenent, somno positae sub nocte silenti:
Lenibant curas, et corda oblita laborum.
At non infelix animi Phoenissa, neque unquam
Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
Accipit: ingeminant curae; rursusque resurgens
Saevit amor, magnoque irarum fluctuat aestu.
Sic adeo insistit, secumque ita corde volutat:
En, quid ago? rursusne procos irrisa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex,

Cestius, puto, hunc locum Virgilii conatus est imitari, non ex Aeneid. VIII. 26. idque puto etiam propter mentionem *siderum*. Schultingius emendat *canentia sub sideribus*. Verum credo, *canentia cum sideribus muta erant*. Voluit Graeculus *omnes aves et sidera* fuisse muta. Noctis autem descriptio est unus e locis poetarum communibus. Graeci praeivere Romanis. Nonnulla indicavit Ruhnkenius Epist. Crit. II. pag. 218. Alia alii. Ego huiusmodi comparationibus abstineo, nisi faciant ad scripturam vocabuli aliquam vel confirmandam vel mutandam.

Lenibant curas, et corda oblita laborum. Versus deest in Med. aliisque optimis MSS. neque Servius eum vidit. *Curae* non recte tribuuntur bestiis *Lenibant* male subiicitur praesenti *tacet*. Merito reiecerunt Heynius et Wagnerus. Conflatus esse videtur ex Aeneid. IX. 224. *Caetera per terras omnes animalia somno Laxabant curas et corda oblita laborum.*

At non infelix animi Phoenissa. Verbum ex antecedentibus facile assumitur; *corpora carpunt soporem*. Silvae quiescunt, ager tacet, aves positae somno, omnia adeo ubique quiescunt. Infelix Dido non *quiescit*.

Rursusne procos irrisa priores Experiar? Wunderl. et Iahnius *irrisa* pro *ab Aenea irrisa* acceperunt. Iungenda esse videntur *rursus irrisa*, ego, quae olim procos irrisi, dedignata sum. Locum cogitabat Seneca Medea 218. *petebant tunc meos thalamos proci Qui nunc petuntur.* Atque hoc femina honesta indignum. Sallust. B. Catil. 25. *Libido sic accensa, ut saepius viros peteret, quam peteretur.*

Quos ego sim toties iam dedignata maritos?
Iliacas igitur classis atque ultima Teucrum
Iussa sequar? quiaue auxilio iuvat ante levatos,
Aut bene apud memores veteris stat gratia facti?
Quis me autem, fac velle, sinet? ratibusve superbis

Quos ego sim toties iam dedignata maritos? Vim oratoriam mire augebis, et exquisitam Latinitatem poetae reddes, si scribas: *Experiar, Nomadumque petam connubia supplex? Quosne ego sum toties iam dedignata maritos?* Petamne Nomadum connubia? Non iuvabit. Nam eos iam toties dedignata sum. Eadem forma est in sequentibus: An igitur sequar ultima Teucrorum iussa? Neque hoc iuvabit. Nam sunt ingrati. Apponam exempla, e quibus elegantia istius sermonis sentiatur. Catull. Epithal. Pelei, 180. *An patris auxilium sperem? Quemne ipsa reliqui, Respersum iuvenem fraterna caede secuta? Coniugis an fido consoler memet amore? Quine fugit, lentos incurvans gurgite remos?* Sallust. B. Iug. 14. *Nunc vero exsul — quo accedam, quos appellem? Nationesne an reges, qui omnes familiae nostrae ob vestram amicitiam infesti sunt.* Ubi scribendum: *Nationesne an reges? Quine omnes familiae — infesti sunt?* Haud valde dissimile est illud C. Gracchi, laudatum a Cicerone de Oratore III. 56. *Quo me miser conferam, quo vertam? In Capitolium? At fratris sanguine redundat. An domum? Matremne ut miseram, lamentantemque et abiectam videam?* Conf. Columna ad Ennium pag. 206 sq. Ovidius VIII. Metam. 110. et alia Virgilii imitatur, et hoc: *nam quo deserta revertar? In patriam? Superata iacet.* Propius accedit Seneca Medea 454. *Quae maria monstras? Pontici fauces freti? Per quas revexi nobiles regum manus, Adulterum secuta per Symplegades?* In Virgilio scripsi *sum*, quod erat in Palatino MS. Pleraque omnia *sim:* quod vix admitti potest, etiam si vulgatum serves.

Ultima Teucrum iussa sequar? Recte Heynius laudat interpretationem Pomponii Sabini: »Si naviget cum Troianis, sit futura serva." Ea interpretatio confirmatur similibus in simili casu dictis. Catull. Epithal. Pelei, 160. *Attamen in vestras potuisti ducere sedes, Quae tibi iucundo famularer serva labore.* Ovid. VII. Heroid. 167. *Si pudet uxoris, non nupta, sed hospita dicar. Dum tua sit Dido, quidlibet esse feret.*

Quiane auxilio iuvat ante levatos. Statius X. Theb. 592. *Quiane ante duci bene credita nostra Consilia?*

Quis me autem, fac velle, sinet? Nonnulla MSS. *sinat.* Rectius *sinet.*

Invisam accipiet? nescis, heu perdita, necdum
Laomedonteae sentis periuria gentis?
Quid tum? sola fuga nautas comitabor ovantis?
An Tyriis omnique manu stipata meorum
Inferar? et, quos Sidonia vix urbe revelli,
Rursus agam pelago, et ventis dare vela iubebo?
Quin morere, ut merita es; ferroque averte dolorem.
Tu, lacrimis evicta meis, tu prima furentem
His, germana, malis oneras, atque obiicis hosti.
Non licuit thalami expertem sine crimine vitam

Statius XI. Theb. 690. *Finge autem tentare. Sines?*

Non licuit thalami expertem sine crimine vitam Degere, more ferae. Locus difficillimus, cuius tamen habemus antiquissimum interpretem Quintil. Inst. Orat. IX. 2. *Est Emphasis, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur, ut apud Virgilium:* non licuit — more ferae. *Quamquam enim de matrimonio queritur Dido, tamen huc erupit eius affectus, ut sine thalamis vitam non hominum putet, sed ferarum.* Quintilianum, quamvis non nominet, legerat Scaliger de Re poetica III. 79. *quamquam coniugii poenitebat Didonem, tamen ut aliquo modo contexeret excusationem cum accusatione, sic locuta est. Quid enim aptius ad excusandum, quam ostendere vitam illam, quam optabat, esse ferarum ac brutorum vitam, hanc autem hominum, ac propterea non damnandam?* Hinc igitur rediret haec sententia: utinam abstinuissem matrimonio, quamquam talis vita est vitae ferarum similis; nam ferae abstinent matrimonio. Sententia neque ipsa vera, neque huic loco accommodata. Servius putavit Virgilium respexisse lyncas. Nam citat verba Plinii in Hist. Naturali: »Lyncas post amissos coniuges aliis non iungi." Et sunt muta animalia, ut scribit Ambrosius de Abrahamo I. 2. *quae nullis tenentur legibus, sunt tamen aliqua, quae non solum paribus suis copulae servent fidem, verum etiam coitus unius castitatem custodiant.* Sed Virgilius, si rem exemplo voluisset illustrare, *lyncem* nominasset. Quis enim nunc de *lynce* cogitat? Ea tamen lyncis mentio esset etiam magis ridicula, quam cogitatio. Unicum fere exemplum, quo honeste et eleganter uti potuisset, erat *turtur.* Heynius, postquam lectionem *fere*, in multis MSS. inventam, et coniecturas *more meo* et *more fero* repudiavit, interpretatur: *ferino more seclusam a iucunda societatis coniunctione, solam, et hominum, adeo-*

Degere, more ferae, talis nec tangere curas!

que et virorum commercia fugientem, vivere. »Nihil amplius, addit, in sententiam est assumendum, quam abhorrens ab humaniore cum aliis consuetudine ac consortio natura." Sed primum, non iste mos est omnium ferarum, ut vivant solae ac separatae. Cum *pare quaeque suo*, quod est apud Ovidium, *coeunt volucresque feraeque:* et multae inter se habent commercia ac consortia. Et Dido versari poterat in oculis et luce hominum, in societate virorum principum, et altero matrimonio tamen abstinere, castitatem certe servare poterat. Nec verba, ut nunc leguntur, interpretationem Heynianam admittunt. Significant enim: Non licuit mihi vivere *more ferae*, quae vivit sine connubio et crimine; hoc est, fera neque ferae iterum nubit neque impudica est. Aliud est, cur illud *more ferae* nunquam Virgilii putaverim. Nominato semel *thalamo*, Virgilius comparationem *ferae* diligenter vitasset, quia Didonem, nisi Messalinam libidine superasset, dedeceret. Scriptores in causa matrimonii *feras* non nominant, nisi turpissimam consuetudinem, ab omni humanitate longe remotam, significare velint. Sunt isti *vagi concubitus*, ut Horatius appellat. Lucretius V. 930. *Volgivago vitam tractabant more ferarum* — — *Et Venus in silvis iungebat corpora amantum.* Horat. Serm. I. III. 109. *Quos Venerem incertam rapientes more ferarum.* Livius III. 48. *Placet pecudum ferarumque ritu promiscue in concubitus ruere?* Ovid. Metam. VII. 386. *in quo cum matre Menephron Concubiturus erat saevarum more ferarum.* Lucan. VIII. 397. *num barbara vobis Est ignota Venus, quae ritu coeca ferarum Polluit innumeris leges et foedera taedae Coniugibus, thalamique patent secreta nefandi Inter mille nurus?* Seneca Herc. Furent. 478. *Pecorumque ritu virginum oppressi greges.* Claudian. Rapt. Pros. III. 42. *pecudum si more pererrant Avia — Haeccine vita iuvat silvestribus abdita lustris, Indiscreta feris?* Ad eam igitur normam dixisset regina Dido: Cur mihi non licuit vivere more ferae, sine matrimonio, et cum quolibet concumbere? Atque ita fere accipiendum putabat Is. Vossius in annotatione MS. ad h. l. Locus, inquam, difficillimus, quem expedire non scio, nisi pro MORE FERAE scribamus VAE MISERAE. *Non licuit thalami expertem sine crimine vitam Degere, vae miserae! tales nec tangere curas.* Est illa interiectio *vae miserae* et *misero* satis frequens in omnibus poetarum carminibus, ut exempla afferre supervacuum videatur. Vide tamen Heinsium ad Ovidii Heroid. VIII. 88.

Tales nec tangere curas. Heynius *dolores animi.* Voluit, credo, *amorem.* Debebam post Sychaeum omni

Non servata fides, cineri promissa Sychaeo!
Tantos illa suo rumpebat pectore questus.
Aeneas celsa in puppi, iam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus iam rite paratis.
Huic se forma dei voltu redeuntis eodem
Obtulit in somnis, rursusque ita visa monere est,

omnine amore abstinuisse, neque res huiusmodi et ineptias iterum attigisse. Res *tales*, curae *tales*, honestum et verecundum ipsius vocabuli *amoris* silentium. Ea vis est in *talia*, *ista*, *haec*, *ταῦτα*. Virgilium imitatur Valerius Flaccus II. 398. *thalamos excussaque vincla quod ausae Induere*, *atque iterum tales admittere curas*. Apparet quomodo Virgilium acceperit. Ovid. Heroid. VI. 117. *Dos tibi Lemnos erit*, *terra ingeniosa colenti*; *Me quoque res tales inter habere potes*. Pronomine *hic* utitur saepe Plautus, et *iste*. Amphitr. Prol. 105. *Quam liber harum rerum multarum siet*. Ubi legendum: *Quam liber harum rerum*, *et multarum siet*. *Multarum* nempe *mulierum amicus*, ut Terentius dixit *sum paucorum hominum*, et Curio apud Sueton. Caesar. 52. *Coesarem* appellavit *omnium mulierum virum*, *et omnium virorum mulierem*. Plautus Merc. IV. III. 37. *Nihil Hercle istius quidquam est*. IV. v. 13. *Pol haud censebam istarum esse operarum patrem*. Conf. Gronov. ad l. l. Amphitryonis, et eleganter annotata ab Heraldo ad Arnob. pag. 133.

Non servata fides, *cineri promissa Sychaeo!* Vel *Sychaeus* est adiectivum, vel *Sychaeo* contractum ex *Sychaeio*. Nomina gentilia non recte cum nominibus propriis comparantur, nam illa magis habent naturam adiectivorum, quam haec. Wagnerus *leo Numida* etiam audacius dictum putat, quam *cinis Sychaeus*. Sed *Numida* est *aliquis ex Numidia*, sive leo, sive homo, idem adeo atque *Numidicus*. Si tamen nomina propria accurate intuemur, in his quoque naturam adiectivorum plerumque deprehendemus. De *Auguste*, unde *aetas Augusta*, nihil dicam. Sed lex *Manilia*, et omnes fere leges, satis ostendunt illam vim adiectivam, ostendunt Porticus *Claudia*, *Minutia*, aliae. Ad hanc igitur rationem Virgilius nomen barbarum formare potuit, neque necessarium erat novum adiectivum cudere *Sychaeius*. Et *cineri Sychaeo* exquisitius est, quam *Sychaei*, quod Apronianus praetulit, et in Mediceo invenitur.

Obtulit in somnis, *rursusque ita visa monere est*. In Cod. Goth. additus hic versus: *Duraque magnorum longe dat iussa deorum*.

Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremque,
Et crinis flavos, et membra decora iuventa:
Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos?
Nec, quae te circum stent deinde pericula, cernis?
Demens! nec Zephyros audis spirare secundos?
Illa dolos dirumque nefas in pectore versat,
Certa mori, varioque irarum fluctuat aestu.
Non fugis hinc praeceps, dum praecipitare potestas?
Iam mare turbari trabibus, saevasque videbis
Collucere faces, iam fervere litora flammis,
Si te his attigerit terris Aurora morantem.
Eia age, rumpe moras. Varium et mutabile semper
Femina. Sic fatus nocti se immiscuit atrae.
Tum vero Aeneas, subitis exterritus umbris,
Corripit e somno corpus, sociosque fatigat:
Praecipites vigilate, viri, et considite transtris;
Solvite vela citi. Deus, aethere missus ab alto,
Festinare fugam, tortosque incidere funis,
Ecce iterum stimulat. Sequimur te, sancte deorum,
Quisquis es, imperioque iterum paremus ovantes.
Adsis o, placidusque iuves, et sidera coelo
Dextra feras. Dixit; vaginaque eripit ensem
Fulmineum, strictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnis simul ardor habet; rapiuntque, ruuntque;
Litora deseruere; latet sub classibus aequor;
Annixi torquent spumas, et caerula verrunt.

Omnia Mercurio similis. Valer. II. 105. *pinumque sonantem Virginibus Stygiis nigramque simillima pallam.*

Nec Zephyros audis spirare secundos. Valerius Fl. II. 372. *Zephyrosque audire vocantes Dissimulant.*

Illa dolos dirumque nefas in pectore versat. Valerius Fl. II. 568. *tacitusque dolos dirumque volutat Corde nefas.*

Certa mori. Valerius Flacc. VIII. 316. *Non aliud, quam certa mori.*

Et iam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Regina e speculis ut primum albescere lucem
Vidit, et aequatis classem procedere velis,
Litoraque et vacuos sensit sine remige portus:
Terque quaterque manu pectus percussa decorum,
Flaventisque abscissa comas, Pro Iupiter! ibit
Hic, ait, et nostris illuserit advena regnis?

Et iam prima novo spargebat lumine terras. Si haec sunt Virgilii, sequentia, *ut primum albescere lucem vidit*, manere non possunt. Nam omnino est idem. Et *iam lux albescere incipiebat*, regina, *ut vidit lucem albescere*. Quamquam haec essent tolerabiliora, iisdem verbis expressa. Omitto ingratam repetitionem, *prima* et *primum*. Virgilius ab Aenea rursus venit ad Didonem, ab extrema nocte ad primum mane transit. Recte fit transitus *Et iam*: recte fit, *Regina e speculis*: Recte fit per utrumque *Et iam — Regina e speculis*. Sed alterum utrum vel de *lumine* vel de *luce* inepte tantologum est. Wagnerus iudicavit versum *Regina e speculis, ut primum albescere lucem vidit*, post superiora languere. Sine dubio languet, sed, eiectis superioribus, vim recipit. Nec *Regina e speculis* carere possumus. Facile erat Grammatico hos versus ex Aeneid. IX. 459, ubi prorsus iidem leguntur, huc adiicere. Servius quidem haec ita distinxit, ut prima *aurora* sit designatio temporis, non diei descriptio. Sensit igitur difficultatem, non sustulit. *Dies venit* est, credo, designatio temporis. Regina *videt diem venire*, ni fallor, etiam est.

Litoraque et vacuos sensit sine remige portus. Cur hic *sensit*? Nam ubi viderat classem provectam, litora et portus esse vacuos ipsa intelligere poterat. *Sensit* nimirum est cum tacito ac gravi moerore cernit. Et est talis solitudo, ubi paullo ante grata et hilaris erat frequentia, ad sensum tristissima.

Flaventisque abscissa comas. In Cod. Reg. *flaventes abscissa comas*. Hoc equidem flebilius arbitror. Pro *abscissa* in multis MSS. *abscisa*, de quo multi multa dixere, quos laudavit Rupertus ad Silium III. 552. Sed in Medic. *abscissa*, quod non sollicitandum docuit Wagnerus ad Georg. II. 23.

Hic, ait, et nostris illuserit advena regnis? Nulla est in MSS. varietas, nisi *Hinc, ait*. Et tamen mallem: *Pro Iupiter! ibit, Ibit, et hic nostris illuserit advena regnis?* Tota oratio mire concitata est. Auge-

Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur,
Deripientque rates alii navalibus? Ite,
Ferte citi flammas, date tela, impellite remos. —
Quid loquor? aut ubi sum? Quae mentem insania mutat?
Infelix Dido! nunc te facta impia tangunt?
Tum decuit, quum sceptra dabas. — En dextra fidesque,

tur concitatio, repetito *ibit*. Neque *hic* recte ab *advena* separatur, *hic* ibit, et *advena* illuserit.

Nunc te facta impia tangunt? Male in nonnullis *fata*. Aeneas *impius*, quia Didonem fefellit. Catullus Carm. XXVII. *Nec facta impia fallacum hominum coelicolis placent.* Ovidius Heroid. X. 99. *nec facta luisses Impia funeribus, Cecropi terra, tuis.*

Tum decuit, quum sceptra dabas. Illud, *quum sceptra dabas*, non intelligo. Significat, quum *sceptra dabas Aeneae*, hoc est, ut alibi de eadem re legitur, quum *dominum Aenean in regna recipiebas*, *demens in parte regni locabas*. Sed tunc nihil erat, quod Dido de Aenea quereretur. Aeneas nihil impium commiserat. Nulla Aeneae facta Didonem tangere tunc poterant. Heynius accipit pro *re impie facta* ab ipsa Didone, quod nempe Aeneae sceptra dedisset. Wunderlichius: *tum decuit cogitare de perfidia eius*, eamque cavere. Idem censet Wagnerus, et orationem in tali perturbatione paullo esse abruptiorem iudicat. Sed ante quam Aeneas a Iove Africam relinquere iuberetur, apud Didonem locus suspicioni esse non poterat. Virgilius interdum ipsa orationis forma turbatum loquentis animum pulcherrime exprimit. Sed in ea forma regnat sana ratio, neque impedit difficultas, aut officiunt tenebrae, qualibus hic laboramus. In omnibus exemplis nullum huic simile vidi. Livius XXX. 44. *Vestrae ista lacrimae abhorrentes atque absurdae sunt. Tunc flesse decuit, quum ademta nobis arma.* Claudian. in Eutrop. II. 10. *Tunc decuit sentire nefas, tunc ire recentes Detersum maculas, veteri post obruta morbo Corpora, Paeonias nequidquam admoveris herbas.* Ambrosius de Tobia 5. *Sera haec consideratio. Tunc decuit metuisse tuis, cum acciperes aliena:* ex Virgilii Aeneid. X. 94. *Tum decuit metuisse tuis, nunc sera querelis Haud iustis assurgis.* Hegesippus de Excidio Hieros. II. 9. *Tunc decuit restitisse, quum ad servitium vocaremini.* Ioseph. Iscan. B. Troi. VI. 845. *Sed sera ira. Tunc tempus, cum somnus erat.* Vides, ubique facile intelligi illud, *quid deceret*, et *quando deceret*. Sententia quid postulet, nemo non perspicit, nempe: *nunc te facta impia Aeneae tangunt? Tunc debuerant tangere*,

Quem secum patrios aiunt portare Penatis!
Quem subiisse humeris confectum aetate parentem! —
Non potui abreptum divellere corpus, et undis
Spargere? non socios, non ipsum absumere ferro
Ascanium, patriisque epulandum ponere mensis? —
Verum anceps pugnae fuerat fortuna. — Fuisset;
Quem metui moritura? Faces in castra tulissem,
Implessemque foros flammis, natumque patremque
Cum genere exstinxem, memet super ipsa dedissem. —

quum eum in tua potestate habebas, neque in altum erat provectus. Sed tunc tempus inutiliter precando terebas. Nunc sero est. Ad eam sententiam aptum vocabulum non inveni. Conieci quidem: *Tum decuit, cum se ista dabant.* Neque multum abeunt SE ISTA et SCEPTRA. Et Latinum est *cum se ista dabant*, se mihi praebebant, ut de rebus facere possem quod cuperem, cum etiam res ista et vindicta erant in manibus meis. Ita *res se dare* dicuntur alicui, ubi sunt consilio illius opportunae. Virgilius Georg. I. 287. *Multa adeo gelida melius se nocte dederunt.* Aeneid. IV. 627. *Nunc, olim, quocunque dabunt se tempore vires.* Statius Silv. II. II. 38. *largeque volantis Ungula se det equi.* Theb. II. 489. *si fratrem fortuna dares.* Adde Heinsium ad Ovidii Heroid. XVI. 161. Gronovium ad Liv. XXVIII. 5. *prout tempus ac res se daret.* Cortium ad Ciceronis Epist. ad Div. II. 8. et Marklandum ad Statii Silv. I. IV. 49. Sic igitur conieci quidem, relinquo tamen potius feliciori alterins eurae. Sententiam quidem aperui.

Patriisque epulandum ponere mensis. In uno Cod. *apponere.* Et hoc vidit Quintil. Declam. pag. 270. *qui hominem apposuit epulandum.*

Quem metui moritura? Statius V. Theb. 623. *Quid enim metuam moritura fateri?* Conf. Oudendorp. ad Appul. Metam. IV. pag. 304.

Cum genere exstinxem. Servius: » Utrum *omne genus*, an morte Aeneae et Ascanii? quoniam illis extinctis interitura gens omnis esset." Scio *Troianos* fortasse appellari posse *genus Aeneae*, quatenus Aeneas nunc erat unicus Troianorum rex, dux, pater ac servator, sed Troiani tamen sic potius appellabantur post mortem Aeneae. Aliud est V. Aeneid. 45. *Dardanidae magni, genus alto a sanguine divom.* Nam et *multi* revera ex Dardano genus ducebant, et Dardanus dudum obierat. Mallem hoc loco *Cum gente exstinxem.*

Memet super ipsa dedissem. Seneca Hercule Oeteo, 345. *Si quid e*

Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,
Tuque harum interpres curarum et conscia Iuno,
Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbis,
Et Dirae ultrices, et di morientis Elissae,
Accipite haec, meritumque malis advertite numen,
Et nostras audite preces. Si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare necesse est,
Et sic fata Iovis poscunt, hic terminus haeret:

nostro Hercule Concepit Iole, manibus avellam meis — Me nuptiali victimam feriat die Infestus, Iolen dum supra exanimem ruam.

Ululata. Quae ulularis, quam ululant. vide Heinrichium ad Iuvenal. Satyr. VI. 314. Proprie dicendum erat, *propter quam ululant*, id est, in cuius honore, *cui ululant.* Eadem est ratio in *plangere Deam*, *τύπτεσθαι, κόπτεσθαι θεάν*, de quo Heynius ad Tibull. I. VII. 28.

Et Dirae ultrices, et Di morientis Elissae. Abhorret a veterum more ac religione *Diras* et *Deos* sic simul invocari. *Dirae ultrices* sunt, quae interfectorum animas ulciscuntur, ut supra de Oreste: *ultricesque sedent in limine Dirae.* Ammian. Marcellin. XXVIII. pag. 392. *accelerarunt ultrices Dirae caesorum.* Iam Dido se quidem propter Aenean erat interfectura, Aeneas quidem haberi poterat caussa mortis, non tamen ipse suis manibus occiderat. Nec regula iuris, qua *occidisse aliquem* dicitur, qui *causam mortis* praebuit, huc pertinet. Tum *Di morientis* explicatu est difficile. Genios Didonis, Manes Sychaei, etiam *ultores* Elissae interpretantur. Ultimum sane ex his optimum. Melius puto *Et Divae ultrices et Di morientis Elissae. Dei* et *deae* saepe in gravissimis obtestationibus iunguntur. Vide annotata ad Horatii Epod. V. *Divae* et *Di* neminem offendat. Ipse Virgilius: *Diva Deam.* Silius XIII. 508. *Divis regique Deorum.*

Meritumque malis advertite numen. Malis hominibus, scelestis, Aeneae. Magna saepe vis est in numero plurali. Iam dei, qui sunt *numina*, advertunt *numen*, animum oculos, vultum, divinos et potentes. Numen *advertite improbis*, ne improbi vos lateant, et poenam vestram effugiant. Ovidius Trist. II. 223. de Augusto: *Lusibus ut possis advertere numen ineptis.* Fast. IV. 828. *Et genitor Mavors Vestaque mater ades: Quosque pium est adhibere Deos, advertite cuncti.* Seneca Thyesto 132. *Alpheus stadio notus Olympico Advertat placidum numen.*

Et sic fata Iovis poscunt, hic terminus haeret. Claudian. in Eutrop. II. 292. *immobilis haeret Termi-*

At bello audacis populi vexatus et armis,
Finibus extorris, complexu avolsus Iuli,
Auxilium imploret, videatque indigna suorum
Funera; nec, quum se sub leges pacis iniquae
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur:
Sed cadat ante diem mediaque inhumatus arena.
Haec precor; hanc vocem extremam cum sanguine fundo.
Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum
Exercete odiis; cinerique haec mittite nostro
Munera. Nullus amor populis, nec foedera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,

nus: haec dudum nato placuere Tonanti.

Sed cadat ante diem mediaque inhumatus arena. Oratio talis est, ut non videatur absoluta. *Cadet inhumatus* non bene iunguntur. Nec proficies, *ante diem et inhumatus cadat*, iungens. Fortasse hemistichium excidit, v. c. *Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena Praeda feris iaceat.*

Hanc vocem extremam cum sanguine fundo. Lucanus VIII. 142. *accipe numen, Si quod adhuc mecum es, votorum extrema meorum.*

Stirpem et genus omne futurum. Scilicet *Aeneae.* Silius accepisse videtur de Tyriorum genere, II. 423. ubi Dido: *Mandabat Tyriis ultricia bella futuris.*

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor. Difficile, quamvis neminem laborasse viderim. Servius Anaxagorae homoiomerias adhibet, dicit etiam Poenos *ex ossibus* statuere oriri, quos alii statuunt *ex sanguine;* tum, *ex ossibus*, quia post longum tempus Hannibal nascetur. Omnes intelligunt, quid sint huiusmodi interpretationes. Heynius fecit, quod potuit: *post me veniat aliquis, qui persequatur.* Primum, nunquam de femina legitur *oriatur aliquis ex ossibus meis*, sed *e gremio, utero, ventre.* Deinde Dido nullam habuit prolem. Itaque ex *ossibus* illius nihil oriri poterat. Tyrii fortasse appellari possunt *genus Didonis*, sed non, ut ex ossibus Didonis propterea stirps nascatur. Scribendum puto: *Exoriare aliquis nostris hinc ossibus ultor. Hinc, ex hac terra, populo*, regno meo, aliquis oriatur, *ultor meis ossibus*, *qui ossa mea ulciscatur*, cinerique meo haec munera mittat, Romanos ferro, igne vexet. Cicero Verr. II. 5. *Ex sua calamitate cineri atque ossibus filii sui solatium vult aliquid reportare.* Ovid. VIII. Heroid. 119. *Per patris ossa*

Qui face Dardanios ferroque sequare colonos,
Nunc, olim, quocunque dabunt se tempore vires.
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis; pugnent ipsique nepotesque.
Haec ait, et partis animum versabat in omnis,

tui — quae tibi debent Quod ee sub tumulo fortiter ulta iacent. Seneca in libro de Ira III. 18. *Hic illum* (Marium Gratidianum) *ante bustum Q Catuli carpebat, gravissimus mitissimi viri cineribus.* In libro Lipsii erat *gravissimus livor.* Verum credo: *gravissimus ultor.* De eodem Mario Lucanus II. 173. *Quid sanguine manes Placatos Catuli referam? cum victima tristis Inferias Marius, forsan nolentibus umbris, Pendit.*

Fluctibus undas. Virgilius noluit antiquum *fluctibu' fluctus.* Solent alioquin in hac re eadem vocabula repeti. Tamen et mutantur. Lucanus I. 6. *infestisque obvia signis Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis.* Ubi potuisset *aquilis aquilas.* Statius VI. Theb. 455. *axibus axes Inflicti, radiisque rotae:* pro *inflicti radiis radii.*

Pugnent ipsique nepotesque. Illud *ipsi* non habet, quo commode referatur. Ad *Tyrios?* Contra quos *illi*, qui nunc vivebant, pugnarent? Refertur ad *populos?* Populus Aeneae nondum, multo minus Romani erant. Iahnius explicat: Dido apprecatur aeternum odium et perpetuum certamen, ut pugna maneat et *ipsos*, Aenean et socios, et nepotes eorum. Wagnerus hanc sententiam ornat et amplificat, ut aeterno bello Aeneas et posteri vexarentur, ut nunquam sentirent otii pacisque dulcedinem, atque hoc dictum vult non tantum de bellis Carthaginiensium, sed omnium populorum. Sed Dido alloquitur *Tyrios.* Precatur, ut Tyrii stirpem et omne futurum genus Aeneae, Romanos, odiis persequantur; ut ex Tyriis aliquando ultor suis ossibus oriatur; litora, undas, arma Tyriorum, omnia Tyria sperat fore contraria Romanis: *pugnent* (Tyrii) *ipsi et nepotes.* Dicere debuisset *pugnate.* Sed hoc ipsum est furentis animi, ut personae in verbo mutentur. Idem supra fecit, vs. 369. *Num fletu ingemuit nostro.* Apparet, credo, haec non recte ad Aenean et posteros referri. Nec satis vehemens est *pugnent*, pro *bellis vexentur perpetuis*, nunquam in pace vivant. Nonnulli, in quibus et Schraderus, hemistichium delent. Vide an stare possit, si pro IPSIQVE legamus NATIQVE, — *fluctibus undas Imprecor, arma armis: pugnent natique, nepotesque. Natique nepotesque*, omnes in posterum Tyrii, ut: *et nati natorum et qui nascentur ab illis.*

Invisam quaerens quam primum abrumpere lucem.
Tum breviter Barcen nutricem affata Sychaei:
Namque suam patria antiqua cinis ater habebat:
Annam cara mihi nutrix huc siste sororem;
Dic, corpus properet fluviali spargere lympha,
Et pecudes secum et monstrata piacula ducat.
Sic veniat; tuque ipsa pia tege tempora vitta.
Sacra Iovi Stygio, quae rite incepta paravi,
Perficere est animus, finemque imponere curis,
Dardaniique rogum capitis permittere flammae.
Sic ait. Illa gradum studio celerabat anilem.
At trepida et coeptis immanibus effera Dido,
Sanguineam volvens aciem, maculisque trementis

Invisam quaerens quam primum abrumpere lucem. Silius II. 597. *abrumpere vitam Ocyus attoniti quaerunt, lucemque gravantur.*

Nutricem affata Sychaei. Caram habebat nutricem, etiam propter memoriam coniugis. Ac propter hunc versum non possumus carere sequenti versu, quia tum non intelligeremus, cur Dido hoc mandatum dederit nutrici Sychaei, non suae. Bene hoc vidit Wagnerus.

Monstrata piacula ducat. Virgilius supra vs. 498. *monstrat sacerdos.* Valerius Flacc. VII. 390. *Et iam iam magico per opaca silentia Colchis Coeperat ire sono, monstrataque condere vultus Numina, cumque suis avelli collibus amnes.*

Dardaniique rogum capitis permittere flammae. Versus obscurus, et Virgilio indignus. Sive iungas *flammam* Dardanii capitis, sive *rogue* Dardanii capitis, sententia manet aeque impedita. Regus, in quo monumenta et effigies Aenea comburuntur, dici non potest *Aeneae.* Sufficit *sacra perficere*, et *finem curis imponere.* Sacra illa quae sint, satis apparet ex antecedentibus.

Gradum studio celerabat anilem. Antiqua scriptura *celebrabat* a Servio memeratur. De hoc verbo vide Burm. ad Ovid. Metam. IV. 304. Ambrosius de Abrahamo I. *Quamvis senilem studio celeraret gradum.* Is igitur et *celerabat* et *anilem*, non *anili*; legit.

Maculisque trementis Interfusa genas. Valerius Flaccus II. 104. *effera et ingens Et maculis suffecta genas.* De maculis, vere dixit Virgilius. Observatum est nuper in Francia, eos, quibus crines et pars tunicae in cervicibus abscinduntur, ut mox securi

Interfusa genas, et pallida morte futura,
Interiora domus irrumpit limina, et altos
Conscendit furibunda rogos, ensemque recludit
Dardanium, non hos quaesitum munus in usus.

Guillotina percutiantur, plerumque in vultu flavas et coeruleas maculas contrahere. Nescio an recte explicaverit Scaliger de Re poetica III. pag. 268. *Non continuus rubor, quia contrarium naturae est, ut idem sibi noceat, idem sit agens et patiens. Idcirco pugna animi, pugna humorum. Pallor tamen validior ob mortem.* Haec Scaliger.

Pallida morte futura. Ovidius XIII. Metam. 74. *trepidantem morte futura.* Lucanus VII. 129. *multorum pallor in ore Et mors ventura est, faciesque simillima fato.*

Non hos quaesitum munus in usus. Servius: »Quem Aeneas non ad hunc usum reliquerat." Servius respicit vs. 496. *arma viri thalamo quae fixa reliquit.* Quapropter Faber non recte verbis Servii utitur ad confirmandam emendationem suam *non hosce relictum munus in usus.* Virgilius vs. 507. iterum memorat *ensem relictum.* Sed ego non percipio, cur Virgilius ensem appellet *munus.* Ergo Aeneas Didoni *ensem* muneri dederat? Mirum *munus* feminae. Ex vs. 261. *atque illi* (Aeneae) *stellatus iaspide fulva Ensis erat, Tyrioque ardebat murice laena Demissa ex humeris; dives quae munera Dido Fecerat* — hinc ergo videmus Didonem Aeneae dedisse *ensem.* Atque hunc, puto, *ensem* Aeneas, fugae studio, reliquerat. Hunc Dido olim sibi paraverat, quaesiverat, ut Aeneae donaret. Sed illud munus tunc ignorabat se parasse in tam tristes usus. Interea Ovidius accepit de munere Aeneae, Didoni dato: VII. Heroid. 184. *gremio Troicus ensis adest — Quam bene conveniunt fato tua munera nostro — Praebuit Aeneas et caussam mortis et ensem.* Accepit et Silius VIII. 148. *Haec dicens* (Dido) *ensem media in praecordia adegit, Ensem Dardanii quaesitum in pignus amoris.* Virgilius magis perspicue scripsisset: *ensemque recludit Dardanium, non hoc quaesitum in munus.* Ensem, ab Aenea relictum, quem Aeneas sibi non paraverat, ut aliquando in *hoc munus, in hanc rem, in hunc usum* adhiberetur. Ita plane Ovidius Metam. XI. 128. *Coniiciunt thyrsos, non haec in munera factos* (ut Orpheus occideretur). Sed tum caetera non expedio. Et Latinum est *non in hos usus.* Ovid. V. Metam. 110. *Tu quoque Iapetide non hos adhibendus in usus.* Frequens porro est illa pronominis significatio, *non in hoc*, sed longe aliud. Valerius VI. 406. *Miserat infelix non haec ad proelia Tibris.* Idem dicitur *non ita miserat.*

Hic, postquam Iliacas vestis notumque cubile
Conspexit, paullum lacrimis et mente morata,
Incubuitque toro, dixitque novissima verba:
  Dulces exuviae, dum fata deusque sinebat,
Accipite hanc animam, meque his exsolvite curis.
Vixi, et, quem dederat cursum fortuna, peregi;
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
Urbem praeclaram statui; mea moenia vidi;
Ulta virum, poenas inimico a fratre recepi:
Felix, heu nimium felix, si litora tantum
Nunquam Dardaniae tetigissent nostra carinae!

Paullum lacrimis et mente morata. In vestibus et cubili moratur, dum lacrimas fundit et de praeteritis cogitat. Virgilius Aeneid. VII. 253. *Quantum in connubio natae thalamoque moratur.* IX. 439. *in solo Volscente moratur.* Ovid. XIII. Metam. 125. *oculos paullum tellure moratos.* Manifesta est imitatio Valerii Fl. II. 169. *Oscula iamque toris iamque oscula postibus ipsis Ingeminant: lacrimisque iterum visuque morantur.*

Et nunc magna mei sub terras ibit imago. Mallem haec tali ordine esse locata: *Vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi. Ulta virum, poenas inimico a fratre recepi; Urbem praeclaram statui, mea moenia vidi; Et nunc magna mei sub terras ibit imago.* Primum enumerat, quae fecit. Ulta virum, fratrem punivi, quia, Tyro relicta, cum Tyriis meam ipsa urbem condidi, adeoque fratris potentiam minui, et thesauros Sychaei eripui. Propter ea omnia nunc magna cum nominis fama et tamquam regina morior. Lucanus V. 667. servavit eundem ordinem: *sat magna peregi: Arctoas domui gentes, inimica subegi Arma metu — quamvis plenus honorum Et Dictator eam Stygias et Consul ad umbras.* Imprimis Silius ostendit, qui totum Virgilii locum expressit VIII. 143, ubi Dido loquitur: *Aeneae coniux, Veneris nurus, ulta maritum, Vidi constructas nostras Carthaginis arces. Nunc ad vos magni descendet corporis umbra.* Etiam tres Codices *Ulta virum* ponunt ante *Urbem praeclaram.*

Felix, heu nimium felix. Illud *heu* nonnulli ferre non potuerunt, et maluerunt *et* vel *ter.* Sed vide Burmannum. Seneca Herc. Oeteo 1803. etiam *proh nimis felix* dixit.

Nunquam Dardaniae tetigissent nostra carinae. Ovid. Fast. I. 519. *Et iam Dardaniae tangent haec*

Dixit; et, os impressa toro, Moriemur inultae;
Sed moriamur! ait. Sic, sic iuvat ire sub umbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, et nostrae secum ferat omina mortis.
Dixerat. Atque illam media inter talia ferro
Collapsam adspiciunt comites, ensemque cruore
Spumantem, sparsasque manus. It clamor ad alta
Atria; concussam bacchatur fama per urbem.
Lamentis, gemituque, et femineo ululatu
Tecta fremunt; resonat magnis plangoribus aether:
Non aliter, quam si immissis ruat hostibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros flammaeque furentes

litora pinus. Ubi Heinsius volebat *Dardanides.* Sed in Virgilianis MSS. nulla est varietas. Ovidius alteram formam saepe praetulit. Vide Heins. ad Heroid. IX. 73.

Os impressa toro. Quod interdum in summo corporis dolore fieri solet, hoc Dido fecit in dolore animi, ac desperatione. Burmannus non recte cum Barthio explicavit ex consuetudine morientium, qui *toros*, *humum*, morsu invadunt. Statius V. Theb. 252. *Hic impressa toris ora.* Valerius Flacc. VIII. 7. *Quosque fugit, complexa toros crinemque genasque, Ante per antiqui carpsit vestigia somni. Atque haec impresso gemuit miseranda cubili.* Ubi perversa est Burmanni coniectura *in presso.* Idem est *imprimo os toro*, atque *ore torum.* Apul. Metam. VIII. pag. 533. *At illa toro faciem impressa, lacrimis emanantibus genas cohumidat.* Ovid. Heroid. XII. 63. sic enuntiavit: *Disiectamque comas, aversaque in ora iacentem Invenit, et lacrimis omnia plena meis.* Non diversum est *in faciem cubare*, πρηνὴς κατακείμενος apud Homerum de Achille, qui Patroclum deflebat.

Sic, sic iuvat ire sub umbras. Servius: »Quasi interrogatio et responsio, (*sic? sic iuvat*) vel *hoc genere mortis*, et hoc eam se loco intelligimus percussisse." Burm. *sic* explicat *vel sic quoque*, vel *inultam* iuvat mori. Quod etiam in Servianis proponitur. Nec melius novi, quamquam tum magis perspicuum fuisset illud ipsum *vel sic iuvat.* Seneca bis in Herc. Oeteo huc respexit, vs. 344. *Ire, ire ad umbras Herculis nuptam libet, Sed non inultam:* et vs. 845. *Eat per artus ensis exactus meos: Sic, sic agendum est.* Postremum accedit ad Servianam rationem, verba fuisse Didonis se ferientis.

Culmina perque hominum volvantur perque deorum.
Audiit exanimis, trepidoque exterrita cursu,
Unguibus ora soror foedans, et pectora pugnis,
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat:
Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes araeque parabant?
Quid primum deserta querar? comitemne sororem
Sprevisti moriens? Eadem me ad fata vocasses:
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tulisset.
His etiam struxi manibus, patriosque vocavi
Voce deos, sic te ut posita, crudelis, abessem?
Exstinxsti te meque, soror, populumque, patresque
Sidonios, urbemque tuam. Date, volnera lymphis
Abluam, et, extremus si quis super halitus errat,

Hoc illud, germana, fuit? Ipsa formula satis cognita est: novum, quod volebat Burmannus ad Petron. 93. ea esse legenda sine nota interrogationis. Credo, si addatur nota exclamandi, *fuit! petebas! parabant!* orationem fore graviorem et tristiorem.

Me fraude petebas. Graviter pronuntiandum *me*, sororem, quae te adeo diligebam.

Date, volnera lymphis abluam. Omnes editiones ante Wagnerum: *Date volnera lymphis, Abluam.* Idque vulgo sic accipiebant, quasi dictum esset pro *date lymphas vulneribus*, eamque figuram appellabant Hypallagen. Grammatici per figuras suas verae antiquarum linguarum intelligentiae nocuerunt: multi enim, in figuris istis acquiescentes, non ulterius indagare conati sunt, quid v. c. Latini sermonis indoles ferret, quid non ferret. Desideramus hodie quoque, in hac literarum luce, bonam Rhetoricam, in qua abusus figurarum ostendatur, et linguae, qua fortasse nulla unquam magis fuit rationi consentanea, ratio explanetur. Hypallage est somnium et fabula. *Dare lymphas vulneribus* est, *dare lymphas ad vulnera abluenda*, ut Aeneid. I. 701. *Dant famuli manibus lymphas;* vel etiam proprie *dare lymphas ipsis vulneribus. Vulnera dare lymphis*, sani non est scribere. *Date vulneratum corpus lymphis*, vix fortasse explicari posset, *date mihi vulneratum corpus, ut abluam lymphis*, quas paratas habeo. Sed Anna non diceret: *date mihi sororem vulneratam*, nam ipsa adstabat, neque lymphae aderant. Si quis forte incidat

Ore legam. Sic fata gradus evaserat altos,
Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu, atque atros siccabat veste cruores.
Illa, gravis oculos conata attollere, rursus
Deficit; infixum stridit sub pectore volnus.
Ter sese attollens cubitoque adnixa levavit:
Ter revoluta toro est, oculisque errantibus alto
Quaesivit coelo lucem, ingemuitque reperta.

in pulchros versus Pacuvii, servatos a Gellio N. Attic. II. xxvi. ille ne contra me utatur; ita leguntur: *Cedo tamen pedem lymphis flavis: flavum ut pulverem Manibus isdem, quibus Ulyssi saepe permulsi, abluam.* Nam hi versus ita emendandi esse videntur: *Cedo tamen pedem mi, lymphis flavis flavum ut pulverem Manibus isdem, quibus Ulyssi saepe permulsi, abluom.* Sive igitur dicas *vela dare ventis*, sive *ventos velis*, sive *detergere robiginem gladio*, sive *gladium robigine*, haec et alia eodem redeunt. Wagnerus igitur recte omnium editionum lectionem mutavit, et sic ego iam a. MDCCCXXVI in Biblioth. Crit. Nova Vol. II. pag. 22. suaseram. Sed ibi non recte expressum est *Date. Volnera lymphis Abluam.* Volueram enim *Date.. volnera lymphis Abluam.* Anna in maxima animi perturbatione exclamat *Date..* Quid dari velit, eleganter omittitur, et satis intelligitur ex sequentibus. Ita Prudentius Peristeph. Hymn. IV. 193. *Nos pio fletu, date, perluamus Marmorum sulcos. Lymphis abluere*, Ovid. Metam. XIII. 531. *Quid moror interea crudelia vulnera lymphis Abluere?* Statius Theb. III. 398. *Vulnera dum lymphis Epidaurius eluit Idmon.*

Ter sese attollens. Ruhnk. Epist. Crit. II. pag. 217. comparavit cum Apollonio Rhodio 655. τέτρατον αὖθις Λέκτροισι πρηνὴς ἐνικάππεσεν εἱλιχθεῖσα. Orosius III. 1. eleganter ad *spem* transtulit: *donec assurgendo aegre, ac misere recidendo, confecta.*

Oculisque errantibus alto Quaesivit coelo lucem. Valer. Fl. VI. 277. *extremus cum lumina corripit error.* v. Burm. ad Ovid. Metam. XV. 198. Ennius apud Servium ad Aeneid. X. 396. *Semianimesque micant oculi, lucemque requirunt.* Quem versum ad suum carmen transtulit Varro Atacinus. Ruhnken. Epist. Crit. II. pag. 226. putabat Varronem transtulisse ex Apollonio IV. 1525. πολλὴ δὲ κατ᾽ ὀφθαλμῶν χέετ᾽ ἀχλύς. Propius accedunt ista Latina ad Ennianum: Silius V. 11. *Frustra seminecum quaerentia lumina coelum.*

Tum Iuno omnipotens, longum miserata dolorem
Difficilisque obitus, Irim demisit Olympo,
Quae luctantem animam nexosque resolveret artus.
Nam, quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoque accensa furore,
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.
Ergo Iris croceis per coelum roscida pennis,
Mille trahens varios adverso sole colores,
Devolat, et supra caput adstitit: Hunc ego Diti
Sacrum iussa fero, teque isto corpore solvo.
Sic ait, et dextra crinem secat. Omnis et una
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

Seneca Herc. Oeteo, 519. *Ille iam quaerens diem Tabem fluentem vulneris dextra excipit.* Ammian. Marcell. XVI. pag. 90. *Alii semineces labente iam spiritu, lucis usuram oculis morientibus inquirebant.* Statius Theb. VIII. 648. *quater iam morte sub ipsa Ad nomen visus deiectaque fortiter ora Sustulit; illam unam neglecto lumine coeli adspicit.*

Tum Iuno omnipotens, longum miserata dolorem. Ovid. IV. Metam. 530. *At Venus immeritae neptis miserata labores.*

Stygioque caput damnaverat Orco. Silius V. 241. *nisi quem deus ima colentum Damnasset Stygiae nocti.*

In ventos vita recessit. Ammian. Marcell. XIX. p. 148. *animis in ventum solutis.*

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER QUINTUS.

Interea medium Aeneas iam classe tenebat
Certus iter, fluctusque atros aquilone secabat,
Moenia respiciens, quae iam infelicis Elissae

Interea medium Aeneas iam classe tenebat Certus iter. Medium iter, i. e. *in medio aequore*, litore et locis periculosis iam evitatis, ita ut caeteram viam sine impedimento continuare posset. Lucanus III. 1. *Propulit ut classem velis cedentibus Auster Incumbens, mediumque rates tenuere profundum.* Hinc ipse Aeneas dicitur *certus* tenere iter. Virgil. Aeneid. IX. 96. *certusque incerta pericula lustret Aeneas?* Mare altum est *certum*, vada *incerta*. Horatius Epod. IX. 32. *aut fertur incerto mari.* Conf. Gronov. ad Senecae Consol. ad Marciam 10. *Certus* alii explicavere *certus itineris sui*, persistens in consilio proficiscendi in Italiam. Sed Aeneas h. l. consilium non capit, sed iam perficit. Recte Virgil. Aeneid. IV. 554. *certus eundi*, et Ovid. Heroid. VII. 7. *certus es ire tamen.* Et hoc vidit Wagnerus, qui interpretatur, *recto, non erratico itinere cursum intendens.* Hoc, puto, omnes faciunt, nisi vel animi causa huc illuc vela facientes, vel adversis ventis coacti, sicuti brevi post fecit ipse Aeneas, quum vela in ventos obliquabat.

Moenia respiciens. Schol. Lucani III. 4. »Mos enim respicere illuc, unde invitus abscesseris." Et Aeneas dicit Aen. VI. 460. *Invitus regina, tuo de litore cessi.* Silius VIII. 108. *Respiciens aegerque animi tum regna reliqui Vestra.*

Collucent flammis. Quae tantum accenderit ignem,
Caussa latet; duri magno sed amore dolores.

Quae iam infelicis Elissae Collucent flammis. Non pulchre repetitum *iam.* Et tamen neutro loco bene abesse potest. Respexit h. l. Silius VI. 312. *Vidissem moenia flammis Phoenissae ruere.* Ubi *moenia Phoenissae* iunxit. Quod in Virgilio quidem mallem, ut iungeremus *moenia Elissae.* Sed fieri non potest.

Duri magno sed amore dolores polluto. Non est dubium, quin recte dicatur *sacra polluere*, *religionem*, *foedera*, *pacem*, similia, pro *violare.* Sic ipse Virgilius VII. 467. *polluta pace.* Propert. III. 19. *Pollueritque novo sacra marita toro.* *Amorem polluere*, unsquam inveni, nec, puto, invenietur, quia non castum est in tali substantivo verbum. Heynius sic deducit: »Amor violata fide ab altero amante *pollui* proprie dicitur *ex adulterio*, concubitu vetito. Poeta idem nunc dixit pro fide amoris laesa omni no et violata ab Aenea." Sed neque ita Aeneas amorem Didonis *polluit.* Polluisset, si alteram amasset, quamvis tamen inter Aenean et Didonem non esset matrimonium legitimum, et ipse Aeneas Didoni unquam in id fidem dederit. *Laedere* autem et *violare* amorem, nunquam aliter positum est, nisi novus amor priorem excipiat. Exempli causa est Medea apud Ovid. II. Trist. 387. *Tingueret ut ferrum natorum sanguine mater*, *Concitus a laeso fecit amore dolor.* Aeneas adeo *amorem* Didonis *sprevit*, *fefellit*, *reliquit*, non *violavit*, non *polluit.* Si praeterea cogitamus *polluere* usurpari plerumque de feminis, per scelus ac stuprum violatis, eo minus tale verbum hic adhibuisse Virgilius videbitur. Quare scribendum arbitror ABRVPTO pro POLLVTO. Hoc et Latinum et verecundum est, neque aliud huic loco convenit. Aeneas discessu amorem deseruit, et subito abrupit. Ipse Virgilius Aeneid. IV. 292. *quando optima Dido Nesciat*, *ac tantos rumpi non speret amores.* Similis est locus Catulli Carm. LXVIII. 81. de Laodamia a Protesilao deserta, ut hic ad Troiam proficisceretur, sicuti Aeneas Didonem reliquit, ut in Italiam iret: *Coniugis ante coacta novi dimittere collum*, *Quam veniens una atque altera rursus hyems Noctibus in longis avidum saturasset amorem*, *Posset ut abrupto vivere coniugio.* Propert. I. XIII. *Tu*, *quod saepe soles*, *nostro laetabere casu*, *Galle*, *quod abrupto solus amore vacem.* Amica Propertii *amorem* abruperat. Scholiasta Iuvenalis Virgilium bis respexit, semel nominavit, ut Satyr. X. 329: *dum laesa aut contemta erubescit*, *dum laesus amor irascitur*, ut Virgilius. Idem ad Satyr. VI. 649: *sexus femininus caelandi causa omnia audet facere*, *dum magnos amore dolore pollutos quae neque offerre.* Ubi legendum puto: *sexus*

Polluto, notumque, furens quid femina possit,
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.
Ut pelagus tenuere rates, nec iam amplius ulla
Occurrit tellus, maria undique, et undique coelum:
Olli caeruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens, et inhorruit unda tenebris.
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta:
Heu! quianam tanti cinxerunt aethera nimbi?
Quidve, pater Neptune, paras? Sic deinde locutus
Colligere arma iubet, validisque incumbere remis;
Obliquatque sinus in ventum, ac talia fatur:
Magnanime Aenea, non, si mihi Iupiter auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere coelo.
Mutati transversa fremunt, et vespere ab atro
Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aer.

femininus zelandi causa omnia audet facere, duros magno amore dolores polluto quia nequit ferre. Zelandi causa pro *ex zelotypia.* Scholiasta interdum barbaris vocabulis utitur, et verba Virgilii adhibet, nomine illius non addito.

Furens quid femina possit. Ideo Aeneas apud Silium dicit VIII. 112. *Sed cur, heu seri monitus, cur tempore tali Incustodito saevire dedistis amori?* Hoc est, Didonem custodire, observare debebatis, non solam linquere. Interpres non intellexit.

Obliquatque sinus in ventum. Partem velorum, qua ventum oblique excipientes, contra eum fere adversum navigabant. Veteres non habebant lignum illud laterale, quod apud nos tollitur et deprimitur. Ideo utebantur remis, ne nimium a cursu recto deflecterent. *In ventos*, ut Valerius Flaccus V. 102. *altius in ventos recipit ratis:* recipit se altius, magis in medium mare, ut ventos excipiat. Sic *obliquare vela in ventum*, non est contra ventum, sed ita ponere, ut ventum obliquum excipias. Livius XXVI. 39. *aliae ad incertos ventos hinc atque illinc obliqua transferentes vela, in altum evectae sunt.*

In nubem cogitur aer. Ambrosius Hexaem. II. 3. *dicant, quemadmodum aer cogatur in nubem.* Cod. Sprot. *aether.* Bene reiectum a Burmanno.

Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus. Superat quoniam Fortuna, sequamur,
Quoque vocat, vertamus iter. Nec litora longe
Fida reor fraterna Erycis, portusque Sicanos,
Si modo rite memor servata remetior astra.
Tum pius Aeneas: Equidem sic poscere ventos
Iamdudum et frustra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. An sit mihi gratior ulla,
Quove magis fessas optem demittere navis,
Quam quae Dardanium tellus mihi servat Acesten,
Et patris Anchisae gremio complectitur ossa?
Haec ubi dicta, petunt portus, et vela secundi
Intendunt Zephyri; fertur cita gurgite classis;
Et tandem laeti notae advertuntur arenae.
At procul ex celso miratus vertice montis
Adventum sociasque rates, occurrit Acestes,
Horridus in iaculis et pelle Libystidis ursae;

Nec nos obniti contra, nec tendere tantum. Rectius fortasse: *obniti tantum nec tendere contra.* Ita mox: *frustra cerno te tendere contra.*

At procul ex celso miratus vertice montis. Bene praetulit Wagnerus alteri *excelso.*

Occurrit Acestes. Servius: »Bene temperato usus est verbo, ne videretur aut quasi inhospitalis dolere, aut exsultare, voti nescius Troianorum.« Ea Servii annotatio spectare videtur alteram lectionem *accurrit*, quae memoratur a Donato. Mihi magis placet *accurrit.* Hoc decebat Troianum Troianos procul videnti, et mox Acestes suos populares *laetus* excipit.

Horridus in iaculis et pelle Libystidis ursae. Equidem omnino post *horridus* distinguendum puto, ut putabat etiam Heynius. Acestes occurrit *horridus*, horrida specie et habitu, quippe qui iacula et pellem gestabat, et quem iacula et pellis decebant, cui apta erant. Finge Acesten fuisse parvo ac debili corpore, vultu muliebri, talis, licet in iaculis et pelle ursae, non fuisset *horridus*, sed ridiculus. *In iaculis, in pelle*, semper sola et seiuncta ab adiectivo esse sumenda contendo. Adiectivum apponitur, ut species, quam *in iaculis et pelle* spectantibus praebet, magis appareat. Neque aliter accipi potest.

Troia Crimiso conceptum flumine mater
Quem genuit. Veterum non immemor ille parentum,
Gratatur reduces, et gaza laetus agresti
Excipit, ac fessos opibus solatur amicis.

Nam *in iaculis* est iaculis instructus, *in armis*, armatus, in *pelle*, pellitus, *in toga*, togatus. Hoc pulchre ostendit Salmasius ad Trebellium Pollion. Script. August. T. II. pag. 344. Quamvis igitur *in armis* sit substantivum cum praepositione, (nam *in iaculis* uti non possum, quia non dicimus *iaculatus*) infert tamen notionem adiectivi *armatus*. Iam nemo dicet occurrit *horridus armatus*, sed *horridus*, *armatus*. Et sic est in omnibus exemplis, quae allata sunt ab Heinsio et Burmanno ad Valerium Flaccum, imprimis V. 349; ad Ovidium et alios, a Graevio ad Auson. Epigr. 130. *Laudo Timomachum, matrem quod pinxit in ense.* Adde *horridam*; nunquam iunges *Medeam horridam in ense*, sed *Medeam horridam*, *in ense*, ense instructam. Servius h. l. Ennii verba laudavit: *levesque sequuntur in hastis:* id est *hastati* sequuntur, levis armaturae, ut hastati primis temporibus erant. Pro lectione *horridus in iaculis* valere non potest Val. Flacci I. 486. *Agnoscit Acastum Horrentem iaculis et parmae luce coruscum.* Nam ita scriptum oportuisset *Horrentem in iaculis*, ut volebat Heinsius. Vel sic tamen Heynius, et recte, malebat *Acastum Horrentem*, *in iaculis*. Sed ibi distinguendum censeo: *Acastum Horrentem*, *iaculis et parmae luce coruscum: coruscum iaculis*, ex Virgilio Aeneid. II. 470. *primoque in limine Pyrrhus Exsultat, telis et luce coruscus aena.* Atque eadem est ratio in Graecis. Hi ἐν ἐσθῆτι, ἐν αἰχμαῖς, ἐν ὅπλοις absolute ponunt.

Conceptum flumine. Adiectivum *conceptus*, revocat mihi in memoriam substantivum apud Senecam de Tranq. Animi 15, loco difficili, unde se Lipsius non extricabat: *Singula, propter quae laeti ac tristes sumus, sibi quisque proponat, et sciat verum esse, quod Bion dixit; omnia hominum negotia similia initiis esse, nec vitam illorum magis sanctam aut severam esse, quam conceptus inchoatos. Initia* sunt *hominum initia*, quando primum concipiuntur in utero materno. *Initia* et *conceptus inchoati* idem est. Ovid. Metam. VII. 125. *Utque hominis speciem materna sumit in alvo, Perque suos intus numeros componitur infans, Nec nisi maturus communes exit in auras.* Hieron. Epist. T. V. p. 194. *Sicuti semina paullatim formantur in uteris, et tamdiu non putantur homicidium, donec elementa confusa suas imagines membraque suscipiant.*

Postera quum primo stellas Oriente fugarat
Clara dies; socios in coetum litore ab omni
Advocat Aeneas, tumulique ex aggere fatur:
  Dardanidae magni, genus alto a sanguine divom,
Annuus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo reliquias divinique ossa parentis
Condidimus terra, maestasque sacravimus aras.
Iamque dies, ni fallor, adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum (sic di voluistis), habebo.
Hunc ego, Gaetulis agerem si Syrtibus exsul,
Argolicove mari deprensus, et urbe Mycenae;
Annua vota tamen sollemnisque ordine pompas,
Exsequerer, struerem que suis altaria donis.
Nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis,

Condidimus terra. MSS. quaedam *terrae.* Vide Wagnerum et hoc loco, et ad Aeneid. VI. 84. .

Iamque dies, ni fallor, adest. Valerius Flacc. II. 107. *Iamque dies aderat, Thracas qui fuderat armis.* Conf. Heinsius et Burmannus ad Ovid. Metam. III. 519. In Valerio Burmannus male coniicit, *iamque redux aderat*, quia durum sit, *dies fundit Thracas.* Imo elegans est *dies fudit*, pro homines eo die *fuderunt.* Est ipsum illud Tibulli II. 1. *Hunc fore* (diem) *Aquitanas posset qui fundere gentes.* Ubi plura interpretes, et ad Taciti Agricol. 34. Pro *nisi*, Servius *ni.* Wagnerus acute de discrimine significationis disputat. Fatetur tamen interdum promiscue usurpari; Ovidium Fast. IV. 623. cogente metro, dixisse: *Hac quoque, ni fallor, populo dignissima nostro Atria libertas coepit habere sua.* Quod ad metri necessitatem attinet, ea apud bonum poetam nunquam efficere potuit, ut aliquid scriberet, quod esset contra morem et ingenium linguae. Si Ovidius ibi posuit *ni fallor*, ut posuit, Latinum est. Si non esset Latinum, alio modo versum informasset. Potuisset v. c. *Hac quoque, nec fallor.* Interea ad aures meas iucundius accidit: *Iamque dies, ni fallor, adest.*

Hunc ego, Gaetulis. Dissentiunt interpretes, sitne ἀνανταπόδοτον, an iungenda *si hunc agerem.* Hoc praefero. Locum reddidit Paullinus Carmine 23. *Hunc ego si Geticis agerem male subditus armis, Inter et immites celebrarem laetus Alanos.*

Haud equidem sine mente reor, sine numine divom,
Adsumus, et portus delati intramus amicos.
Ergo agite, et laetum cuncti celebremus honorem;
Poscamus ventos, atque haec me sacra quotannis
Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis.
Bina boum vobis Troia generatus Acestes
Dat numero capita in navis; adhibete Penatis
Et patrios epulis, et quos colit hospes Acestes.
Praeterea, si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiisque retexerit orbem,
Prima citae Teucris ponam certamina classis;
Quique pedum cursu valet, et qui viribus audax

Haud equidem sine mente reor, sine numine divom. Valerius Fl. V. 255. *Haud sine mente dei.* Ubi vide Burmannum. Wagnerus comma, quod erat post *mente*, sustulit, ut iungerentur *equidem reor.* Dubito an *equidem* a *reor* ita separari possit. In oratione prosa diceremus: *non sine deorum consilio ac voluntate, ut arbitror, ut equidem arbitror.* Virgilius *equidem* pro *quidem* posuisse videtur. Hoc nisi voluisset, scripsisset potius: *Haud sine mente, equidem reor, haud sine numine divom.*

Poscamus ventos. Obscurum. Celebremus inferias Anchisae. Petamus ab eo ventos secundos, nobisque concedat, ut haec sacra, has inferias quotannis ipsi in urbe et suis templis faciamus. Non intelligo, cur Anchisae tanta tribuatur potestas. Tamen ita accepit Lactant. Inst. I. 15. *Cui Anchisae Aeneas non tantum immortalitatem verum etiam ventorum tribuit potestatem.* Pro *ventos*, Waddelius coniicit *veniam*; Wagnerus *manes;* in Cod. Iaeckii *vestos.* Mihi in mentem venit: *Poscamus votis, atque haec* sq. *Atque velit*, pro *ut velit.* Illud *velit* est deorum, et fati. Ut apud Silium I. 107. *si fata negarint Dedecus id patriae nostra depellere dextra, Haec tua sit laus, nate, velis.* Ubi scribendum *velint.* Hannibal non poterat dedecus depellere, si vellet.

Quique pedum cursu valet. Locum ante oculos habuit Iosephus Iscan. B. Troi. V. 23. *qui iaculis longe, qui cominus ense, Qui pede, qui cursu fidit, vel classe mereri Promptior.*

Et qui viribus audax Aut iaculo incedit melior levibusque sagittis. Audax viribus convenit cestui, non sagittis. Requirebatur in quodam sagittarum vel arcus tendendi certamine

Aut iaculo incedit melior levibusque sagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere cestu:
Cuncti adsint, meritaeque exspectent praemia palmae.
Ore favete omnes, et cingite tempora ramis.
Sic fatus, velat materna tempora myrto.
Hoc Helymus facit, hoc aevi maturus Acestes,
Hoc puer Ascanius; sequitur quos cetera pubes.
Ille e concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterva.
Hic duo rite mero libans carchesia Baccho

vis et robur, sed de tali certamine hic non quaeritur. Itaque Servius annotavit quosdam de *lucta* accepisse. Versus, credo, sunt transponendi: *et qui viribus audax Se crudo fidit pugnam committere cestu, Aut iaculo incedit melior*. Simile quid iam Farnabinm tentasse, nec sine veterum Codicum auctoritate, postea vidi.

Aut iaculo incedit melior. Iacula et *sagittae* revera differunt. Iaculorum fuisset longe aliud certamen, quam sagittarum. Certamen iaculorum in sequentibus non memoratur. Memorantur autem singula, quae Aeneas nunc ponit. Ingeniose quidem Wagnerus interpretatur *iacula et sagittas* in *unam feriendi* notionem convenire. Sed hoc non procedere arbitror. Notio quidem *feriendi scopum* est eadem, sed instrumenta diversa. Nec scio an *iaculis* ad scopum collinearent. Hodie in simili causa nemo diceret: *aut sclopeto maiore vel minore melior incedit*. Quare legendum puto ARCV pro IACVLO. Iungenda autem sunt *melior arcu*, ut alibi *melior remis*, et Valerius Fl. I. 143. *optimus hasta*.

Cuncti adsint, meritaeque exspectent praemia palmae. Lactantius, seu quicunque sit iste Scholiasta Statii, ad Theb. I. 336. vidit *emeritae:* »Quomodo *emeritos* dicimus simili labore donatos, sic *emeritus* sol occidens dicitur, post laborem cui noctis astra succedunt, ut Virgilius, *Emeritaeque exspectent praemia palmae*." Hemsterhusius ista sic emendavit: *militiae labore defunctos*. Caeterum memoriam Lactantium decepisse puto.

Multis cum millibus. Mire Valerius Fl. V. 274. *Iamque aderat magnis regum cum millibus urbi*. Ubi Burmannus volebat *multis*. Verum credo *magni regis:* ut V. 301. *magni veniat dum regis ad urbem*.

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho. Valerius Fl. I. 193. *Ipse ter aequoreo libans carchesia patri, Sic ait Aesonides*. Ubi scribendum: *Ipse patri aequoreo libans carchesia Bacchi*. In MS. pro *patri* erat *Baccho*.

Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro;
Purpureosque iacit flores, ac talia fatur:
Salve, sancte parens, iterum; salvete, recepti
Nequidquam cineres, animaeque umbraeque paternae.
Non licuit finis Italos fataliaque arva,
Nec tecum Ausonium, quicunque est, quaerere Thybrim.
Dixerat haec: adytis quum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina, traxit,
Amplexus placide tumulum, lapsusque per aras;
Caeruleae cui terga notae maculosus et auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille iacit varios adverso sole colores.
Obstupuit visu Aeneas. Ille agmine longo
Tandem inter pateras et levia pocula serpens

Salve, sancte parens, iterum; salvete recepti. Iam olim dubitatum de interpunctione. Longe equidem praefero: *Salve, sancte parens; iterum salvete recepti Nequidquam cineres.*

Nec tecum Ausonium, quicunque est, quaerere Thybrim. Videtur aliquid excidisse post hunc versum. Sententia enim non est absoluta. Quamquam haud valde dissimilis est exitus orationis in Aeneid. IV. 550. *Non licuit thalami expertem sine crimine vitam Degere.*

Septem ingens gyros. Sedulius Carmine Paschali: *In chaos infernae lapsus penetrale gehennae Septem ingens gyros, septena volumina traxit.*

Mille iacit varios adverso sole colores. Heinsius ex optimis MSS. *iacit*, atque hoc docte exemplis illustrat. Alii *trahit*, quo Virgilius alibi utitur. Heinsius putat eum variandi causa hic scripsisse *iacit.* Wagnerus autem ostendit haec esse diversa. Iris *iacit colores* procul visa et instabilis, Iris *trahit*, ad terram descendens. Huiusmodi animadversiones eo nos ducunt, ut linguam intelligere discamus, sicuti oportet, si scriptores intelligere velimus. Virgilius *iacit* alteri *trahit* non temere praetulit. Talis cura efficit, ut carmina veterum semper elegantiae exempla mansura sint.

Levia pocula serpens. Recte edidit Wagnerus, non *laevia.* Interdum, propter nonnullos interpretes, metrum non satis callentes, necessarium est significationem scriptura distinguere. Ita Schellerus, vir diligens caeteroquin et accuratus, I. Carm. XXXI. 16. quod Horatio tribuitur, *Me cichorea levesque malvae*, non recte ad *lae-*

Libavitque dapes, rursusque innoxius imo
Successit tumulo, et depasta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,
Incertus, Geniumne loci famulumne parentis
Esse putet; caedit binas de more bidentis,
Totque sues, totidemque nigrantis terga iuvencos.
Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchisae magni, Manisque Acheronte remissos.
Nec non et socii, quae cuique est copia, laeti
Dona ferunt; onerant aras, mactantque iuvencos;
Ordine aena locant alii, fusique per herbam
Subiiciunt veribus prunas, et viscera torrent.
Exspectata dies aderat, nonamque serena
Auroram Phaethontis equi iam luce vehebant;
Famaque finitimos et clari nomen Acestae
Excierat: laeto complerant litora coetu,
Visuri Aeneadas, pars et certare parati.
Munera principio ante oculos circoque locantur
In medio: sacri tripodes, viridesque coronae,
Et palmae, pretium victoribus, armaque, et ostro
Perfusae vestes, argenti aurique talentum;
Et tuba commissos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt gravibus certamina remis

vis retulit. In Heyniano Indice vs. 328. Aeneid. V. *laevi sanguine*, pro *levi* accipitur.

Et tuba commissos medio canit aggere ludos. Iamque omnia erant parata. Igitur tuba signum dedit, ludos incipere. Male in uno Codice *ut tuba*, quod et Heynius coniecerat. Wagnerus merito reiecit, qui tamen in Quaest. XXXV. 9. explicat, orationem, post plurima interposita, per copulam *et* continuari.

Prima pares ineunt gravibus certamina remis. Iam veteres non idem sentiebant, quid *pares* significaret. In Servianis memorantur quatuor opiniones: *pariter*, aut *diversis comparabiles rebus*, aut *pares ordine remorum*, aut *pares ita ut ante certamen videbantur*. Heynius: *pares*

Quatuor, ex omni delectae classe, carinae.
Velocem Mnestheus agit acri remige Pristim;
Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi;
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram,
Urbis opus, triplici pubes quam Dardana versu

magnitudine et bonitate; idem, huius explicationis non memor, ad Aeneid. V. 580. *pares* loco, eodem ordine interpretatur. Wagnerus: *pares celeritate*, quamquam magnitudine diversa: minor enim navis pauciores remiges requirebat, maior plures. Hoc est, puto, Servianum, *diversis comparabiles rebus. Pares* fortasse cogitatione cum *delectae* iungendum. Delegerant ex omni classe quatuor naves, quas celeritate haud multum diversas, pares fore putabant.

Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi. Plerumque hoc fieri videmus, ut nomina peregrinorum in nova patria ad rationem novae linguae aliter inflectantur. Maxima mutatio statim fit. Vere Heynius exspectaverat mox, post adventum in Italiam, nomen Mnesthei aliter fuisse inflexum: nunc, ut est, accipiendum, *Mnestheus mox Italus futurus*, et gentem sui nominis constituturus. Sed si Mnestheus nomen suum in Italia servasset, gentem constituisset Mnesthiorum non Memmiorum. Et quid illud *mox Italus futurus?* Itali futuri erant omnes, nemine excepto. Ut igitur Itali ex *Sergesto* fecerunt *Sergium*, ex *Cloantho Cluentium*, ita ex *Mnestheo*, illud nomen formarunt, unde *Memmia* gens oriri potuerit. Scribendum puto: *Mox Italis Memmeus, genus a quo nomine Memmis.* Itali pro *Mnestheus* dixere *Memmeus*, servata primum terminatione Graeca, sed Graeca syllaba μνη (ut in μνῆστις) statim in Latinam *mem* (ut in *memoria*) translata. Scripsi *Memmis. Memmi*, sive nominativum pluralem, sive genitivum singularem habeas, durum est. Servius de familiis haec annotavit: »A *Sergesto Sergia* familia fuit, a *Cloantho Cluentia*, a *Gya Gygania*, cuius nunc facit mentionem." Ibi scribe: *cuius nunc non facit mentionem.*

Ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram. Wagnerus putat vocabulum *ingentem* universe declarare navis magnitudinem, *ingenti mole* ad altitudinem referri. *Altitudo* vix, puto, ab universa magnitudine separari potest. Iungam potius *ingens mole ingenti*, quod ad Graecum accedit *μέγας μεγέθει.*

Urbis opus. Instar urbis, ut Seneca Epist. 90. *non habebant domos instar urbium.* Statius V. Silv. 3. *aras par templis opus. Urbis opus* dictum videtur per genitivum magnitudinis: *opus quinquaginta ulnarum*, *ingentis spatii*, *urbis.* Statius VI.

Impellunt, terno consurgunt ordine remi;
Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magna; Scyllaque Cloanthus
Caerulea, genus unde tibi, Romane Cluenti.
  Est procul in pelago saxum spumantia contra
Litora, quod tumidis submersum tunditur olim
Fluctibus, hiberni condunt ubi sidera Cori;
Tranquillo silet, immotaque attollitur unda
Campus, et apricis statio gratissima mergis.
Hic viridem Aeneas frondenti ex ilice metam
Constituit signum nautis pater, unde reverti
Scirent, et longos ubi circumflectere cursus.
Tum loca sorte legunt, ipsique in puppibus auro
Ductores longe effulgent ostroque decori;
Cetera populea velatur fronde iuventus,
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.
Considunt transtris; intentaque brachia remis;

Theb. 86. *aeriam truncis nemorumque ruina, Montis opus, cumulare pyram.* Pyram, maximae altitudinis ac ponderis, onus montis, *instar montis*, ut Virgilius de *equo*.

Intentaque brachia remis. Intenti exspectant signum. Multos offendit repetitum *intenta intenti*. Pro *intenta* Codices nonnulli *nudata*, *intexta*, *extenta*. Alii coniiciunt *intorta*. Bryantus totum versum, Hermannus *intentaque brachia remis* delebat. Heynius rem ita expedit: »Utroque loco propria est vox. Itaque poeta proprietatem orationis, quam elegantiam servare maluit. »Heynio igitur iudice, Virgilius proprie, sed minus eleganter locutus est. Wagnerus: »Bis idem participium posuit poeta, quo melius exprimeretur summa nautarum exspectatio et remigandi cupiditas, significatque illos aeque mente animoque atque corpore adesse." Explicationem Wagneri libens acciperem, si Virgilius idem participium eadem significatione posuisset. Nunc posuit diversa. *Brachia remis intenta* significat; remiges iam tenebant remos, manus remis applicaverant, brachiis curvatis; quod Graeci interdum appellant *ἐρετμῶσαι*, ut Hesychius interpretatur, *κώπαις ἁρμόσαι*. Neque remigandi cupiditas ex eo intelligitur, quod habebant brachia remis intenta, sed quod *iam diu*

Intenti exspectant signum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans, laudumque arrecta cupido.
Inde, ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, prosiluere suis: ferit aethera clamor

ante datum signum habebant *intenta*, et eo in habitu signum exspectabant. *Intenti* longe aliud significat. Quare non puto Virgilium bis in re tam diversa idem participium adhibuisse. Pro *intenti* in uno MS. est *attenti*. Ex illo ATTENTI parva mutatione feci ATTONITI. *Considunt transtris, intentaque brachia remis. Attoniti exspectant signum, exsultantiaque* sq. *Attoniti;* nam pavor et laudum cupido corda haurit. *Attonitus* saepe dicitur *ingenti cupiditate rei alicuius faciendae incensus*, et in MSS. cum *attentus* permutatur. Lucanus V. 476. *Caesaris attonitam miscenda ad proelia mentem Ferre moras scelerum partes iussere relictae.* Ubi plura Cortius. Adde Oudendorp. ad Appul. Metam. IV. pag. 287.

Corda pavor pulsans. Pavor est animi motus inter spem et metum. Hinc Silius III. 215. vocat *pavorem laetum*. Vide interpretes.

Finibus omnes, Haud mora, prosiluere suis. Omnes nautae, qui sonitum tubae exspectabant, prosiluere ex locis, quae sortiti erant vs. 132. *tum loca sorte legunt*. Hic iam novum mihi accidit, loca, unde initium procedendi fit, appellari *fines*. Scio *fines* appellari, quibus aliquid finitur, definitur, ultra quos, ante auditum signum se movere non licet. Sed in tali certamine probe discernuntur *carceres* et *meta*, *initium* et *finis*. Virgilius mox scopulum *metam* nominat, hoc est *finem* recti cursus, ubi circumflecterent. Magis etiam novum accidit, hos *fines* dici *suos*. *Fines* omnibus quatuor navibus erant iidem. Ovidius v. e. X. Metam. 652. *Signa tubae dederant, cum carcere pronus uterque Emicat* — non scripsisset *suo carcere*. Iam *prosiluere*, non ipsi, sed cum navibus suis, naves adeo *prosiluere*. Naves, ingenti mole, urbium opera, terno remorum ordine, primo remorum impulsu statim *prosiliunt?* Recte diceres *de equis*, de *hominibus*, ut Ovidius modo, *pronus emicat*, et Virgilius, *limenque relinquunt Effusi nimbo similes.* De *navibus*, quales Virgilius descripsit, ineptum est. Pro FINIBVS vix dubito quin legendum sit SEDIBVS. *Sedibus omnes, Haud mora, prosiluere suis.* Nautae *sedebant*, brachia remis intenta habentes, et signum exspectantes. Vix signum audiverant, quum sine mora emicant, de sedibus quisque suis prosiliunt, lacertos adducunt, et pariter sulcos infindunt. *Prosiliunt de sedibus*, surgunt, ut eo vehementius remos ad pectora ducant. Virgilius et alii hoc vocant

Nauticus; adductis spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit
Convolsum remis rostrisque tridentibus aequor.
Non tam praecipites biiugo certamine campum
Corripuere ruuntque effusi carcere currus;
Nec sic inmissis aurigae undantia lora
Concussere iugis, pronique in verbera pendent.
Tum plausu fremituque virum studiisque faventum
Consonat omne nemus, vocemque inclusa volutant
Litora; pulsati colles clamore resultant.
Effugit ante alios, primisque elabitur undis
Turbam inter fremitumque Gyas; quem deinde Cloanthus
Consequitur, melior remis: sed pondere pinus
Tarda tenet. Post hos aequo discrimine Pristis
Centaurusque locum tendunt superare priorem;
Et nunc Pristis habet, nunc victam praeterit ingens
Centaurus; nunc una ambae iunctisque feruntur
Frontibus et longa sulcant vada salsa carina.

remis insurgere: Aeneid. III. 207. *remis insurgimus.* Ibi Servius interpretatur: *exsurgentes fortius remigamus.* Idem ad V. 189, ubi Mnestheus socios hortatur *nunc nunc insurgite remis*, explicat ex contrario apud Lucan. III. 543. *Atque in transtra cadunt, et remis pectora pulsant.* Omnino quod stantes facimus, facimus maiore cum impetu quam sedentes. Hinc et illud apud Phaedrum V. vii. *In plausus consurrectum est.* Non enim unice honoris caussa factum.

Pronique in verbera pendent. Similia vide apud Marklandum ad Statii Silv. V. ii. 115. Variavit Claudianus Nupt. Pallad. 113. *pronique manus in verbera tendunt.* Eleganter Seneca Agam. 114. *Da frena et omnem prona nequitiam incita.*

Vocemque inclusa volutant Litora. Schraderus difficultatem in vocabulo *inclusa* invenit. Coniicit enim *illisa*, *incussa*, *impulsa.* Sed litus erat inclusum nemore et collibus. Vox a nemore et collibus repulsa in litus volutatur.

Longa sulcant vada salsa carina. Ita plures et meliores Codices. Alii *longe carina*, *longae carinae.* Heynius abesse malebat. Wagnerus nihil mutare audet, quia sunt in Aeneide quaedam

Iamque propinquabant scopulo, metamque tenebant:
Cum princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis compellat voce Menoeten:
Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige gressum;
Litus ama, et laevas stringat sine palmula cautes;
Altum alii teneant. Dixit. Sed caeca Menoetes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas.
Quo diversus abis? iterum: pete saxa, Menoete,
Cum clamore Gyas revocabat, et ecce Cloanthum
Respicit instantem tergo, et propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyae scopulosque sonantis
Radit iter laevum interior, subitoque priorem
Praeterit, et metis tenet aequora tuta relictis.

additamenta otiosa. Praeterea ex antecedentibus repetendum putat *una sulcant*. Fortasse pro CARINA scribendum LACVNA. *Lacuna* proprie est quaevis apertura et hiatus. Apposite Varro de Re Rustica I. 29. *Qua aratrum vomere lacunam facit, sulcus vocatur*. Virgilius pro *longo sulco findunt, sulcant*, dicere potuit *sulcant longa lacuna*. Statim legimus: *subtrahitur solum*.

Quo tantum mihi dexter abis? Ut mox *diversus abis*. Valerius Fl. VI. 387. *Quoque, ait, hinc diversus abis?* Conf. Gronovius ad Statii Theb. VI. 223.

Huc dirige gressum. Alii *cursum*. Videntur antiquiores *gressum* de navi usurpasse, unde et Sallustius *naves transgressas* dixit. Asinius quidem Pollio reprehendebat. Sed ille et saepe in reprehendendo erat nimius, neque hic quaeritur, quid bonum sit, sed an Virgilius in *gressum* auctoritatem habuerit. Praeterea genus scribendi Sallustianum est antiquum, antiquum autem est Ennianum, et hoc poeticum. Nulla necessitas Virgilium cogebat, ut poneret *gressum*. Facile fuisset *huc dirige clavum*. Ita Gyas ipse vs. 177. *clavumque ad litora torquet*.

Litus ama. Ex poetis plerumque primam vocabulorum significationem discimus. *Amare* est *rem vel hominem arcte complecti*, non libens inde avelli, Graecum ἔχεσθαί τινος. Statius Theb. IX. 114. *Corpus amat, corpus servans circumque supraque Vertitur*.

Quo diversus abis? iterum: pete saxa. Varie interpungunt. *Abis iterum: iterum pete: iterum revocabat*. Malim: *Quo diversus abis? iterum, pete saxa*. Iterum tibi dico, pete saxa. *Revocabat* est, hoc clamore Menoeten a pelago ad saxa *revocabat*.

Tum vero exarsit iuveni dolor ossibus ingens;
Nec lacrimis caruere genae: segnemque Menoeten,
Oblitus decorisque sui sociumque salutis,
In mare praecipitem puppi deturbat ab alta;
Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister,
Hortaturque viros, clavumque ad litora torquet.
At gravis, ut fundo vix tandem redditus imo est,
Iam senior, madidaque fluens in veste, Menoetes,
Summa petit scopuli, siccaque in rupe resedit.
Illum et labentem Teucri, et risere natantem,
Et salsos rident revomentem pectore fluctus.
Hic laeta extremis spes est accensa duobus,
Sergesto Mnestheique, Gyan superare morantem.
Sergestus capit ante locum, scopuloque propinquat:
Nec tota tamen ille prior praeeunte carina;
Parte prior; partem rostro premit aemula Pristis.

Oblitus decorisque sui sociumque salutis. Servius: » Possumus intelligere *oblitus salutis suae socium*, id est gubernatorem. Possumus et *socium salutis oblitus*, pro sociorum, praecipitato scilicet gubernatore." Ovidius *sociorum salutem* imitatur Metam. III. 646. *Te scilicet omnis in uno Nostra salus posita est? Ait: et subit ipse, meumque Explet opus.* Sed *salus sociorum* amisso gubernatore non agebatur, etiamsi in saxis haererent, ut eventus docuit. Alia res fuisset in medio mari. Quare sic interpretor, ut Gyas nec suum decus nec vitam *sociorum*, *socii*, gubernatoris, curasse dicatur. Opposuit certe Menoeten periculo vitae in undis amittendae, et vix tandem ex imo fundo redditus est. Quam facile, iam senior, non potuit reddi?

Et salsos rident revomentem pectore fluctus. Vossius coniicit *risere vomentem:* alius *videre*. Heynio probabile visum, Tuccam et Varium non bene hunc versum reliquisse. Wagnerus cum Weicherto et Iahnio explicat: et antea riserunt eius lapsum, nunc rident vomitionem. Sed inter *lapsum* et *vomitionem* non tantum temporis intercessit, ut antea *riserint* et nunc *riderent*. Risus esse debuit fere continuatus, alioquin Menoetes periisset. Pro RIDENT mallem TREMVLO. Illum risere et labentem et natantem, *Et salsos tremulo revomentem pectore fluctus*. Pectus *tremulum* ex terrore et frigore.

At media socios incedens nave per ipsos
Hortatur Mnestheus: Nunc, nunc insurgite remis,
Hectorei socii, Troiae quos sorte suprema
Delegi comites; nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus usi,
Ionioque mari, Maleaeque sequacibus undis.
Non iam prima peto Mnestheus, neque vincere certo;
Quamquam o! sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti;
Extremos pudeat rediisse: hoc vincite, cives,
Et prohibete nefas. Olli certamine summo
Procumbunt: vastis tremit ictibus aerea puppis,
Subtrahiturque solum; tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit; sudor fluit undique rivis.
Attulit ipse viris optatum casus honorem.
Namque, furens animi, dum proram ad saxa suburguet

Hoc vincite, cives, Et prohibete nefas. Heinsius malebat: *O vincite cives.* Heynius *hoc* interpretatur *hactenus, saltem.* Wagnerus iungit, *hoc nefas*, nec putat *nefas* pronomine posse carere. Servius: »Loco victoriae sit, ultimos non redire." Recte puto. Et sic accepit Silius II. 228. ubi Iupiter ad Martem loquitur: *Te duce primitias pugnae, te magna magistro Audeat* (Scipio iuvenis), *et primum hoc vincat, servasse parentem:* haec prima Scipionis sit victoria, ut patrem servet. *Nefas* non necessario pronomen requirit. Prohibete, ne aliquid accedat, quod nefas sit, nobisque dedecori vertetur. Dubitari fortasse potest, an *vincere nefas* hac sententia Latinum sit. Significat enim *maius committere nefas.* Illud *extremos pudeat rediisse* habebat aliquid proverbiale, ex lusu puerili desumtum: Horat. Epist. ad Pisones, 417. *Occupet extremum scabies.* Sensit Virgilius, et gravitatem addidit, dicens: *o cives hoc vincite, et nefas prohibete.*

Optatum — honorem. Sunt vocabula quaedam Latina, quae ex nostri sermonis consuetudine metientes, non satis intelligimus. Ita *optatus* significat *ardenter cupitus.* Apparet vel ex eo, quod de *sponsis* frequenter adhibetur. Catull. Epithal. Pelei 375. *Quare, agite, optatos animi coniungite amores.* Vide Lachman. ad Propert. I. pag. 68. Atque hoc in scriptis veterum explicandis viri docti non semper tenuerunt, mutantes, quae mutanda non erant, et vim vo-

Interior, spatioque subit Sergestus iniquo:
Infelix saxis in procurrentibus haesit.
Concussae cautes et acuto in murice remi
Obnixi crepuere, illisaque prora pependit.
Consurgunt nautae, et magno clamore morantur;

cabulis tribuentes, quam suae cuiusque linguae usus simili vocabulo tribuit, vel, quod peius est, quae in recentiore Latinitate tribuitur.

Consurgunt nautae, et magno clamore morantur. Si verbum *morantur* deesset, omnia fluerent expedite. Nautae consurgunt, vel, magno clamore consurgunt, et expediunt sudes et contos. Illud *morantur* nemo explicare potuit. Unde, credo, fere sequitur, esse corruptum. Servius interpretatur *retro agunt;* Heynius, *haerent*, quippe dum navem retro agunt; Wagnerus habet *morantur* nimis iners verbum, iunctum cum *magno clamore;* itaque aut verbum esse nauticum, aut corrupta, certe non perpolita, illi haec videntur. *Morari proram*, quod ex antecedentibus assummendum est, vel adeo *navem morari*, non potest significare *retro agere*, sed significat cursum navis retardare, inhibere, sistere. Sed quomodo hoc facerent, quum prora in saxis iam haereret? *Ipsi morantur* magno clamore, haerent inter magnum clamorem, non recte iunguntur, neque satis apte *morantur* pro *haerent*, et iam intelligimus eos *haerere*, quorum navis haereat. Hoc esset *navis haeret et nautae haerent.* Si *morari* sit verbum nauticum, tamen notionem habere debet, et *morari* est *morari*, sive de re maritima sive de terrestri usurpes. Virgilius aliquod minus elaborati scribere potuit, sed non potuit scribere, quod nullam habet sententiam. Valerius Flaccus V. 28. eadem verba posuit: *Exanimum frustra Minyae clamore morantur, Avellique negant.* Sed ea verba longe aliud indicant, nimirum cadaver Tiphyos cunctantur rogo imponere, dum clamorem tollunt, quo extremum ave et vale mortuo dicebant. Sana ratio docet Virgilium in hoc casu Sergesti hunc rerum ordinem servasse: Sergestus proram nimis ad saxa urguet; cautes concutiuntur, remi strepunt; strepitu audito, socii consurgunt, et impetum navis retardant, *morantur*, sudes et contos expediunt. Sero erat. Infelix Sergestus haesit in saxis, et prora illisa pependit. Quapropter, sublato hemistichio *illisaque prora pependit*, haec ita collocanda esse arbitror: *Namque furens animi, dum proram ad saxa suburguet Interior, spatioque subit Sergestus iniquo: Concussae cautes, et acuto in murice remi Obnixi crepuere: Consurgunt nautae, et magno clamore moran-*

Ferratasque trudes et acuta cuspide contos
Expediunt, fractosque legunt in gurgite remos.
At laetus Mnestheus, successuque acrior ipso,
Agmine remorum celeri, ventisque vocatis,
Prona petit maria, et pelago decurrit aperto.
Qualis spelunca subito commota columba,
Cui domus et dulces latebroso in pumice nidi,
Fertur in arva volans, plausumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem; mox aere lapsa quieto
Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas:
Sic Mnestheus, sic ipsa fuga secat ultima Pristis
Aequora, sic illam fert impetus ipse volantem.
Et primum in scopulo luctantem deserit alto
Sergestum brevibusque vadis, frustraque vocantem
Auxilia, et fractis discentem currere remis.

tur (proram), *Ferratasque trudes et acuta cuspide contos Expediunt, fractosque legunt in gurgite remos. Infelix saxis in procurrentibus haesit.* Postrema, ut VI. 822. *Infelix, utcunque ferent ea facta minores.*

Ferratasque trudes. Alii *sudes. Trudes* igitur annumerandum brevibus, quae oriuntur a primitivis longis, ut *dux ducis* a *duco.*

Pelago decurrit aperto. Quintil. Inst. Orat. VII. 9. »*Sed ablativo ipsi inest naturalis amphibolia, ut* — coelo decurrit aperto: *utrum* per apertum coelum, *an* cum apertum esset." Nescio quem locum Virgilii Quintilianus voluerit. Aeneid. I. 155. legimus: *coelo invectus aperto.* Memoria, credo, cum fefellit.

Illam fert impetus ipse volantem. In Cod. Montalb. *volentem.* Heinsius quidem exemplis se illustravisse putavit. Sed *navi voluntatem* non recte tribuas. Similis est locus Ciceronis de Oratore I. 33. *Ut concitato navigio, cum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa navis motum et cursum suum, intermisso impetu cursuque remorum: sic in oratione perpetua, cum scripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua cursum, scriptorum similitudine et vi concitata.*

Fractis discentem currere remis. Heynius *experientem, conantem.* Malim *coactum.* Multa *discimus* facere, necessitate coacti, quae alioquin non faceremus. Virgilius Eclog. IV. 42. *Nec varios discet mentiri lana colores.*

Inde Gyan ipsamque ingenti mole Chimaeram
Consequitur; cedit, quoniam spoliata magistro est.
Solus iamque ipso superest in fine Cloanthus:
Quem petit, et summis adnixus viribus urguet.
Tum vero ingeminat clamor, cunctique sequentem
Instigant studiis, resonatque fragoribus aether.
Hi proprium decus et partum indignantur honorem
Ni teneant, vitamque volunt pro laude pacisci;
Hos successus alit: possunt, quia posse videntur.
Et fors aequatis cepissent praemia rostris,
Ni, palmas ponto tendens utrasque, Cloanthus
Fudissetque preces, divosque in vota vocasset:
Di, quibus imperium pelagi est, quorum aequora curro,
Vobis laetus ego hoc candentem in litore taurum

Proprium decus. Ammianus Marcellin. XVI. pag. 86. *Romanae maiestati reddere proprium decus.*

Vitamque volunt pro laude pacisci. Interpretes illud *volunt* tam diu tolerare potuisse, miror. *Volunt* significat, laudem revera emi non posse nisi vita, victoriam cum praesenti vitae periculo fuisse coniunctam. Sed hoc non ita erat. Cloanthus et socii vitam, si postularetur, potius amitterent, quam victoriam sibi eripi paterentur. Omnino scribendum est: *vitamque velint pro laude pacisci.* Sic legit Statius Theb. I. 316. *tenet una dies noctesque recursans Cura virum, si quando humilem decedere regno Germanum, et semet Thebis, opibusque potitum Cerneret, hac aevum cupiat pro laude pacisci.* Scholiasta imitationem iam animadvertit. Adde Iuvenalem Satyr. VI. 651. *spectant subeuntem fata mariti Alcestim, et, similis si permutatio detur, Morte viri cupiant animam servare catellae.*

Possunt, quia posse videntur. Quia putant se posse. Non desperare de victoria, est pars victoriae. Ea nimirum vis est opinionis nostrae ipsorum. Minus recte Servius: »Sperabant victoriam opinione spectantium."

Quorum aequora curro. Burm. ex Cod. (Mediceus quidem non est) citat *aequora curae.* Debuisset saltem: *Di, quorum imperium est pelagi, quibus aequora curae.* Sed ita bis idem dixisset poeta. Et usitatum satis est illud *aequora curro.* Vide Heinsium ad Ovidii Tristia V. vii. 36. *audet Graia Caphaream currere puppis aquam.*

Constituam ante aras, voti reus, extaque salsos
Porriciam in fluctus, et vina liquentia fundam.
Dixit, eumque imis sub fluctibus audiit omnis
Nereidum Phorcique chorus Panopeaque virgo;
Et pater ipse manu magna Portunus euntem
Impulit: illa noto citius volucrique sagitta
Ad terram fugit, et portu se condidit alto.
Tum satus Anchisa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna praeconis voce Cloanthum
Declarat, viridique advelat tempora lauro;
Muneraque in navis ternos optare iuvencos
Vinaque, et argenti magnum dat ferre talentum.
Ipsis praecipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Maeandro duplici Meliboea cucurrit;
Intextusque puer frondosa regius Ida·
Velocis iaculo cervos cursuque fatigat,

Velocis iaculo cervos cursuque fatigat. Heynius indicat haec non ad picturam spectare, sed tantum poetice esse interposita, cum in venatu raptus esset puer. Wagnerus ait: »Non aliter te expedies ex his tricis, quam fatendo bonum Virgilium hic dormitasse." Et tota Quaestio Virgiliana XXXX. Wagneri de Virgilio *aliquando dormitante* composita est. Ibi et de h. l. scripsit: »Non exputo, quomodo una in tabula repraesentatus fuerit Ganymedes et venationi intentus, ita ut ipsum currentem videas, et idem sublatus in aerem. Neutram rationem sequor." Satis constat, neque Heynius et Wagnerus ignoravere, veteres in vestibus acu pictis et in tabulis habuisse varia loculamenta, ubi variae res proponebantur. Saepe etiam eadem historia, vel idem homo, sed diversis temporibus proponebatur. Gesnerus ad Quintil. VI. 3. hoc pulchre illustravit exemplo Christiano de filio perdito apud Euangelistam Lucam, cuius adolescentis imago proponitur nunc a patre suo discedentis, nunc epulantis, pauperis, reducis. Idem ad Claudian. de Laud. Stilich. II. 347. divisionem istam maioris picturae in diversas quasi tabulas animadvertit. Claudianus dixerat: *residet fulgente puerpera lecto — Nymphae lavant*

Acer, anhelanti similis, quem praepes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis.
Longaevi palmas nequidquam ad sidera tendunt

susceptum puerum — putes audire vagitus — Iam creverat infans — avus tradit praecepta nepoti. Haec etiam sic proponuntur, quasi uno eodemque tempore gesta sint, si fortasse illud *iam creverat infans* exceperis. Quod tamen est tenuis admodum significatio loculamenti alterius. Sed loquitur Claudianus semper de eodem infante. Si res proponuntur diversae et maior est pictura, magis necessaria sunt vocabula quaedam, v. c. *tum, hinc, deinde, hic, illic, alia parte,* similia. Conf. Virgil. VI. 20. VIII. 630. Statius Theb. I. 548. Silius II. 406. In loco Virgilii de Ganymede vix requiritur. Et tamen facile nancisci possumus, si pro QVEM scribamus TVM. *Velocis iaculo cervos cursuque fatigat, Acer, anhelanti similis; tum praepes ab Ida Sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis. Tum,* mox, *deinde, iuxta, non procul inde.* Sic ipse Virgilius VI. 20. *In foribus letum Androgei; tum pendere poenas Cecropidae iussi.* Quod omnino idem est. Nam mors Androgei poenam Cecropidarum praecessit, ut venatus Ganymedis praecessit raptum. Virgilius bene scripsit *tum rapuit,* non *rapit.* Nam puer iam in altum raptus proponitur.

Quem praepes ab Ida Sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis. Si puer ad pedem montis Idae venaretur, et aquila sic ab Ida in eum irruisse diceretur, ferrem. Nunc pictus est ipse in Ida venatum exercens. Ergo non recte aquila ab eodem loco impetum facit. Est contra rei naturam, et, si nulla vis in repetito illo Idae nomine sentiri possit, ut sentiri non potest, repetitio accidit valde ingrata. Burmannus ad Anthol. Latin. T. I. pag. 272. primum emendaverat *ab alto.* Idque Heynius probat. Schraderus Emendat. pag. 154. scriptum fuisse putat *ab aethra,* et eam coniecturam cum Burmanno communicavit. Burman. in Addendis p. 733. iam *ab aethra* tentasse videtur. Et mirum hoc ei non prius in mentem venisse, quum eundem Claudiani locum ex Bello Gildon. 467. laudasset: *fulvusque Tonantis Armiger ab liquida, cunctis spectantibus, aethra Arreptum pedibus curvis innexuit hydrum.* Schraderus addidit Valerii Flacci I. 156. *Talia cantanti laevum Iovis armiger aethra Advenit, et validis fixam erigit unguibus agnam.* Adde Nemesiani Cyneg. 212. *Ignis radios tristi iaculatus ab aethra Phoebus.* Vera videtur Schraderi emendatio, et auctori etiam postea placuit, ut animadverti ex libello MS.

Custodes; saevitque canum latratus in auras.
At qui deinde locum tenuit virtute secundum,
Levibus huic hamis consertam auroque trilicem
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse
Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto,
Donat habere viro, *decus et tutamen in armis.*
Vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant
Multiplicem, connixi humeris; indutus at olim
Demoleos cursu palantis Troas agebat.
Tertia dona facit geminos ex aere lebetas
Cymbiaque argento perfecta atque aspera signis.
Iamque adeo donati omnes, opibusque superbi,
Puniceis ibant evincti tempora taeniis:
Quum saevo e scopulo multa vix arte revolsus,
Amissis remis, atque ordine debilis uno,
Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat.
Qualis saepe viae deprensus in aggere serpens,
Aerea quem obliquum rota transiit, aut gravis ictu
Seminecem liquit saxo lacerumque viator;
Nequidquam longos fugiens dat corpore tortus,
Parte ferox, ardensque oculis, et sibila colla
Arduus attollens; pars volnere clauda retentat
Nixantem nodis, seque in sua membra plicantem.

Decus et tutamen in armis. Otiosum additamentum, Virgilio non satis dignum. Ipsa *lorica* est genus armorum.

Cursu palantis Troas agebat. In duobus MSS. *pallentes.* Alterum imitatur Silius II. 161. *a moenibus actos Palantisque fuga praeceps ad litora cursu Egerat.*

Qualis saepe viae deprensus in aggere serpens. Saepe, in comparatione, idem fere quod *olim*, *quondam.* Heinsius tamen cogitabat de ablativo a *saepes.*

Sibila colla Arduus attollens. Ruhnkenius Epist. Crit. II. pag. 189. similibus locis illustravit, et Callimacheo ὄφις αἴολος αὐχέν' ἀνασχών.

Nixantem nodis. Prior lectio Medicei, quam vulgatae *nexantem* prae-

Tali remigio navis se tarda movebat;
Vela facit tamen, et velis subit ostia plenis.
Sergestum Aeneas promisso munere donat,
Servatam ob navem laetus sociosque reductos.
Olli serva datur, operum haud ignara Minervae,
Cressa genus, Pholoe, geminique sub ubere nati.
Hoc pius Aeneas misso certamine tendit
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant silvae mediaque in valle theatri
Circus erat; quo se multis cum millibus heros
Consessu medium tulit, exstructoque resedit.
Hic, qui forte velint rapido contendere cursu,
Invitat pretiis *animos*, *et praemia ponit.*

tulit Wagnerus, et explicat, *pars clauda retinet serpentem, quantumvis nodis nitatur.*

Vela facit tamen, et velis subit ostia plenis. Meliores Codices *plenis subit ostia velis.* Wagnerus alterum ordinem sequitur, quia, si *plenis* ponitur in medio versu, poeta videhitur aliquid diversum esse dicturus ab his *vela facit.* Bryantus autem versum delebat; repugnare enim superioribus, *vela velis* non placere, et iugulari comparationem appositam. Res inter se comparatas non semper sibi plane respondere, saepe, vel ex ipso Virgilio, apparet. Versum servari posse arbitror, si scribamus: *Vela facit tandem, et plenis subit ostia ventis.* Neque video quid hic *tamen* significet. Navis, ordine uno remorum debilis, tarde progreditur. Tamen vela facit. Melius: *navis tarde progreditur aliquamdiu: tandem socii, tarditatem non amplius ferentes, vela tollunt, et plenis ventis ostia subeunt.* Sive dicas *velis plenis*, sive *ventis*, eodem redit. *Plenos ventos* velis acipiunt, et *ventos plenis velis.* Ovid. II. Amor XI. 41. *Zephyri veniant in lintea pleni.* Lucanus XI. 683. *Saepe Noto pleno tensisque rudentibus actae.* Ita quidem Burmannus legendum putat. Vulgo *plenae.* Annotatio Heinsii ad Ovidii Epist. Pont. II. vii. 77. sic est emendanda: »Virgilius: *plenis subit ostia velis.* Ovid. VII. Metam. 491. *pleno concita velo Attica puppis adest.*"

Invitat pretiis animos, et praemia ponit. Parum castigate *invitat animos, qui velint cursu contendere.* Dura ellipsis *animos eorum* qui velint. *Pretia* et *praemia* non multum differunt. Suppleta puto ex huius

Undique conveniunt Teucri, mixtique Sicani;
Nisus et Euryalus primi:
Euryalus forma insignis viridique iuventa,
Nisus amore pio pueri; quos deinde secutus
Regius egregia Priami de stirpe Diores;
Hunc Salius simul et Patron: quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadio Tegeaeae sanguine gentis;
Tum duo Trinacrii iuvenes, Helymus Panopesque,
Assueti silvis, comites senioris Acestae;
Multi praeterea, quos fama obscura recondit.
Aeneas quibus in mediis sic deinde locutus:
Accipite haec animis, laetasque advertite mentis.
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnosia bina dabo levato lucida ferro
Spicula caelatamque argento ferre bipennem:
Omnibus hic erit unus honos. Tres praemia primi
Accipient, flavaque caput nectentur oliva:
Primus equum phaleris insignem victor habeto;
Alter Amazoniam pharetram plenamque sagittis
Threiciis, lato quam circumplectitur auro
Balteus, et tereti subnectit fibula gemma;
Tertius Argolica hac galea contentus abito.
Haec ubi dicta, locum capiunt, signoque repente

libri vs. 485. *Protenus Aeneas celeri certare sagitta Invitat, qui forte velint, et praemia ponit.*

Amore pio pueri. Recte Heynius de *amicitia et pietate* accipit. Et sic Valerius Flaccus IV. 2. *natique pios miseratus amores.*

Non donatus abibit. Sallust. B. Iugurth. 110. *Haud repulsus abibis.* Hegesippus Excid. Hieros. V. 27. *Haud quaquam mihi non donatus opimo abibit munere.*

Flavaque caput nectentur oliva. Variis coniecturis frustra tentatum, *alba*, *tonsa*, *pulchra*. Vere animadvertit Heynius, varia esse olivarum genera, et colorem diverso tempore diversum. Praeterea ex Aeschylo laudatur ξανθῆς ἐλαίας καρπός.

Corripiunt spatia audito, limenque relinquunt,
Effusi nimbo similes; simul ultima signant.
Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus
Emicat, et ventis et fulminis ocior alis.
Proximus huic, longo sed proximus intervallo,
Insequitur Salius; spatio post deinde relicto
Tertius Euryalus.
Euryalumque Helymus sequitur; quo deinde sub ipso
Ecce volat, calcemque terit iam calce Diores,
Incumbens humero; spatia et si plura supersint,
Transeat elapsus prior, ambiguumve relinquat.
Iamque fere spatio extremo, fessique, sub ipsam
Finem adventabant; levi cum sanguine Nisus
Labitur infelix, caesis ut forte iuvencis
Fusus humum viridisque super madefecerat herbas.

Simul ultima signant. Servius: „intuentur et notant ultima spatia aviditate vincendi."

Longo sed proximus intervallo. Hegesippus Excid. Hieros. II. 8. *Longo sed proximo intervallo praeteritus ac derelictus.*

Quo deinde sub ipso. Ingrata repetitio vocabuli *deinde*. Locus omnino non satis elaboratus, quod etiam ex hemistichio apparet. Melius in simili certamine Statius Theb. VI. 602. *Effugit hic oculos — quem deinde gradu premit — post tendunt — illis imminet.*

Calcemque terit iam calce Diores. Intellectu difficile est, quomodo Diores *calce calcem* Helymi triverit. *Trivit calcem* Helymi digitis pedis. Silius, Virgilium imitatus in toto certamine, XVI. 488. sq. magis perspicue: *Eurytus — primus abibat Praecedens spatiis. Instat non segnius acer Hesperos, ac prima stringit vestigia planta Praegressae calcis.* Hoc intelligimus.

Ambiguumve relinquat. Minus aptum huic rei verbum. Nam qui aliquem in cursu *relinquit* est *prior*. Melius Homericum ἀμφήριστον ἔθηκεν.

Sub ipsam Finem adventabant. Wagnerus *finem* interpretatur non de *meta*, sed de *loco*, unde cursum inceperant. De *meta* verius puto. Nam initio *ultima signant*. Sic *ultima* essent locus, ubi stabant. Tum Virgilius aliquid de cursu circum *metam* acto dixisset. Et *si plura spatia supersint*, ostendunt *metam* fuisse finem.

Hic iuvenis iam victor ovans vestigia presso
Haud tenuit titubata solo; sed pronus in ipso
Concidit immundoque fimo sacroque cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum:
Nam sese opposuit Salio per lubrica surgens;
Ille autem spissa iacuit revolutus arena.
Emicat Euryalus, et munere victor amici
Prima tenet, plausuque volat fremituque secundo.
Post Helymus subit, et nunc tertia palma Diores.
Hic totum caveae consessum ingentis, et ora
Prima patrum, magnis Salius clamoribus implet,
Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.
Tutatur favor Euryalum, lacrimaeque decorae,
Gratior et pulchro veniens in corpore virtus.
Adiuvat et magna proclamat voce Diores,
Qui subiit palmae, frustraque ad praemia venit
Ultima, si primi Salio redduntur bonores.
Tum pater Aeneas, Vestra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri; et palmam movet ordine nemo:
Me liceat casus miserari insontis amici.
Sic fatus, tergum Gaetuli immane leonis

Concidit immundoque fimo sacroque cruore. Parrhas. *crassoque.* Heynius repetitum putat ex vs. 469, *crassumque cruorem.* Videtur potius ortum ex male transpositis literis.

Spissa iacuit revolutus arena. Servius: »Tenui. Quanto enim quid minutius, tanto est densius." Servius igitur non legit *tenui*, sed *spissam* interpretatur *tenuem.* Ex ea interpretatione manasse videtur lectio Cod. Rottend. quod quam saepe acciderit, Wagnerus in Quaest. XVI. monstravit. Heynius *tenui* derivabat ex glossa, quam aliquis decori male providus intulerat. Salius autem prolapsus in os cecidit. Quare Virgilius non *revolutus*, sed *provolutus* dicere debuerat. *Revolutus* tamen habet rationem. Nam cecidit quidem in os, sed propter celeritatem motus totum corpus circumagitur, et ille in tergo iacuit, *revolutus* adeo et *resupinus.*

Tertia palma Diores. Variavit Statius Theb. VI. 326. *Amphiaraus spes proxima palmae.*

Dat Salio, villis onerosum atque unguibus aureis.
Hic Nisus, si tanta, inquit, sunt praemia victis,
Et te lapsorum miseret: quae munera Niso
Digna dabis? primam merui qui laude coronam,
Ni me, quae Salium, fortuna inimica tulisset.
Et simul his dictis faciem ostentabat et udo
Turpia membra fimo. Risit pater optimus olli,
Et clipeum efferri iussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.
Hoc iuvenem egregium praestanti munere donat.
  Post, ubi confecti cursus, et dona peregit:
Nunc, si cui virtus animusque in pectore praesens,
Adsit, et evinctis attollat brachia palmis.
Sic ait, et geminum pugnae proponit honorem:
Victori velatum auro vittisque iuvencum,
Ensem atque insignem galeam solatia victo.
Nec mora; continuo vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virum se murmure tollit:

Primam merui qui laude coronam. MSS. quaedam *meruit*. Sed Nisus *merui*, ut Θεμιστοκλῆς ἥκω, apud Thucyd. I. 137. Adde Gronovium ad Senecae Thyest. 180. Interea negari non potest, saepe personas mutari. Silius VI. 261. *At non spectator Marus inter talia segni Torpebat dextra: mea tanto in corpore monstri Hasta secunda fuit.* Ubi Burmannus *torpebam* emendat, aliis non consentientibus. Et tutius est sequi optimos Codices, neque negligere quid loci sententia postulet. Nam personarum mutatio saepe convenit irato et vehementer indignanti. Prudens ea de re est animadversio D'Orvillii ad Charitonem pag. 89.

Nunc, si cui virtus animusque in pectore praesens. Nunc, *si cui virtus est*, adsit, non *si cui virtus adsit*. Seneca Epist. 92. *Sed, si cui virtus animusque in corpore praesens, hic deos aequat, illo tendit, originis suae memor.* Seneca mutavit *sed*, ut versum suo consilio aptaret. *Corpore* et *pectore* in MSS. saepissime permutantur.

Nec mora; continuo vastis cum viribus effert. Notandum *nec mora*, iunctumque *continuo*. In MS. D'Orv. *cum* erasum est.

Solus qui Paridem solitus contendere contra,
Idemque ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten immani corpore, qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, et fulva moribundum extendit arena.
Talis prima Dares caput altum in proelia tollit,
Ostenditque humeros latos, alternaque iactat
Brachia protendens, et verberat ictibus auras.
Quaeritur huic alius: nec quisquam ex agmine tanto

Victorem Buten immani corpore. Wagnerus iungit *se ferebat veniens*, ornate pro *venerat.* Alteram rationem potius sequor: nempe, qui venerat ex gente Bebrycia, et se immani corpore ferebat. *Veniens* simpliciter indicat iter ex Bebrycia Troiam. *In itinere* se non ferebat immani corpore, illud non ostentabat, sed ostentabat incedens ad certamen. Ibi demum apparebat, qualis quantusque esset.

Fulva moribundum stravit arena. Ovidius Metam. X. 716. *fulva moribundum stravit arena.* Valerius Flaccus VI. 716. de arbore: *Venit hiems, magnaque evulsam tendit arena.* Virgil. Aen. IX. 589. *multa porrectum extendit arena.* Homo proceri corporis multam arenam occupat. Valerius loquitur de tenera arbore olivae, cuius primam frondem viderat agricola. Talis arbor non occupat *magnam* arenam, quod non cogitavit Burmannus qui comparavit cum vs. 553, *ingenti porrigit arvo.* Quare probo, quod in aliis MSS. invenitur, *nigraque evulsam tendit arena.*

Ostenditque humeros latos. Memorabile est, quod in Servianis legitur: »Melius dixisset *ostentatque.*"

Brachia protendens, et verberat ictibus auras. Wagnerus putat fortasse fore, qui malint *proludens*, nec tamen esse necessarium. Alteram versus partem variavit Valer. Flaccus I. 421. *in vacuos ut brachia ventos spargat.* Seneca Nat. Quaest. VII. 13. *Solvere ista, quid aliud est, quam manum exercere, et in ventum iactare brachia.*

Quaeritur huic alius. Ille, qui prodiit ut cum Darete pugnaret, recusatur, Dareti vel Aeneae non placet; ergo quaerunt *alium.* Atqui nemo prodiit. Et tamen *quaeritur huic alius* illud significat. Statius Theb. VI. 747. *Illum indignatur Capaneus, ridetque vocantem, Ut miserans, poscitque alium.* Capaneus *poscit alium*, ut secum pugilatu contendat. Hinc formula, *quaere alium.* Ovidius Amor. III. XI. 28. *Quaere alium pro me, qui queat ista pati.* Metam. V. 181. *Quaere alium tua quem moveant miracula.* Conf. Burmannus ad Petron. pag. 394.

Audet adire virum, manibusque inducere cestus.
Ergo alacris, cunctosque putans excedere palma,
Aeneae stetit ante pedes, nec plura moratus,
Tum laeva taurum cornu tenet atque ita fatur:
Nate dea, si nemo audet se credere pugnae,
Quae finis standi? quo me decet usque teneri?
Ducere dona iube. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidae, reddique viro promissa iubebant.
Hic gravis Entellum dictis castigat Acestes,
Proximus ut viridante toro consederat herbae:
Entelle, heroum quondam fortissime frustra,
Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona sines? ubi nunc nobis deus ille magister,
Nequidquam memoratus Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam, et spolia illa tuis pendentia tectis?
Ille sub haec: Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu; sed enim gelidus tardante senecta

Quaerendus erat Dareti non *alius*, sed *par*. Livius XXII. 27. *Illum in rebus asperis unicum ducem ac parem quaesitum Hannibali*. Seneca Hercule Furente 84. *quaeris Alcidae parem? Nemo est nisi ipse*. Iosephus Iscan. B. Troiano, V. 237. *Iam dextras undique miscent Et quaerit sibi quisque parem*. Quid tamen pro *alius* verosimiliter scribi possit, non video. *Quaeritur huic parilis*, non satis Latinum videtur.

Ex agmine tanto. MS. Rotteud. *toto*. Alterum et in omnibus aliis MSS. exstat, et elegantius est, et sic legit Sulpitius Severus Hist. I. pag. 177. *nemo ex tanto agmine aggredi audebat Goliathum*.

Nec plura moratus. Non bene cohaeret oratio, *nec plura moratus, Tum — tenet*. Cod. Erf. *moratur*. Hoc sequi malebat Heynius, et verba *atque ita fatur* delere. Pro *tum* in Hamb. erat *iam*, quod eleganter festinationem alacris iuvenis ostendere putat Burmannus. Latinum est: putans cunctos excedere palma, haud plura moratus, stetit ante pedes Aeneae. Loco, ubi nunc leguntur, non conveniunt. Possis etiam: *nec plura moratus, Dum laeva taurum cornu tenet, haec ita fatur*.

Dona sines? Tria MSS. *sinis*, quod Heinsio videtur elegantius. Est certe acerbius. In futuro magis cernitur dubitatio loquentis an sineret.

Sanguis hebet, frigentque effetae in corpore vires.
Si mihi, quae quondam fuerat, quaque improbus iste
Exsultat fidens, si nunc foret illa iuventas:
Haud equidem pretio inductus pulchroque iuvenco
Venissem; nec dona moror. Sic deinde locutus,
In medium geminos immani pondere cestus
Proiecit, quibus acer Eryx in proelia suetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.
Obstupuere animi: tantorum ingentia septem

Sanguis hebet. Imitatur Valerius Flaccus I. 51. *Si mihi, quae quondam, vires — Olim annis ille ardor hebet.*

In medium geminos immani pondere cestus Proiecit. Unde tam subito hos cestus? Nam spectatum venerat, non pugnatum.

Duroque intendere brachia tergo. Statim describit cestus Erycis, adeo ut hic langueat *duro tergo.* Neque aliud significari debuit, nisi simplex cestus, *quibus Eryx uti solebat.* Hoc dixit: *quibus acer Eryx in proelia suetus Ferre manum. Terga* sequuntur, accipienda de corio ipso cestuum. Hic positum esse videtur pro *loris.* Scripsisset, credo, Virgilius: *durisque intendere brachia loris.*

Obstupuere animi. Mirum in nullo MS. inveniri *animis.* Esset vehementius. Ita V. 529. *Attonitis haesere animis.* Vulgatum tamen vidit Statius Theb. VI. 732. *Ac dum nigrantia plumbo Tegmina cruda boum — induitur — Obstupuere animi, fecitque silentia terror.*

Tantorum ingentia septem Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant. Servius post *tantorum* distinguit, et interpretatur *virorum fortium.* Faber legebat: *totorum.* Burmanno arridet scriptura MS. Hamb. *Teucrorum.* Heynius putat, viros doctos non cogitasse *tantus* complecti particulam causalem, esse enim, ut Graecum τοῖος et τόσος, pro: *nam septem ingentia magnorum boum terga rigebant.* Vel sic tamen difficultates remanent. Sententia requiritur haec: *tantum, adeo, septem ingentia boum terga plumbo et ferro rigebant.* Magnitudo boum iam intelligitur ex *ingentia.* Causa horroris praecipue in *plumbo* et *ferro* cerni debet. Nunc unice ponitur in *tantis bovibus.* Praeterea *septem boum ingentia terga* iam ostendunt cestus tam inusitati ponderis et voluminis, ut ineptum sit addere *tantorum.* Pro TANTORUM INGENTIA mallem TANTO NIGRANTIA. Tantum plumbi et ferri erat insutum in tergis nigrantibus septem boum. Statius, loco iam laudato, *ni-*

Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant.
Ante omnis stupet ipse Dares, longeque recusat:
Magnanimusque Anchisiades et pondus et ipsa
Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.
Tum senior talis referebat pectore voces:
Quid, si quis cestus ipsius et Herculis arma
Vidisset, tristemque hoc ipso in litore pugnam?
Haec germanus Eryx quondam tuus arma gerebat.
(Sanguine cernis adhuc sparsoque infecta cerebro.)
His magnum Alciden contra stetit; his ego suetus,
Dum melior vires sanguis dabat, aemula necdum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.
Sed, si nostra Dares haec Troius arma recusat,
Idque pio sedet Aeneae, probat auctor Acestes:
Aequemus pugnas. Erycis tibi terga remitto;
Solve metus, et tu Troianos exue cestus.
Haec fatus, duplicem ex humeris reiecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque,

grantia cum *plumbo* iunxit. Virgilius de *atro boum corio* dixit, qui color in setis etiam nunc apparebat. Omnia pertinent ad augendum horrorem. Si Virgilius scripsisset *tantorum*, subiecisset potius *tanto* plumbo. Latinum est: *tantorum ingentia septem Terga boum tanto plumbo ferroque rigebant.*

Quid, si quis cestus ipsius et Herculis arma. Valerius Flaccus IV. 326. *Armaque ferre iuvat, fessasque attollere palmas.* Ubi scribendum puto: *cestusque exsolvere palmis.*

Aemula. Iuvencus Carm. I. *Aemula promissis obsistit talibus aetas.*

Idque pio sedet Aeneae. Et Aeneas hoc semel constituit, ita ut a proposito discessurus non sit. Sed ignoro, quid Aeneas constituerit. Versavit tantum huc illuc immensos cestus. Quid ipsi videretur, an aequum putaret paribus armis pugnari, non ostendit. Parum abest, quin mutandum censeam: *Idque pio placet Aeneae.*

Magna ossa lacertosque, Exuit. Et praecedit *exue cestus*, et dubito an probari possit *exuere artus, ossa, lacertos*, pro *exuere vestem ex artubus, ossibus, lacertis.* Praeterea vis est in tribus vocabulis, quae vis valde minuitur verbo illo *exuit.* Repete ad singula: *exuit* magnos membrorum

Exuit, atque ingens media consistit arena.
Tum satus Anchisa cestus pater extulit aequos.
Et paribus palmas amborum innexuit armis.
Constitit in digitos extemplo arrectus uterque,
Brachiaque ad superas interritus extulit auras.
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu,
Immiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt,
Ille pedum melior motu, fretusque iuventa,
Hic membris et mole valens; sed tarda trementi
Genua labant, vastos quatit aeger anhelitus artus.
Multa viri nequidquam inter se volnera iactant,
Multa cavo lateri ingeminant, et pectore vastos
Dant sonitus: erratque auris et tempora circum
Crebra manus; duro crepitant sub volnere malae.
Stat gravis Entellus, nisuque immotus eodem

artus, *exuit* magna ossa, *exuit* lacertos. Frigidum est *exuit*. Sed pro EXVIT scribe EXSERIT, tuto repetes, et vis apparet. Proprium est de *lacertis exseri*. Atque *lacerti* suffecisset. Adiecit *artus membrorum et ossa*, horroris caussa. Nam de solis *lacertis* omnia ista dicuntur. Ovid. II. Fast. 322. de Hercule — *ut posset vastas exseruisse manus*. Silius XII. 715. *Exsertos avidae pugnae nudata lacertos*. Claudianus Rapt. Pros. III. 377. *Cincta sinus, exserta manus, armata bipenni*. Ammian. Marcell. XIV. pag. 5. *Nec exsertare lacertos nec crispare permissi tela*. Sedul. Carmine Paschali. *Qui brachia nudis ostendunt exserta humeris*. Plautus Mil. Glor. IV. 4. dixit *brachio expapillato*, hoc est, a *papilla*, a pectore, ad quod vulgo quiescit, reiecto et exserto. Hinc fortasse emendanda est Glossa Placidi apud Maium: »*Effasilatus:* exerto humero hoc est *extra filum* manum proferens."

Constitit in digitos extemplo arrectus uterque. Quintil. Inst. II. 3. *statura breves, in digitos eriguntur*. Variavit Statius Theb. VI. 750. *Fulmineas alte suspensi corpora plantis Erexere manus*.

Pedum melior motu. Fronto ed. Maii pag. 532. *motu melior*. Et sic erat in Rottend.

Erratque auris et tempora circum Crebra manus. Statius I. Theb. 418. *Iam crebros ictus ora et cava tempora circum Ingeminant*.

Stat gravis Entellus, nisuque immotus eodem. Qui nititur non est

Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.
Ille, velut celsam oppugnat qui molibus urbem,
Aut montana sedet circum castella sub armis,

immotus sed *movetur*. Dixisset igitur poeta *eodem metu immotus*. Et Entellus corpore *moveri* debuit, quod declinaret, retraheret, et nunc in dextram nunc in sinistram partem converteret ad ictus adversarii vitandos. Neque is motus vel nisus erat *idem*, sed valde diversus, pro impetu et ictu qui a Darete veniebat. *Exit corpore tela* significat Entellum *moveri*. Quid sit corpore *niti*, optime ex Sallustio Belli Iug. 60. apparet: *Qui moenia defensabant, intenti proelium equestre prospectabant: ac, sicuti audiri a suis aut cerni possent, monere alii, alii hortari, aut manu significare, aut niti corporibus, et huc et illuc, quasi vitabundi, aut iacientes tela, agitare.* Hos nemo unquam dixerit *stare in moenibus nisu eodem immotos*, sed *vario nisu motos*. Quintilianus Declam. IX. 9. *O, quam sollicitus spectavi, quam attonita mente, quam simili corporis motu! Quoties ad infestum mucronem, quasi ipse peterer, me submisi!* In quibus *simili corporis motu* sunt interpretatio Sallustiani *niti corporibus et — agitare*. Virgilius igitur non scripsit, credo, NISV, sed VISV. *Stat gravis Entellus; visuque immotus eodem, Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.* Nulla animi perturbatio in vultu Entelli apparet. Stat; se tantum defendit, vigilat oculis, et evitat ictus. Interea suam occasionem exspectat. *Idem vultus* est animi tranquilli. Res nota de Socrate, qui, ut ait Seneca de Ira II. 6, *eundem vultum* solebat domum referre, quem domo extulerat. Statius Theb. V. 723. *Ille velut rupes immota saxea visu Haeret.* Quod Virgiliano perquam simile est.

Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit. Ambrosius Hexaem. VI. 8. *athleta es, minus vigilanti adspectu exeas.* De Offic. I. 9. *adversariorum declinat ictus, et vigilanti exit obtutu.* Ubi Benedictini, nescientes tamen esse imitationem Virgilii, recte defendunt *exit* ex contrario *venit in ictum*. Alia MSS. praebent *excipit*. Hegesippus de Excidio Hieros. V. 13. *Oculis vigilantibus lapidem praevidit, celerique corporis saltu lapsum evadit.*

Aut montana sedet circum castella sub armis. Hic versus plane contrarius est antecedenti. Qui *sedet*, nihil facit, nisi quod oppidanos includit, et fame ad deditionem cogere studet. Neque differunt *urbs celsa* et *castellum montanum*. Denique Dares recte comparatur cum eo qui urbem oppugnat, non cum eo qui circum castellum *sedet*.

Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum, et variis adsultibus irritus urguet.
Ostendit dextram insurgens Entellus, et alte
Extulit: ille ictum venientem a vertice velox
Praevidit, celerique elapsus corpore cessit.
Entellus vires in ventum effudit, et ultro
Ipse gravis graviterque ad terram pondere vasto
Concidit: ut quondam cava concidit aut Erymantho,
Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.
Consurgunt studiis Teucri et Trinacria pubes;
It clamor coelo, primusque accurrit Acestes,
Aequaevumque ab humo miserans attollit amicum.
At non tardatus casu neque territus heros
Acrior ad pugnam redit, ac vim suscitat ira;
Tum pudor incendit vires et conscia virtus;
Praecipitemque Daren ardens agit aequore toto,
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.

Nunc hos, nunc illos aditus. Virgilius utitur vocabulis, quae item ad oppugnandam urbem pertinent. Sunt tamen hic *aditus* in corpore Entelli. Statius Theb. VI. 751. *tuto procul ora recessu Armorum in speculis, aditusque ad vulnera clusi.*

Entellus vires in ventum effudit. Mire Valerius Flaccus IV. 273. *Ut deinde urguentes effudit nubibus iras Ardoremque viri:* pro effudit *in nubes.* Pollux ibi fugiendo Amycum fatigavit.

Gravis graviterque. Ut Graeci *μέγας μεγαλωστί*, ita Latini *gravis graviter* plerumque sine copula efferunt.

Concidit: ut quondam cava concidit aut Erymantho. Mira repetitio verbi *concidit.* Maluissem: *ut quondam cava montibus, aut Erymantho Aut Ida in magna, radicibus eruta pinus.*

Tum pudor incendit vires, et conscia virtus. Bryantus hunc versum importune interiectum putat, neque *vim* et *vires* laudat. Et mihi dudum fuit suspectus. *Suscitat vim* et *incendit vires* nihil differunt. *Tum* plane otiosum est. Virgilius potius scripsisset *Incenditque animum pudor*, vel simile. Fingi potuit ex X. 872. *aestuat ingens Uno in corde pudor — et conscia virtus.*

Nec mora, nec requies. Quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant: sic densis ictibus heros
Creber utraque manu pulsat versatque Dareta.
Tum pater Aeneas procedere longius iras,
Et saevire animis Entellum haud passus acerbis;
Sed finem imposuit pugnae, fessumque Dareta
Eripuit, mulcens dictis, ac talia fatur:
Infelix, quae tanta animum dementia cepit?
Non vires alias conversaque numina sentis?
Cede deo! *Dixitque, et proelia voce diremit.*
Ast illum fidi aequales, genua aegra trahentem,
Iactantemque utroque caput, crassumque cruorem
Ore eiectantem, mixtosque in sanguine dentes,

Versatque Dareta. Wakefieldus mutabat *vexatque.* Si exempla, a Burmanno ad Propertii III. IX. 1. et ab aliis laudata inspicias, non necessarium dices.

Non vires alias conversaque numina sentis? Vires *Entelli* interpretantur. Ego ipsius Daretis. Non sentis vires tuas in hoc certamine non fuisse easdem, quas habere solebas? Non tu hic idem eras, qui antea fuisti. Aeneas deo tribuit', ut hominem consolaretur, et addit: *cede deo.*

Dixitque, et proelia voce diremit. Odiosa repetitio antecedentium: *finem imposuit pugnae.* Pugnam cessavisse iam satis apparet, quum legimus: *haud passus longius iras procedere, Dareta eripuit.* Tum verum erat *dixit*, non *dixitque*, quod merito Heynium offendit. Wagnerus quidem explicat *que* significare rem statim secutam. Sed Aeneas facto iam proelium diremerat. Dicta tantum pertinent ad Dareta mulcendum.

Iactantemque utroque caput. Homericum αἷμα παχὺ πτύοντα, κάρη βαλλόνθ' ἑτέρωσε stat pro *iactantem.* Macrobius vidit *quassantem.* Heinsius coniicit *nutantem.* Displicebat ei *iactantem* ob sequens *eiectantem.* Heinsius recordabatur Silium sic esse locutum. Et Silius VI. 233. *Arduus ille super tumidis cervicibus altum Nutat utroque caput.*

Mixtosque in sanguine dentes. Med. a manu prima *mixtoque.* Idque Heinsio arridet, et probat Wakefieldus. Ac videtur habere aliquid exquisiti. Wagnerus vulgatum praefert, quia non *sanguis dentibus*, sed *dentes sanguini* sunt mixti, et affert Ovid. XII. Metam. 266. *Cumque atro mixtos sputantem sanguine dentes.*

Ducunt ad navis; galeamque ensemque vocati
Accipiunt: palmam Entello taurumque relinquunt.
Hic victor, superans animis, tauroque superbus:
Nate dea, vosque haec, inquit, cognoscite, Teucri,
Et mihi quae fuerint iuvenali in corpore vires,
Et qua servetis revocatum a morte Dareta.
Dixit, et adversi contra stetit ora iuvenci,
Qui donum adstabat pugnae; durosque reducta
Libravit dextra media inter cornua cestus,
Arduus, effractoque illisit in ossa cerebro.
Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.
Ille super talis effundit pectore voces:
Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo; hic victor cestus artemque repono.

Sed, quod ad significationem attinet, eodem redit, sive legatur *dentes sanguine mixti*, sive *sanguis dentibus mixtus*. Sanguis et dentes permixti sunt. Qnamquam *cruor* et *sanguis* differant, miror tamen Virgilium prius dixisse Daretem eiectasse *cruorem*, tum dentes mixtos in *sanguine*. Magis concinnum fuisset eiectasse *cruorem* et mixtos in *cruore* dentes. Hoc metro dedisse videtur. Nam *dentes mixtosque cruore* durum est. Caeterum Virgilio et locum Pindari ante oculos fnisse existimo. Erotianus hunc locum partim servavit, tractatum ab Heringa in Observ. cap. 14. *ἐξέπτυσε κεκραμέν' ἐν αἵματι*. Deest ibi aliquid in praecedentibus ad sensum perficiendum. Heringa putabat simile fnisse Virgiliano. Atque hic memini Aelianum alicubi narrare, pugiles saepe dentes in sanguine mixtos, ne vulnera faterentur, deglntire solitos.

Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis. Hominis anima *melior et illustrior* est victima, quam bovis. Eryci, magistro Entelli, gratior esse debuit victima Dares tam gloriosus. Speraverat Entellus se daturum animam adversarii iactantis. Scribendnm puto *meliore animam pro morte.* Contentus esto victima bove. Dignus eras meliore. Aeneas prohibuit. Sic est in Ovidio Fast. VI. 162. *Hanc animam vobis pro meliore damus.* Ibi exta *porcae* pro extis *pueri* dantur. Neque miramur Entellum, ira etiam incensum, ita loqui. Virgilius XII. 296. *Hoc habet: haec melior magnis data victima divis.* Homo in ara occiditur, in qua victima erat immolanda.

Protenus Aeneas celeri certare sagitta
Invitat, *qui forte velint, et praemia ponit;*
Ingentique manu malum de nave Seresti
Erigit, et volucrem traiecto in fune columbam,
Quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto.
Convenere viri, deiectamque aerea sortem
Accepit galea; et primus clamore secundo
Hyrtacidae ante omnis exit locus Hippocoontis;
Quem modo navali Mnestheus certamine victor
Consequitur, viridi Mnestheus evinctus oliva.
Tertius Eurytion, tuus, o clarissime, frater,
Pandare, qui quondam, iussus confundere foedus,
In medios telum torsisti primus Achivos.

Qui forte velint, et praemia ponit. Cur dubitaret, an futuri essent, qui sagitta vellent certare? Pro *ponit* in Gud. MS. *dicit.* Non hic est error scribentis, sed consilium interpolatoris novi, qui putavit hoc esse exquisitius.

Ingentique manu malum de nave Seresti Erigit. Coniiciunt *ingentique manus,* scilicet manus Aeneae; et *ingentemque.* Wagnerus iungere vellet *ingenti manu.* Et omnia, ait, in heroibus finguntur ingentia. Hic autem declaratur ingens vis et robur corporis in manuum operibus conspicuum. Servius accipit de *magna multitudine.* Vix illud Latinum est. Neque hic placet *ingens manus* Aeneae, tamquam herois. Deorum et heroum *manus magnae et ingentes* alia ratione dicuntur: neque Aeneas erat deus, neque heros, qualis v. c. *Hercules, Portunus, Tiberinus.* De his et similibus inveniuntur *manus ingentes.* Vide Burmannum ad Albinovani Eleg. I. 224. Si Virgilius Aenean finxisset, tamquam Herculem alterum, inusitato corporis robore et magnitudine excellentem, facile ferrem. Ita Aeneid. XI. 556. de Metabo, qui natam *dextra ingenti* trans fluvium librabat. Quare equidem mallem, quod Bothio in mentem venit, *Ingentemque manu malum;* quod cur ferri non possit ob sequens *malo ab alto,* ut putabat Wagnerus, non video. Nam *ab alto malo* non differt *ab summo malo,* a cacumine mali. Forma non dissimili Statius Achill. I. 487. *Ingentemque manu curvaret Delius arcum.*

Hyrtacidae. Quum Virgilius postea Nisum nominabat Hyrtaciden, non cogitabat, id nomen iam a se fuisse occupatum.

Extremus galeaque ima subsedit Acestes,
Ausus et ipse manu iuvenum tentare laborem.
Tum validis flexos incurvant viribus arcus
Pro se quisque viri, et depromunt tela pharetris.
Primaque per coelum nervo stridente sagitta
Hyrtacidae iuvenis volucris diverberat auras;
Et venit, adversique infigitur arbore mali.
Intremuit malus, timuitque exterrita pennis
Ales, et ingenti sonuerunt omnia plausu.
Post acer Mnestheus adducto constitit arcu,
Alta petens, pariterque oculos telumque tetendit.
Ast ipsam miserandus avem contingere ferro
Non valuit; nodos et vincula linea rupit,
Quis innexa pedem malo pendebat ab alto:
Illa notos atque atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus iamdudum arcu contenta parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit,
Iam vacuo laetam coelo speculatus; et alis
Plaudentem nigra figit sub nube columbam.

Iuvenum tentare laborem. Cod. Mediceus a manu prima *iuvenem.* Heinsius non vidit. Alioquin sine dubio commendasset. Et commendari potest, tamquam multo exquisitius. Ipse Heinsius ad Ovidium de hoc adiectivo saepe egit.

Volucris diverberat auras. Med. *deverberat.* Donatus *alas*, nempe columbae. Sed ita, pro *et venit*, scribendum esset *ut venit*, quod animadvertit Heynius.

Infigitur. D'Orvillianus *infringitur.* Heynius appellat lapsum non infelicem.

Tum rapidus iamdudum arcu contenta parato. Wagnerus desiderat Virgilianam structurae facilitatem et elegantiam. Maluisset: *fratre Eurytion in vota vocato*, nisi praecederet *parato.* Igitur credit Virgilium haec in emendandis reliquisse. Mihi non vero simile videtur, poetam in re adeo minuta haesisse. Quam facile erat: *At rapidus, iamdudum arcu contenta parato Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit: Tum vacuo laetam coelo speculatus et alis Plaudentem, nigra figit sub nube columbam.*

Decidit exanimis, vitamque reliquit in astris
Aetheriis, fixamque refert delapsa sagittam.
Amissa solus palma superabat Acestes:
Qui tamen aerias telum contendit in auras,
Ostentans artemque pater arcumque sonantem.
Hic oculis subitum obiicitur magnoque futurum
Augurio monstrum: docuit post exitus ingens,
Seraque terrifici cecinerunt omina vates.

Vitamque reliquit in astris Aetheriis. Schraderus Observ. I. 3. coniicit *in auris.* Idem conieceram, motus etiam loco Quintiliani, Declam. XIII. pag. 278. *apis in altum tollitur, vitamque in aura relinquit.*

Fixamque refert delapsa sagittam. Variavit Seneca Hippol. 816. *Aut si tela modo spargere Partico In coelum placeat; nulla sine alite Descendent, tepido viscere condita.*

Ostentans artemque pater arcumque sonantem. Bene Heinsius ex optimis MSS. Alia *artem pariter.* Acestes autem et peritiam arcus tractandi, et ipsam arcus praestantiam ostendit. Ea praestantia cernitur in sonitu. Sonant omnes, sed alius alio melius.

Magnoque futurum Augurio monstrum. Monstrum nunc accidit, et *est* augurium, non *futurum est.* Aeneas quoque *omen non abnuit.* Nemo unquam sic locutus est, nec loqui potuit. Scribendum: *magnoque futuri Augurio monstrum.* Obiicitur oculis subitum monstrum, et quod erat pro magno augurio rerum, quae acciderent. Statius VI. Theb. 936. sq. locum Virgilii ante oculos habebat. Aliquis sagittam in arborem dirigit. Sagitta retro repercussa fere in pharetram dirigentis redit. Statius haec praemisit: *Fata patent homini: piget inservare, peritque Venturi promissa fides. Sic omina casum Fecimus.* Possumus, ait, si modo animum advertimus, futura ex omnibus cognoscere: sed ex ominibus facimus casum. Sic perit *fides venturi*, ut Virgilii *augurium futuri.* Duces apud Statium varie interpretantur: *penitus latet exitus ingens, Monstratumque nefas. Uni remeabile bellum Et tristis domino spondebat arundo recursus.*

Seraque terrifici cecinerunt omina vates. Si Virgilius augurium explicavisset, ut fecit Statius, sciremus quid voluisset. Nunc interpretes variis modis explicant. Rem sic se habere puto. Aeneas pro laeto omine accepit. Itaque Acesten magnis muneribus eximie cumulavit. Acestes erat Troianus. In sagitta Acestae, quae in nubibus arsit, spectabatur gloria

Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signavitque viam flammis, tenuisque recessit
Consumta in ventos: coelo ceu saepe refixa
Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt.
Attonitis haesere animis, superosque precati
Trinacrii Teucrique viri: nec maximus omen
Abnuit Aeneas; sed laetum amplexus Acesten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
Sume, pater; nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auspiciis exsortem ducere honorem.
Ipsius Anchisae longaevi hoc munus habebis,
Cratera impressum signis, quem Thracius olim

Troianorum in Sicilia, seu Troianae posteritatis, hoc est, Romanorum. Ingens exitus postea docuit. Vates, non sine terrore audientium, diu post omina illa in carminibus suis memoravere, et gloriam Romanorum, sed non sine multa caede ac sanguine parandam, praedixerunt. Virgilius, credo, respicit antiqua vatum Romanorum carmina, qualia olim multa ferebantur, inprimis carmina Marcii. Hunc Marcium iam vixisse puto brevi ante bellum Punicum primum. Livius XXV. 12. fragmenta duorum carminum servavit. In uno praedixit cladem Cannensem. Eundem opinor cecinisse de bello Punico primo. Huius autem belli praecipua sedes fuit Sicilia. Nec dubito, quin Marcius omen illud de sagitta Acestae ex Graeco aliquo poeta acceperit; Virgilius vel ex eodem Graeco, vel ex ipso Marcio sumere potuit. Alibi plura de Marcio dixi. Repetam hic versus illius ex Livio in hexametrum genus a me redactos: *Cannam Romane, admoneo, fuge Troiugena amnem. Ne te conserere in campo Argivi Diomedis Pugnam alienigenae cogant, et cernere ferro. Sed neque tu credes mi, donec sanguine campum Compleris, tuaque occisa amnis millia multa Frugifera ex terra in magni ponti ferat aequor. Piscibus alitibusque ferisque colentibu' terras Iis fuat esca caro tua. Enim mihi sic Iovi fatu' est.* Virgilius talia de Sicilia videre potuit. Vates autem cecinerunt *sera omina*, *serius*, diu postquam hoc in Sicilia acciderat. Ita Silius VI. 290. *pii vates — nos violasse manu seris monuere periclis.* Simile exemplum e Valerio Flacco attulerat Wagnerus. Servius *sera* interpretatur *gravia*. Nonnulli recentiores eam significationem deinde ex Servio propagaverunt. Falso, ut exempls inspicientibus apparebit.

Anchisae genitori in magno munere Cisseus
Ferre sui dederat monumentum et pignus amoris.
Sic fatus cingit viridanti tempora lauro,
Et primum ante omnis victorem appellat Acesten.
Nec bonus Eurytion praelato invidit honori;
Quamvis solus avem coelo deiecit ab alto.
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit;
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
At pater Aeneas, nondum certamine misso,
Custodem ad sese comitemque impubis Iuli
Epytiden vocat, et fidam sic fatur ad aurem:
Vade age, et Ascanio, si iam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum,
Ducat avo turmas, et sese ostendat in armis,
Dic, ait. Ipse omnem longo decedere circo

Nec bonus Eurytion praelato invidit honori. Marklandus in Epist. Crit. pag. 106. emendat *honoris.* Posses etiam *praelato invidit honore:* invidit Acestae, *praelato in honore*, quod ad honorem attinet. Sic certe Livium accipiebat Gronov. II. 40. *non inviderunt laude sua mulieribus viri.* Ubi Drakenborchius tamen neque Livium neque aequales sic loqui arbitratur. Adde Cortium ad Lucani VII. 798. *Invidet igne rogi miseris.* Sed in Virgilio nihil mutare praestat. Nam *honos Acestae* praelatus est *honori Eurytionis.* Aeneas praetulit honorem Acestae honori Eurytionis. Potuisset Virgilius *praelato invidit honorem*, ut omnes veteres dixisse affirmat Quintil. Instit. IX. 3. Vide et Heynium et Wagnerum.

Fidam sic fatur ad aurem. MSS. quaedam *in aurem.* Non invenustum vocat Heinsius. Burmannus distinguit, ut *in aurem* sit aliquid insusurrare, ne alii audiant, *ad aurem*, ad fidum hominem, quem dicto pariturum sciebat. *In aurem dicere* minus significat, nempe *clam aliquid dicere cuicunque*, ne alii audiant. Quare raro epitheton additur. *Ad aurem*; *apud aurem* dicere saepe additum habet epitheton, et significat, *dicere rem gravis momenti*, quum alii non adsunt. Ita saepe Tacitus. Si veteres hoc discrimen observaverint, dicerem Virgilium scripsisse *in aurem.* Nam neque soli erant Aeneas et Epytides, neque res tanti momenti, ut ab omnibus audiri nollet. Nisi eos subito spectaculo percellere voluerit.

Infusum populum, et campos iubet esse patentis.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis: quos omnis euntis
Trinacriae mirata fremit Troiaeque iuventus.
Omnibus in morem tonsa coma pressa corona.
Cornea bina ferunt praefixo hastilia ferro;
Pars levis humero pharetras; it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmae, ternique vagantur
Ductores; pueri bis seni quemque secuti
Agmine partito fulgent, paribusque magistris.
Una acies iuvenum, duxit quam parvus ovantem
Nomen avi referens Priamus; tua clara, Polite,
Progenies, auctura Italos: quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis; vestigia primi
Alba pedis, frontemque ostentans arduus albam.
Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini;

Omnibus in morem tonsa coma pressa corona. Heynios explicat *coronati*, corona super galeam imposita. Comam tamen vel sic a corona, (non a galea) *pressam* dici, quatenus haec caput ambiebat. Equidem arbitror *pressa* hic longe aliud significare. *Premere comam* est *fluentem coercere*, colligare. Coma alioquin subter galeam per humeros fluitaret. Ramulus olivae impediebat. Virgilius Georg. I. 157 *ruris opaci Falce premes umbras.* Servius: *coartabis*, *compesces*. Aeneid. IV. 147. *mollique fluentem Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro.* Ita Quintilianus Instit. X. 1. figurate Homerum appellat *laetum ac pressum*, quod vere ex Virgilio et eleganter interpretatur Gesnerus.

Flexilis obtorti per collum circulus auri. Gros de Boze Explicat. Inscript. Taurob. pag. 34. volebat *obtorti et:* vix enim aliter versum intelligi posse. Fallitur, inquit Hemsterhusius: »Sensus est integer, nulloque supplemento, quod numerum corrumpit, fulciendus."

Una acies iuvenum. Mallem *prima*. Opponitur *cetera pubes*. Haec etiam erat *acies*, sed extrema. Silius XV. 715. *Procerae stabant Celtarum signa cohortes, Prima acies.*

Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo.
Extremus, formaque ante omnis pulcher, Iulus
Sidonio est invectus equo, quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum et pignus amoris.
Cetera Trinacriis pubes senioris Acestae
Fertur equis.
Excipiunt plausu pavidos, gaudentque tuentes
Dardanidae, veterumque agnoscunt ora parentum.
Postquam omnem laeti consessum oculosque suorum
Lustravere in equis: signum clamore paratis
Epytides longe dedit, insonuitque flagello.
Olli discurrere pares, atque agmina terni
Diductis solvere choris, rursusque vocati
Convertere vias, infestaque tela tulere.
Inde alios ineunt cursus aliosque recursus
Adversi spatiis, alternosque orbibus orbes
Impediunt, pugnaeque cient simulacra sub armis:
Et nunc terga fuga nudant; nunc spicula vertunt
Infensi; facta pariter nunc pace feruntur.
Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum caecis iter, ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi

Trinacriis. Pleraque MSS. *Trinacriae*, etiam Medic. Latinum est *pubes Trinacriae*, ut Aeneid. VIII. 120. *Dardaniae duces.* Sed loci sententia aliud poscit.

Diductis solvere choris. In Med. et aliis nonnullis legitur *deductis.* Recte Wagnerus alterum edidit. Agmina solvuntur, choris in varias partes diductis, discretis.

Adversi spatiis, alternosque orbibus orbes. Alii ex aliis MSS. *Adversis spatiis alternisque orbibus.* Wagnerus hoc bene repudiavit et propter sonum minus gratum, et Latinitatem non adeo poeticam.

Terga fuga nudant. Fugiendo, dum fugiunt. Male alii *fugae.* Vide Wagnerum.

Mille viis habuisse dolum. Parrhas. *mille dolis habuisse viam.* Minus ornate.

Falleret indeprensus et irremeabilis error.
Haud alio Teucrum nati vestigia cursu
Impediunt, texuntque fugas et proelia ludo,
Delphinum similes, qui per maria humida nando
Carpathium Libycumque secant.
Hunc morem cursus atque haec certamina primus
Ascanius, Longam muris quum cingeret Albam,
Retulit, et priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes.
Albani docuere suos; hinc maxima porro
Accepit Roma, et patrium servavit honorem;
Troiaque nunc, pueri Troianum dicitur agmen.
Hac celebrata tenus sancto certamina patri.
Hic primum Fortuna fidem mutata novavit.

Carpathium Libycumque secant. Hic in multis MSS. additur *Induntque per undas.* In optimis MSS. desunt ea vocabula. Aptum caeteroquin verbum Grammaticus legerat, siquidem cursus iste proprie *lusus Troia* appellatur.

Hunc morem cursus. Alii *hos cursus.* Meliora MSS. *hos* omittunt. Pronomen ter in uno versu ita positum, ut ubique sub ictum cadat, merito offendit Wagnerum. Praeterea poetae sic loqui solent, quum rem aliquam magna cum vi proponunt. Nulla autem vis significatur in simplici moris alicuius commemoratione. Aliud est, ubi ipse Euander Aeneid. VIII. 185, animo erga Herculum grato commotus, dicit: *non haec solemnia nobis, Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram.*

Retulit. Instauravit, eodem cursus egit. Ovidius Fast. IV. 144. *texit sua corpora myrto. Tuta fuit facto: vosque referre iubet.* Claudian. Laud. Stilich. I. 328. *Neglectum Stilicho per tot iam saecula morem Retulit.* Seneca Troad. 777. Virgilium respicit: *nec stato lustri die Solemne referens Troici lusus sacrum Puer citatas nobilis turmas ages.*

Troiaque nunc, pueri Troianum dicitur agmen. Hic mos cursus nunc dicitur *Troia; pueri*, quamquam Romani, dicuntur *Troianum agmen.*

Hic primum Fortuna fidem mutata novavit. Heynius: *mutata novavit*, pro *mutavit*, ornate. Latinum, credo, est: *Fortuna, mutata fidem, novavit. Novavit*, absolute, puta *res*, praesentem rerum statum fecit peiorem. Simili ratione dicitur *Fortuna turbavit.*

Dum variis tumulo referunt solemnia ludis:
Irim de coelo misit Saturnia Iuno
Iliacam ad classem, ventosque adspirat eunti,
Multa movens, necdum antiquum saturata dolorem.
Illa, viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli visa, cito decurrit tramite virgo.
Conspicit ingentem concursum, et litora lustrat,
Desertosque videt portus classemque relictam;
At procul in sola secretae Troades acta
Amissum Anchisen flebant, cunctaeque profundum
Pontum adspectabant flentes. Heu! tot vada fessis
Et tantum superesse maris! vox omnibus una.
Urbem orant; taedet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias sese haud ignara nocendi
Coniicit, et faciemque deae vestemque reponit:
Fit Beroe, Tmarii coniunx longaeva Dorycli;

Nulli visa, cito decurrit tramite virgo. Signum distinctionis melius abesset. Decurrit, in terram venit, et a nemine conspiciebatur.

Et litora lustrat. Heynius malebat *ut litora lustrat.* Merito Wagnerus reiicit.

Vox omnibus una. Omnes referunt ad vocabula *tantum maris superesse!* Fortasse melius iungeutur, *vox omnibus una: urbem orant*, ut una omnium vox sit *urbem orantium.* Iris eam vocem mox arripit, facitque orationis argumentum.

Coniicit, et faciemque deae vestemque reponit. In duobus MSS. *coniecit*, quod mihi non displicet. *Coniecit*, et, postquam coniecerat, statim reponit. Potuisset alioquin Virgilius: *Coniicit atque deae faciem vestemque reponit.*

Tmarii coniunx longaeva Dorycli. Nomen Dorycli iam apud Homerum in Iliade II. invenitur. Erat filius nothus Priami, ab Aiace in bello Troiano occisus. Idem nomen apud alios memoratur. Vide interpretes ad Valerium Flaccum, II. 149. Apud poetas Romanos, ut hic, nihil in eo veri est. Virgilius sumsit, ut Beroe haberet maritum. Beroe vs. 646 vocatur *Rhoeteia*, hoc est, Troiana. Habere potuit maritum ex Thracia. Et erant fortasse connubia, et alia necessitudo, inter Thracas et Troianos. Filiam Priami uxorem habebat rex Polymnestor. Sed

Cui genus et quondam nomen natique fuissent;
Ac sic Dardanidum mediam se matribus infert:
O miserae, quas non manus, inquit, Achaica bello
Traxerit ad letum patriae sub moenibus! o gens
Infelix, cui te exitio Fortuna reservat?
Septima post Troiae excidium iam vertitur aestas,
Cum freta, cum terras omnis, tot inhospita saxa,
Sideraque emensae ferimur; dum per mare magnum
Italiam sequimur fugientem, et volvimur undis.
Hic Erycis fines fraterni, atque hospes Acestes:
Quis prohibet muros iacere, et dare civibus urbem?
O patria, et rapti nequidquam ex hoste Penates,
Nullane iam Troiae dicentur moenia? nusquam

Doryclus iste Troiae habitavit. Uxor, sive maritus ante obsidionem sive in expugnatione interierit, fuit inter comites Aeneae. Ita Virgilius nihil contra veri similitudinem finxit.

Cui genus et quondam nomen natique fuissent. Interpretantur *genus*, *nomen et natos* fuisse causam, cur Iris Beroen simulaverit. *Cui fuissent* adeo, pro *cum ei fuissent*. Versus tamen est non elegans, et quo facile careamus. Nec video, an *genus* et *nati* satis differant. Tum credibile est et alias matronas habuisse maritos et filios. Iris eam simulasse videtur, et quod nunc aberat, aegra scilicet, ut narratur vs. 651, et quod aetatem habebat maxime provectam.

Sideraque emensae ferimur. Nonnulli Codices *ferimus*, *tulimus*. Et hoc esset facilius. Licet *patimur* magis usitatum. Valerius Flaccus V. 197. *Tot freta, — tot — sidera passis — fave.* Conf. et ibi Burmannus, et ad Ovidii Amor. I. IX. 13. *Sidera* dicit pro *tempestates*. Vide eundem ad Ovidii Metam. V. 281. et Schulting. ad Senecae Suasor. III. Oratio autem sic ordinanda: *Cum emensae omnia freta et omnes terras, patimur tot saxa inhospita et sidera.*

Quis prohibet muros iacere, et dare civibus urbem? In Gothano tantum erat *Quis prohibet muros?* Wagnerus edidit *quis*, alii *quid*. Heinsius ad Ovidii Heroid. X. 88. ubique *quid vetat*, *quid prohibet*, praefert, et in Virgilio ex fide optimorum Codicum sic esse scribendum dicit. Ad ipsum Virgilium nihil annotavit. Si exempla consideres, longe plura ostendunt *quid*. Et *quid* mihi videtur vehementius. *Nihil* prohibet, plus significat, quam *nemo* prohibet.

Hectoreos amnis, Xanthum et Simoenta, videbo?
Quin agite, et mecum infaustas exurite puppes.
Nam mihi Cassandrae per somnum vatis imago
Ardentis dare visa faces. Hic quaerite Troiam;
Hic domus est, inquit, vobis. Iam tempus agi res;
Nec tantis mora prodigiis. En quatuor arae
Neptuno. Deus ipse faces animumque ministrat.
Haec memorans, prima infensum vi corripit ignem,
Sublataque procul dextra connixa coruscat,
Et iacit. Arrectae mentes, stupefactaque corda
Iliadum. Hic una e multis, quae maxima natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
Non Beroe vobis, non haec Rhoeteia, matres,

Hectoreos amnis. MSS. quaedam *manes*, literis errore scribentis transpositis. Amnis *Hectorei*, mire dictum pro *Troiani*. Aliud est *Hectorei socii*, nam revera fuerant Hectoris socii. Malnissem *Dardanios* vel *Pergameos*.

Hic domus est, inquit, vobis. Quid, si *esto* scribamus? Hic quaerite Troiam, hanc Siciliam facite vobis domum. Cassandra non poterat dicere, hanc *esse domum*, nisi mentiri vellet. Et matres Troianae postea haerent *inter amorem praesentis terrae fatisque vocantia regna.*

Iam tempus agi res. Puto haec verba etiam Cassandrae tribuenda. Solae estis. Incendite naves. Utimini occasione. Continuat Beroe: Et nihil obstat, quominus statim istis prodigiis pareamus; en quatuor arae. Pro *agi* Codex Rom. et alii *agit.* Schol. Statii Theb. V. 140. *agit rem.* Sed verba huius Scholiastae saepe corrupta sunt in citandis poetarum exemplis; et in ipso Statio, qui Virgilium respexit, potius legerim: *dum tempus agi rem, Consulite: en validis spumant eversa lacertis Aequora.* Tempus *rem agit*, longe aliud significat, quam *tempus est rem agi.* Hoc: iam opportuna adest occasio rei gerendae, quam nisi accipiamus, postea sero revocabimus. Ita Claudian. Rapt. I. 218. *rem peragi tempus.* Tempus *rem agit*, vel *affert*, vel *ipsum agit*, efficit, nobis quiescentibus, *res ipsa*, *sponte*, *sine opera nostra*, *perpetrabitur.*

Non Beroe vobis. Multi Codd. *nobis.* Melius. Et tam Pyrgo erat Troiana, quam, quas alloquitur, neque ipsa minus quam aliae naves incendi cupiebat.

Est Dorycli coniunx. Divini signa decoris,
Ardentisque notate oculos; qui spiritus illi,
Quis voltus, vocisque sonus, vel gressus eunti.
Ipsa egomet dudum Beroen digressa reliqui
Aegram, indignantem, tali quod sola careret
Munere, nec meritos Anchisae inferret honores.
Haec effata.
At matres primo ancipites oculisque malignis
Ambiguae spectare ratis miserum inter amorem
Praesentis terrae, fatisque vocantia regna:
Quum dea se paribus per coelum sustulit alis,
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Tum vero attonitae monstris actaeque furore,
Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem;
Pars spoliant aras, frondem ac virgulta facesque
Coniiciunt. Furit immissis Volcanus habenis

Haec effata. In Puget. legitur *effa-ta.* D'Orvil. *haec est fata.* In Gothan. deerat hemistichium. Credo esse additamentum Grammatici. Nec requiritur, imo elegantius abesset. Ita et Heynius opinatur.

Focis penetralibus. Ea pars litoris, in quo stabat Aeneae classis, habitata fuisse videtur a Siciliensibus. Erant ibi domus. Beroe in una domuum aegra iacebat. Ex his igitur domibus rapuere ignem. *Foci penetrales* etiam legitur apud Catull. LXVIII. 102. *Ad quam tum properans fertur simul undique pubes Graeca penetrales deseruisse focos.* *Penus* est locus interior, ut in templo Vestae, et in aedibus privatis, ubi recondebatur annona, ubi erat focus et dei *penates.* A *penus* est forma producta *penitus*, *penitro*, *penitralis*. *Penus*, ait Scaevola apud Gellium N. A. IV. 1. *quod non in promptu sint* (quae reconduntur), *sed intus et penitus habeantur.* Melius profecto quam Cicero de Nat. Deor. II. 27. Ut autem in eo litore erant aedes Siciliensium, ita videntur fuisse et arae Neptuni, in quibus sacra fiebant quotidiana. Virgilius hoc de suo tempore, certe de tempore diu post Aenean sumere potuit. Sicilienses coloni in variis oris ad mare et templa et aras condiderant.

Furit immissis Volcanus habenis. Perverse imitatur Sulpitius Severus Hist. pag. 563. *Totis habenis regnabat incendium.*

Transtra per et remos, et pictas abiete puppis.
Nuntius Anchisae ad tumulum cuneosque theatri
Incensas perfert navis Eumelus; et ipsi
Respiciunt atram in nimbo volitare favillam.
Primus et Ascanius, cursus ut laetus equestris
Ducebat, sic acer equo turbata petivit
Castra; nec exanimes possunt retinere magistri.
Quis furor iste novus? quo nunc, quo tenditis, inquit,
Heu miserae cives? non hostem, inimicaque castra
Argivum; vestras spes uritis. En, ego vester
Ascanius: galeam ante pedes proiecit inanem,

Pictas abiete puppis. Interpretantur *puppes ex abiete*, quae habebant in prora pictum parasemum, imaginem, figuram, unde navis nominabatur. Sed Virgilius totam navem per partes indicavit, *transtra*, *remos* (latera) et *puppim*. Ergo et *puppis* proprie est accipienda. Et puppis *picta* habet deos tutelares. *Abiete* minus eleganter inter *pictus* et *puppes* ponitur. Videntur enim *pictae ex abiete*, quod ineptum. Idem Schradero displicuit, corrigenti *factas*, *textas*, *aggere*. Corruptum puto *abiete*. Quid sit scribendum, non video.

Vestras spes uritis. Rottend. *spes vestras uritis.* Fieri potest, ut Virgilius turbatam Ascanii mentem in metro duriore ostendere voluerit. Caeterum compara Ovid. Metam. XIII. 94. *puppes, spem vestri reditus.*

Galeam ante pedes proiecit inanem. Ut scilicet a mulieribus agnosceretur. Hirtius de B. Afric. 16. *Tum miles:* iam me, qui sim, intelliges. *Simul cassidem de capite deiecit, ut cognosci ab eo posset.* Servius *galeam inanem* explicat *concavam*, *vacuam*, sine capite. Burmannus, dicens Horatium I Carm. XVIII. ita *larvam* appellare *vacuum verticem*, sententiam poetae non perspexit. Ego semper putavi illud *inanem* habere aliquid ridiculi. Apparet ex Serviano *sine capite.* Et tamen ita est. Nam *inanis galea* opponitur *plenae*. Silius X. 146. *Ense metit rapido; plenamque (heu barbara virtus!) Abscissi capitis galeam, ceu missile telum, Conversis in terga iacit.* Statius Theb. IX. *Interdum galeasque rotat per nubila plenas.* Ioseph. Iscan. B. Troiano V. 252. *in auras Contorquet plenum galea caput.* Sic Claudian. Rapt. III. 218. *galeam implet*, pro *capiti imponit.* Ridiculum, inquam, epitheton *inanis*, quia coniunctum est cum cogitatione galeae *plenae*, et Ascanius ipse galeam *cum capite* proiicere non poterat. Invenio

Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.
Accelerat simul Aeneas, simul agmina Teucrum.
Ast illae diversa metu per litora passim
Diffugiunt; silvasque, et sicubi concava furtim
Saxa, petunt. Piget incepti, lucisque; suosque
Mutatae agnoscunt, excussaque pectore Iuno est.
Sed non idcirco flammae atque incendia vires
Indomitas posuere: udo sub robore vivit
Stuppa vomens tardum fumum, lentusque carinas
Est vapor, et toto descendit corpore pestis;
Nec vires heroum infusaque flumina prosunt.

quidem apud Ovidium Fast. IV. 209. *Pars clypeos rudibus, galeas pars tundit inanes.* Sed ibi hoc positum, ad maiorem vim sonitus indicandam, ut brevi ante dixerat *inania tympana,* et proverbio significatur: *inania dolia plurimum strepunt.* Pro INANEM Virgilius scribere potuit AENAM. Ovid. Metam. VII. 121. *galea tum sumit aena Vipereos dentes.* Apud Homerum saepe χαλκείη et χαλκοπάρῃος.

Sicubi concava furtim Saxa, petunt. MS. Witt. *surgunt*, pro *furtim.* Heynius vocat errorem non infelicem. Iungenda autem, quod nemo non videt, *furtim petunt saxa*, sicubi *sunt saxa concava.* Neque ullum distinctionis signum apponam.

Suosque Mutatae agnoscunt, excussaque pectore Iuno est. Iuno, quae pectora Troadum *intraverat*, nunc *excutitur.* Vide interpretes ad Silii III. 697. Silius saepe Virgilium hic imitatur. Loca indicavit Wagnerus. Idem alia forma adhibuit, et *mentem* ipsam appellavit *excussam*, II. 592. Perspicua etiam est imitatio Claudiani Eutrop. II. 518. *Mutati stupuere diu, sensuque reducto Paullatim proprii mirantur monstra furoris.*

Lentusque carinas Est vapor. Ovid. Metam. II. 811. *herbis — Quae neque dant flammas lentoque vapore cremantur.* Vide Heinsium.

Nec vires heroum. Nulla, ut videtur in Cod. varietas; tamen *heroum* non esse verum arbitror. Omnes sine dubio Troiani summas vires intenderunt, ut incendium restinguerent. Exemplo fuit Aeneas, et caeteri duces. Troiani nusquam *heroes*, neque duces, in simplici narratione, cuncti *heroes* appellantur. Melius, credo, legeretur vel *vires humanae*, vel *vires Teucrorum.* Neutrum a vulgata lectione multim abit, utrumque aptiorem praebet sententiam. Non *vires humanae:* itaque Aeneas vocat auxilio deos.

Tum pius Aeneas humeris abscindere vestem,
Auxilioque vocare deos, et tendere palmas:
Iupiter omnipotens, si nondum exosus ad unum
Troianos, si quid pietas antiqua labores
Respicit humanos, da flammam evadere classi
Nunc, Pater, et tenuis Teucrum res eripe leto.
Vel tu, quod superest, infesto fulmine morti,
Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra.
Vix haec ediderat, quum effusis imbribus atra
Tempestas sine more furit, tonitruque tremiscunt
Ardua terrarum et campi; ruit aethere toto
Turbidus imber aqua densisque nigerrimus austris;
Implenturque super puppes; semiusta madescunt
Robora; restinctus donec vapor omnis, et omnes,
Quatuor amissis, servatae a peste carinae.
At pater Aeneas, casu concussus acerbo,
Nunc huc ingentis nunc illuc pectore curas

Si nondum exosus ad unum Troianos. Silius VI. 102. *si culmina nondum Tarpeia exosus damnasti sceptra Quirini, Extremas Italum res Ausoniamque ruentem Adspice.*

Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra. Cod. Vratisl. *tua meque obrue dextra.* Wakef. malebat *me mitte.* Recte Wagnerus pronomen ex *mereor* repetendum iudicat. Postrema pars versus in uno Cod. Hamburg. deest.

Effusis imbribus. In Goth. *nubibus.* Elegantius, quia mox sequitur *turbidus imber.*

Nunc huc ingentis, nunc illuc pectore curas Mutabat versans. Primum dubitari potest, an fortasse scribendum sit *ingenti.* Curae *ingentes* universe dicuntur, de omni variarum curarum mole, quando non diserte additur, quae res praecipua causa sit. Ita mox sequitur: *Tum vero in curas animum diducitur omnis.* Aen. I. 208. *curisque ingentibus aeger Spem voltu simulat, premit alto corde dolorem. Ingenti pectore* est idem, quod Aeneid. IV. 448. *magno persentit pectore curas. Magnum* et *ingens* est Aeneae pectus, qui necessitatem fati praeponebat praesenti vitae otio. Deinde videndum, quid sit *mutabat versans curas.* Heinsius ad Ovidii Metam. XIII. 937. dictum pu-

Mutabat versans: Siculisne resideret arvis,
Oblitus fatorum, Italasne capesseret oras.
Tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaque insignem reddidit arte,
Haec responsa dabat, vel quae portenderet ira
Magna deum, vel quae fatorum posceret ordo.
Isque his Aeneam solatus vocibus infit:

tat, ut qui *latus mutant*. Sed *latus* ipsi mutamus, cubantes modo in dextram, modo in sinistram partem. Aeneas autem mutat *curas*. Heynius *mutat versans* dictum censet pleniore ore pro simplice *versat*. Ergo, quasi legeretur *versat et mutat*, vel *mutat et versat*. Sed sic alterum utrum satis otiosum est. Neque usquam inveni coniunctum *versans*, semper solum, *versat curas in pectore*, vel *iactat*. Aeneid. I. 227. *tales iactantem in pectore curas;* I. 657. *nova pectore versat consilia.* Adde quod *curas mutare* significat etiam *aliis post alias curis sollicitari*, magna curarum serie vexari. Hic autem *unae* erant curae, maneret an abiret. In eo unice haerebat. Veteres in tali dubitatione, utrum ex duobus eligant, vulgo utuntur imagine *lancis*. Unicus Terentii locus pro multis est. Legimus Andriae I. v. 31. *Dum in dubio est animus, paullo momento huc illuc impellitur.* Talem imaginem Virgilio hic ante oculos fuisse obversatam, apparet ex vocabulis *nunc huc nunc illuc*, eumque scripsisse puto NVTABAT pro MVTABAT. *Nunc huc ingenti nunc illuc pectore curas Nutabat versans.* Curas in pectore ingenti versabat, et animo dubio nunc huc nunc illuc *nutabat*, *inclinabat*. Ita plane Ovidius Metam. X. 375. *Sic animus vario labefactus vulnere nutat Huc levis atque illuc, momentaque sumit utroque.* Adde Valer. Flacci VII. 153. *His ubi nequidquam nutantem Colchida curis Iuno videt.* Statius Theb. VIII. 614. *Nutat utroque timor, quemnam hoc certamine victum, Quem vicisse velint.*

Haec responsa dabat, vel quae portenderet ira. Orationem facies lenius progredientem, mutando: *Et responsa dabat.* Tum Nautes, quem Pallas docuit, et qui responsa dare solebat in dubiis rebus, easque vel ira deorum vel fato accidere interpretabatur, iste igitur Nautes Aeneam sic alloquitur. *Iram deorum* et *fatum* eodem modo distinxit Claudian. B. Get. 171. *seu fata vocabant Seu gravis ira deum.*

Isque his. Pronuntiandum *hiis*. Deerat autem totus versus in MS. Hugen.

Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur.
Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.
Est tibi Dardanius divinae stirpis Acestes:
Hunc cape consiliis socium et coniunge volentem;
Huic trade, amissis superant qui navibus, et quos
Pertaesum magni incepti rerumque tuarum est;
Longaevosque senes, ac fessas aequore matres,
Et quidquid tecum invalidum metuensque pericli est,
Delige; et his habeant terris sine moenia fessi:
Urbem appellabunt permisso nomine Acestam.
Talibus incensus dictis senioris amici;

Quo fata trahunt. Ita saepe Valerius Flaccus, ut III. 220. *Cyzicus hic aciem vanis discursibus implet, Fata trahens.* Ubi scribendum potius *implet: Fata trahunt.* Fata enm iam trahebant. Iam morti erat destinatus.

Superanda omnis fortuna ferendo est. Verbum *est*, in nonnullis MSS. non invenitur. Wagnerus distinguit, fortuna ferendo *superanda*, esse generalem sententiam, *superanda est*, referri ad rem praesentem. Credo rem sese ita habere, et multa in veterum scriptis ad hanc rationem esse mutanda. Nam imperiti librarii verbum substantivum saepe intruserunt.

His habeant terris sine moenia fessi. Maluissem aliud adiectivum, quia praecedit *fessas aequore matres.* Potuisset *lassi.* Sic vocabula saltem essent diversa.

Urbem appellabunt permisso nomine Acestam. Servius explicat *permisso ab Acesta.* Heynius, *Acestae esse permissum*, urbem de suo nomine appellare. Igitur *permisso ab Aenea.* Melius. Aeneas cedebat honorem ingentem Acestae. Erat enim vere ingens honos κτίστων, qui post mortem saepe ut divi colebantur. De nomine coloniae dando non semel oriebantur discordiae, quas interdum sic evitabant, ut Apollo consultus responderet se esse conditorem: hoc narravit Diodorus XII. pag. 501. de Thuriis. Fortasse hinc oppidum in Sicilia *Νωνύμνα*, *urbs sine nomine* dicta, quia de nomine non conveniebant. Hic Nautes senior Aenean admonuit, nomen urbis permitteret Acestae. Lactantius Institut. I. 22. aliam caussam addidit: *Simile quiddam in Sicilia fecit Aeneas, cum conditae urbi Acestae hospitis nomen imposuit, ut eam postmodo laetus ac libens Acestes diligeret, augeret, ornaret.* Dixerat Nautes: *permitte nomen Acestae*, ut Horatius *permitte Divis caetera.*

Tum vero in curas animum diducitur omnis.
Et nox atra polum bigis subvecta tenebat:
Visa dehinc coelo facies delapsa parentis
Anchisae subito talis effundere voces:
Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,
Care magis; nate, Iliacis exercite fatis;
Imperio Iovis huc venio, qui classibus ignem
Depulit, et coelo tandem miseratus ab alto est.
Consiliis pare, quae nunc pulcherrima Nautes
Dat senior: lectos iuvenes, fortissima corda,
Defer in Italiam. Gens dura atque aspera cultu
Debellanda tibi Latio est. Ditis tamen ante
Infernas accede domos, et Averna per alta
Congressus pete, nate, meos. Non me impia namque
Tartara habent, tristesve umbrae; sed amoena piorum
Concilia Elysiumque colo. Huc casta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.
Tum genus omne tuum, et, quae dentur moenia, disces.
Iamque vale: torquet medios Nox humida cursus,
Et me saevus equis Oriens afflavit anhelis.
Dixerat: et tenuis fugit, ceu fumus, in auras.
Aeneas, Quo deinde ruis? quo proripis? inquit,
Quem fugis? aut quis te nostris complexibus arcet?
Haec memorans cinerem et sopitos suscitat ignis;
Pergameumque Larem, et canae penetralia Vestae,
Farre pio et plena supplex veneratur acerra.
Extemplo socios primumque arcessit Acesten,
Et Iovis imperium et cari praecepta parentis
Edocet, et quae nunc animo sententia constet.

Saevus equis Oriens afflavit anhelis. Valerius III. 213. *trepidam*

Phaeton afflavit ab alto Tisiphonen.

Haud mora consiliis, nec iussa recusat Acestes.
Transscribunt urbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos nil magnae laudis egentes.
Ipsi transtra novant, flammisque ambesa reponunt
Robora navigiis; aptant remosque rudentisque;
Exigui numero, sed bello vivida virtus.
Interea Aeneas urbem designat aratro,
Sortiturque domos; hoc Ilium, et haec loca Troiam
Esse iubet. Gaudet regno Troianus Acestes,
Indicitque forum, et patribus dat iura vocatis.
Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliae, tumuloque sacerdos
Ac lucus late sacer additur Anchiseo.
Iamque dies epulata novem gens omnis, et aris
Factus honos: placidi straverunt aequora venti,
Creber et adspirans rursus vocat Auster in altum.
Exoritur procurva ingens per litora fletus;
Complexi inter se noctemque diemque morantur.

Ipsi transtra novant, flammisque ambesa reponunt Robora navigiis. Quod flammis *ambesum est*, non reponitur, sed *tollitur*, pro eo aliud integrum ponitur, *integrum reponitur*. Fortasse scribendum: *Ipsi transtra novant flammis ambesa, reponunt Robora navigiis.* Et *que* aberat in Voss. alt. Wall.

Robora navigiis. Perversa est in nonnullis distinctio: *navigiis aptant remosque rudentesque.*

Exigui numero. In Moret. *numeri*. Licet non verum putem, Latinum tamen est, diciturque de *militibus*. Conf. interpretes ad Sueton. Vespas. 6.

Sortiturque domos. Recte Wagnerus pro *sortitus* restituit, et vere explicat *Ilium* esse ipsam urbem, *loca* regionem.

Indicitque forum, et patribus dat iura vocatis. Duplex, ni fallor, regium munus. Iubet populum *convenire*, ut de variis rebus deliberet, indicit adeo concionem populi, et *convocat senatum*, et in senatu ipse dat iura, ius exercet cum senatu.

Placidi straverunt aequora venti. Tranquillitas stravit ipsum aequor. Fere ut Graeci: *ἡ γαλήνη ἐστόρεσε τὴν θάλασσαν.*

Ipsae iam matres, ipsi, quibus aspera quondam
Visa maris facies, et non tolerabile numen,
Ire volunt, omnemque fugae perferre laborem.
Quos bonus Aeneas dictis solatur amicis,
Et consanguineo lacrimans commendat Acestae.
Tris Eryci vitulos, et Tempestatibus agnam,
Caedere deinde iubet, solvique ex ordine funem.

Ipsae iam matres, ipsi. Nonnulla MSS. et Nonius: *Ipsae iam matres, ipsae* Probat Heinsius. Et ego verum puto. Versus 770 *Quos bonus Aeneas dictis solatur amicis* non obstat. Nam in masculino et cuncti significantur, viri et feminae, et masculinum praecessit *complexi inter se.* Atque illa: *quibus aspera quondam visa maris facies, et non tolerabile numen*, magis pertinent ad mulieres, quam ad viros senes. Erant in his, quos taederet magni incepti, et metuentes periculorum, sed metu maris solae mulieres leguntur correptae. Praeterea vis est in repetito *ipsae — ipsae.* Repetitio *ipsae — ipsi* minus grata accidit. Virgilius potuisset: *Ipsae iam matres, matres:* ut Silius XI. 462. *Hunc etiam mater, tota comitante sororum Aonidum turba, mater mirata canentem.* Praeterea *ipsi* hoc habet incommodum, quod in viris plus timoris ostenderetur, quam in feminis.

Non tolerabile numen. Alii Codd. *nomen.* Codices in tam parvo literulae discrimine non est quod moremur. Heynius *nomen*, Wagnerus *numen* praetulit. Praefero *nomen.* *Numen Maris* (nam si *Mare* deus est, maior esse debet prima litera vocabuli) nusquam legitur, neque *Mare* tamquam divina persona proponitur. Si exta *in mare* porriciuntur, hoc fit non *Mari*, sed maris deo, Neptuno praecipue. Virgilius dixerat *aspera maris facies;* si voluisset deum, dixisset *Oceani facies*, vel alterius nominis, quod pro deo usitatum erat. Neque duplicem imaginem in eodem versu admittere possumus de eodem subiecto, faciem *aquarum* et numen *Aquarum.* Altera lectio *non tolerabile nomen* facilis est et Latina, sive accipias: cuius ne nomen quidem sine horrore andiebant, ut Ovidius Heroid. XIII. 53. *Ilion et Tenedos Simoisque et Xanthus et Ide, Nomina sunt ipso pene timenda sono;* sive construas; *quibus facies maris visa erat aspera et nomen non tolerabile*, quod fere idem est, *atque aliquid non tolerabile*, res non tolerabilis. In quo tamen illud *nomen* propriam vim non plane amittit, ut neque Graecum ὄνομα.

Solvique ex ordine funem. Bene quidem Wagnerus interpretatur *alium post alium* solvere. Sed non video

Ipse, caput tonsae foliis evinctus olivae,
Stans procul in prora pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntis.
Certatim socii feriunt mare, et aequora verrunt.

caussam huius ordinis, nisi portus fuisset adeo angustus, ut una modo navis intrare et exire potuerit. Mallem *ex litore*. Frequens est *religare funem litore*, et *solvere ex* vel *ab litore*. Et in Cod. Walliano sic legitur.

Caput tonsae foliis evinctus olivae. Non conveniunt interpretes quid sint folia *tonsae olivae*. Wagnerus ad Georg. III. 21. explicavit: *decerptis maximis foliis folia minora eiusdem longitudinis esse relicta*; hoc velle Servium. Servius ad Aeneid. V. 556. *Tonsa, composita:* ad h. l. *comtae, minutis foliis;* ad Georg. III. 21. *minutis foliis compositae*. Equidem hic primum credo Servium non scripsisse *comtae*, sed *compositae:* deinde, ad Georgica, non *minutis foliis compositae*, sed *minutis foliis*, *compositae*. *Compositum* etiam omne illud dicitur, quod est *par et aequale*, *nitidum*, decorum, non diffluens, neque horridum. Tum *corona minutis foliis*, habens folia, quae minuerunt, totonderunt, cum cura composuerunt, ut folia non exstarent, sed aequali ordine caput ambirent. Et ipsae arbores in *tonsas* et *intonsas* discernuntur: *tonsae*, cura hominum in hortis coluntur, et externa species observatur: *intonsae*, sicuti natae sunt relinquuntur, neglectae. Annotavit quaedam Burmannus ad Quintil. Instit. VIII. 3. quibus adde Fronton. ed. Maii pag. 371. ubi comparat arbores cum muliere, quae, *ut magis freta est facie, ita facilius artem et capillum negligit: myrtum buxumque ceteraque tonsilia arbusta atque virgulta summa diligentia et studio radi, rigari, comi solita; humi reptare, aut ibidem haud procul a solo cacumina erigere: et illas intonsas abietes, neglectasque piceas caput aemulum nubibus abdere*. Ut *arbores*, ita *coronae* sunt vel *tonsae* vel *intonsae*. *Intonsas* gestant v. c. rustici, *tonsas* urbani et elegantiores. Hinc Statius Silv. IV. vii. 10. scripturus carmen tenue et exigui spiritus, minus comtum et elaboratum, figurate dixit: *nunc ab intonsa capienda myrto serta*. Nectere volebat ille amico suo corollam *myrti intonsae*, ex foliis myrti intonsis; Aeneas gestabat corollam ex foliis *olivae tonsis*. *Intonsa* corona adeo est *rudis*, negligenter plexa: corona *tonsa*, est composita, *eleganter plexa*, foliis ad eandem normam et magnitudinem tonsis.

At Venus interea Neptunum exercita curis
Alloquitur, talisque effundit pectore questus:
Iunonis gravis ira, nec exsaturabile pectus,
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnis:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla;
Nec Iovis imperio fatisve infracta quiescit.
Non media de gente Phrygum exedisse nefandis
Urbem odiis satis est, nec poenam traxe per omnem:
Reliquias Troiae, cineres atque ossa peremtae

Nec exsaturabile pectus. Praecedit *pectore.* Ergo Schraderus emendat *nec exsaturabile numen.*

Preces descendere in omnis. Servius *ad omnes.* Et observat, tam in vocabulo *omnes* quam in *descendere* significari preces etiam *humiles. Descendere*, ut *decurrere ad preces*, usitatius est, et significatio non plane eadem, quae est in *descendere in omnes preces. Descendit ad omnes preces*, qui cogitur spem in precando quosvis reponere — *descendit in omnes preces*, qui omnis generis preces tentat, modo has modo illas, haeret et fluctuat inter preces, quas cuius modi facturus sit.

Media de gente Phrygum. Servius: *urbem totius gentis potentem.* Hoc Burmannum retinere potuisset ab sua interpretatione *vilem plebem*, quod iure reprehendit Heynius.

Reliquias Troiae, cineres atque ossa peremtae Insequitur. Locus varie interpungitur et explicatur. Mihi dura videtur tot substantivorum coacervatio: *reliquias, cineres et ossa Troiae.* Tum *peremtae* hic nimis a *Troiae* divulsum est. Pro *traxe* in quibusdam MSS. *traxere*, et aliae corruptelae, unde facile conficias fuisse olim *traxisse*, ut habent et Medic. a. m. prima, et praeter Med. quatuor. Ita *nec* omitti debet, et omissum est: et vulgo editum, *poenam traxisse per omnem Reliquias Troiae: cineres atque ossa peremtae Insequitur:* Quid Virgilius scripserit, dictu difficile est. Scribere potuit, et multo elegantius, et cum gradatione quadam, ut vis furoris magis magisque crescere videatur: *Non media de gente Phrygum exedisse nefandis Urbem odiis satis est: poenam traxisse per omnem Reliquias ardet: cineres atque ossa peremtae Insequitur.* TROIAE ab ARDET literis transpositis non multum abit. Potuit ex *ardet* facile *Troiae* nasci, quia necessaria videbatur substantivi repetitio. Sed non est necessaria. Ac vide gradationem in nostra lectione: *urbem*, *reliquias*, *cineres et ossa*, *non satis est* exedisse, *ardet* traxisse, *in-*

Insequitur. Caussas tanti sciat illa furoris.
Ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis,
Quam molem subito excierit. Maria omnia coelo
Miscuit, Aeoliis nequidquam freta procellis,
In regnis hoc ausa tuis.
Per scelus ecce etiam Troianis matribus actis
Exussit foede puppis; et classe subegit
Amissa socios ignotae linquere terrae.
Quod superest, oro, liceat dare tuta per undas
Vela tibi! liceat Laurentem attingere Thybrim!
Si concessa peto, si dant ea moenia Parcae.
  Tum Saturnius haec domitor maris edidit alti:
Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis,
Unde genus ducis. Merui quoque; saepe furores
Compressi et rabiem tantam coelique marisque.
Nec minor in terris, Xanthum Simoentaque testor,
Aeneae mihi cura tui. Quum Troia Achilles
Exanimata sequens impingeret agmina muris,
Millia multa daret leto, gemerentque repleti
Amnes, nec reperire viam atque evolvere posset
In mare se Xanthus: Pelidae tunc ego forti
Congressum Aenean, nec dis nec viribus aequis,

sequitur cineres. Imago petita est a corpore humano, quod pestis et tabes *exedit*, cuius etiam reliquias consumere ardet, nec cineres et ossa relinquit. In *peremtae* recte intelligitur *urbis* ex praegresso *urbem* Troiam. Et gravius est *urbem de media gente Phrygum*, non addito Troiae nomine.

Liceat dare tuta per undas Vela tibi. Si Neptunus Veneri diceret: *Licet dare tuta per undas Vela tibi*, nihil reprehenderem. Nam Venus est patrona Troianorum: quod Veneri licet, licet Troianis. Heynius malebat *tuas*. Conieci *vela mihi*. Waguerus interpretatur *tibi*, *per te*, tua opera, quantum per te licet. Sed exempla *tibi floret ager*, *tibi rident aequora*, huic nostro non sunt similia.

Nube cava rapui: cuperem quum vertere ab imo
Structa meis manibus periurae moenia Troiae.
Nunc quoque mens eadem perstat mihi: pelle timorem.
Tutus, quos optas, portus accedet Averni.
Unus erit tantum, amissum quem gurgite quaeret;
Unum pro multis dabitur caput.
His ubi laeta deae permulsit pectora dictis:
Iungit equos auro genitor, spumantiaque addit

Nube cava rapui. Et periculo eripui, et longe ab acie alio transtuli. Vide Wagnerum, qui recte praetulit alteri scripturae *eripui*. Ego confirmaveram loco Livii IV. 28. *An deum aliquem protecturum vos rapturumque hinc putatis?*

Unus erit tantum. MS. Venetum et edd. *tamen*, quod Heynio placet. Heinsius volebat *tanto*. Repetita syllaba *um* offendisse viros doctos videtur. Forma versus est Enniana: *Unus erit, quem tu tolles ad coerula coeli.* Eundem ad verbum expressit Ovid. XIV. Metam. 814.

Iungit equos auro genitor. Iungit auro, pro *aureo curru*, non esse videtur Latinum. Si de *frenis* accipi posset, ferrem. Ita Claudianus dixit Eidyll. I. 86. *auro frenat equum. Aurum* pro variis instrumentis ex auro factis ponitur; pro *curru*, nondum inventum est. Neque ea significatio in usum venire potuit, quia res ipsa non exstabat, nisi in mente poetae alicuius, qui tribuit deo cuidam. Currus Neptuni fuerit totus ex auro solido: Virgilius talem descripsisset; non simpliciter appellasset *aurum*. Sic currum Solis descripsit Ovid. Metam. II. 107. et Propertius II. xxiii. 11. *Auro Solis erat supra fastigia currus.* Ad eam rationem *equos auro* significaret *equos aureos*. *Pocula*, *frena*, *clypeos*, similia, si nomines *aurum*, hoc intelligitur, quia revera sunt. In MSS. nonnullis legitur *iungit equos curru.* Ni sequeretur *curru*, verum dicerem. Variae sunt eruditorum coniecturae. Heinsius *auri*, quod erat apud Bedam, ut *auris* equorum intelligeretur; Burmannus *Fingit equos*, quod hic non esse Latinum recte animadvertit Wagnerus, cuius coniectura est: *Iungit equos Aura genitos.* Idem Burmannus ad Valerii Flacci VI. 710. dicit Pierium ostendisse, scribendum *pingit equos auro genitor:* quod tamen in Castigationibus Pierii non inveni. Neptunus *iungit equos*, sufficit; *curru* non requiritur, *auro* non Latinum est, *equi auro*, aurei, non tribuuntur Neptuno. Quis novit an in quibusdam MSS. non fuerit: *Auro iungit equos genitor?* Si haberem tale MS. statim

Frena feris, manibusque omnis effundit habenas.
Caeruleo per summa levis volat aequora curru.
Subsidunt undae, tumidumque sub axe tonanti
Sternitur aequor aquis, fugiuntque ex aethere nimbi.
Tum variae comitum facies; immania cete,
Et senior Glauci chorus, Inousque Palaemon,
Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis.
Laeva tenet Thetis, et Melite, Panopeaque virgo,
Nesaee, Spioque, Thaliaque Cymodoceque.
  Hic patris Aeneae suspensam blanda vicissim
Gaudia pertentant mentem: iubet ocius omnis
Attolli malos, intendi brachia velis.

emendarem: *Haud mora, iungit equos.* Egregia sententia et Latinitate. Sic studium Neptuni, ut gratum faceret Veneri, indicaretur. HAVD MORA facile in AVRO corrumpi potuit.

Et senior Glauci chorus. Cur *chorus* Glauci dicitur *senior?* Servius: »Quia Glaucus fuerat *senex*, aut propter *spumarum colorem.*" Heynius: »Quia omnes omnino dei marini sunt *seniores*, quod docent theogoniae, quibus rerum origo ab aqua petebatur." Neutrum poeta dignum est, qui, quum Thetidi et Melitae aliisque comitibus laevam dederit, suum quoque locum Glauci choro, Palaemoni, caeteris destinasse videtur. Quare scribendum puto: *Et sequitur Glauci chorus.* SENIOR et SEQVITVR in MSS. oculos legentis facile fallunt. Ita apud Tibull. II. I. 87. *Ludite, iam Nox iungit equos, currumque sequuntur Matris lascivo sidera fulva choro.* Locus, si consideres, Virgiliano simillimus. Ovidius Metam. IV. 24. *Tu biiugum pictis insignia frenis Colla premis lyncum: Bacchae Satyrique sequuntur.* XI. Metam. 89. *Hunc assueta cohors Satyri Bacchaeque sequuntur.* Appul. VI. Metam. pag. 393. *Currum dea prosequentes lasciviunt passeres.* Virgilium ante oculos habuit Statius Achill. I. 54. *hyemes ventique silent, cantuque quieto Armigeri Tritones eunt, scopulosaque cete, Tyrrhenique greges circumque infraque rotantur, Rege salutato.* Idem Silv. II. II. 19. *levis hic Phorci chorus, udaque crines Cymodoce, viridisque cupit Galatea lavari.* Bothius Virgilium scripsisse putat: *Tum variae comitant facies.*

Hic patris Aeneae suspensam blanda vicissim. Scholiastes ad Statii Theb. X. 227. affert: *Aeneae tacitam pertentant gaudia mentem.* Miscuit, ni fallor, *Latonae tacitum pertentant gaudia pectus* ex Aen. I. 506.

Una omnes fecere pedem; pariterque sinistros,
Nunc dextros solvere sinus; una ardua torquent
Cornua, detorquentque. Ferunt sua flamina classem.
Princeps ante omnis densum Palinurus agebat
Agmen: ad hunc alii cursum contendere iussi.
Iamque fere mediam coeli Nox humida metam
Contigerat; placida laxarant membra quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautae:
Quum levis aetheriis delapsus Somnus ab astris
Aera dimovit tenebrosum, et dispulit umbras,
Te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans
Insonti; puppique deus consedit in alta,
Phorbanti similis, funditque has ore loquelas:
Iaside Palinure, ferunt ipsa aequora classem;
Aequatae spirant aurae; datur hora quieti:
Pone caput, fessosque oculos furare labori.
Ipse ego paullisper pro te tua munera inibo.
Cui vix attollens Palinurus lumina fatur:
Mene salis placidi voltum fluctusque quietos
Ignorare iubes? mene huic confidere monstro?
Aenean credam quid enim fallacibus auris,

Te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans. Verum quidem est, quod Heynius in Excursu VII animadvertit, Palinuri memoriam in historiis harum rerum non fuisse obscuram, et poetam hac narratione nunc commode uti, ne extrema navigationis pars et traiectus e Sicilia in Italiam omni casu vacaret; Virgilius tamen caussam addere debuisset, cur Palinurus tam misero fato interierit. Quod supra legimus, *Unum pro multis dabitur caput*, vix sufficit.

Aenean credam quid enim fallacibus auris. Locus, quem Fabricius putabat unum esse ex obscurissimis. Donatus legebat: *quid enim fallacius austris Et coelo?* Heynius putabat scribi posse: *Aeneam credam, quid enim? fallacibus austris!* Bothius, Iahnio sequente: *Aenean credam — quid enim? — fallacibus austris Et coeli* sq. Cui coniecturae non dissimilis fuit, quam *olim* in Biblioth. Critica Nova Vol. I. pag. 131. proposui. Wagnerus probat vulgarem inter-

Et coeli toties deceptus fraude sereni?
Talia dicta dabat, clavumque affixus et haerens
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.

punctionem, et cum Heynio explicat: *quid enim* Aeneam *credam* auris, et quidem qui toties deceptus sim serenitato coeli! Concedamus *et* hic significare *et quidem*, vel ex interpretatione apparet, quam contorta progrediatur oratio. Melius esset: *Iam toties coeli deceptus fraude sereni.* Sed verba Palinuri habent amaram ironiam: Me iubes ignorare placidum salis vultum, me huic monstro confidere? Ironia egregio continuabitur, si reliqua sic mutemus; *Aenean credam, quid enim? fallacibus auris Et coelo, toties deceptus fraude sereni!* Verba *quid enim?* dicit Wagnerus, habent *vim affirmandi*, et significant, *nec aliter res se habere potest.* Ergo alienum ab hoc loco. Puto maxime convenire. Verba enim affirmant, sed ironice, igitur vehementer negant. Aenean credam auris, *cur non? certissime credam, ne dubita: quidni?* Iam Servius: *quidni? cur non?* Ipsa formula *quid enim*, si vere affirmat, non uno modo est explicanda, ut apparebit ex locis veterum apud Salmas. ad Tertull. de Pallio pag. 366, Graev. ad Ciceron. Verr. II. 23, et Burmannum ad Quintil. Instit. VII. 10. ut neque Graecum τί γάρ, πῶς γὰρ οὔ. Si eadem formula *ironice affirmat*, hoc est negat, unam eandemque valde negandi vim habere videtur. *Serenum* autem sic solum ponitur pro *coelo sereno.* Claudian. IV. Consulat. Honor. 435. *quae fraus infida sereni.* Conf. Burmannus ad Valerii Flacci I. 332. Tum *credam auris et coelo*, ut Ovid. II. Metam. 378. *nec se coeloque Iovique credit.* Ipse Virgil. VI. Aeneid. 15. *Praepetibus pennis ausus se credere coelo.* Sic, ni fallor, locus hic obscurus recte illustratus est. Et Giffanius, ut video apud Burmannum, iam emendaverat *et coelo*, idque e libris MSS. In Epistola ad Canterum (ed. Gabbema Epist. Clar. Viror p. 645.) sic interpretatur: *Quid enim?* Credamno Aeneam ventis infidelibus et coelo, cum sciam varietatem coeli, et ipsemet saepe deceptus sim a coelo sereno, ab ipsa serenitate? Addit, *quid enim* male a Servio exponi, esse enim particulam *indignantis.*

Clavumque affixus et haerens Nusquam amittebat. Haec adumbravere Valerius Flaccus III. 37 sq. *Atque illum non ante sopor luctamine tanto Lenit agens divum imperiis; cadit inscia clavo Dextera, demittitque oculos, solataque puppis Turbine flectit iter.* Silius VII. 362. *Quam multa, affixus coelo, sub nocte serena Astra videt.* Ubi frustra Neander refinxit *intentus.* Si quid esset mutandum, mutarem *affixus clavo.*

Ecce deus ramum Lethaeo rore madentem,
Vique soporatum Stygia, super utraque quassat
Tempora; cunctantique natantia lumina solvit.
Vix primos inopina quies laxaverat artus:
Et super incumbens, *cum puppis parte revolsa*,
Cumque gubernaclo, liquidas proiecit in undas
Praecipitem, ac socios nequidquam saepe vocantem.
Ipse volans tenuis se sustulit ales ad auras.
Currit iter tutum non secius aequore classis,
Promissisque patris Neptuni interrita fertur.
Iamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat;

Ramum Lethaeo rore madentem. Valer. Flacc. VIII. 84. *Cunctaque Lethaei quassare silentia rami Perstat, et adverso luctantia lumina cantu Obruit.*

Cunctantique natantia lumina solvit. Burmannus coniiciebat *condit* vel *claudit*. Et sic Virgil. IV. Georg. 496. *conditque natantia lumina somnus.* Sed ntrumque recte dicitur *solvit* et *condit*. Pendet ab imagine rei, quam sibi quisque proponit. Vide Heynium. Sed lumina *natantia* de morte usurpata videas, non de *somno*, nisi pro *morte* posito. In D'Orvill. est *lactantia.* Volebat nempe librarius *luctantia.* Eo quoque ducit *nutantia*, quod in aliis libris invenitur. Eleganter *luctantia*, quoniam Palinurus omni opera somno resistere studet. Fortasse scribendum: *super utraque quassans Tempora, cunctanti luctantia lumina solvit.* Non temere in Med. a manu prima *quassant.* Error, pro *quassans.*

Cum puppis parte revolsa, Cumque gubernaclo. Spuria esse arbitror. Si pars puppis esset revulsa, Aeneas et socii audivissent. Et mox Aeneas, sentiens navem fluctuantem, et videns magistrum esse amissum, ipse gubernaculo subit. Heynius ad VI. 1. ait se non dubitare, *novum clavum* ei, quem Palinurus in mare praeceps secum avellerat, esse substitutum. Aliquid, credo, ea de re dictum oportebat. Nam non parva res est, pars puppis et gubernaculum avulsa. Haec autem addita esse puto ab auctore episodii de Palinuro in Aeneide sexta. Caeterum Ovidius, qui in Metam. XIV. de rebus et itineribus Aeneae Virgilium ubique ante oculos habuit, hic nonnulla de suo adiecisse videtur. Facit enim Aenean, ex Sicilia profectum, legisse Inarimen, Procbytan, Pithacusas, et dextra praetervectum moenia Parthenopaea, laeva tumulum Miseni, venisse Cumas.

Difficilis quondam, multorumque ossibus albos;
Tum rauca adsiduo longe sale saxa sonabant:
Quum pater amisso fluitantem errare magistro
Sensit, et ipse ratem nocturnis rexit in undis,
Multa gemens, casuque animum concussus amici.
O nimium coelo et pelago confise sereno,

Difficilis quondam. Duo versus inficeti. Ut omittam *difficiles*, non satis vehemens epitheton de scopulis tam periculosis, et propter multa naufragorum ossa albis, quid hic est *quondam?* Respicitur, aiunt, Odyss. *M.* 39. et 166. Sed Homerus tantum loquitur de suavi Sirenum cantu, praetervehentibus letifero. Quare hi scopuli aliud epitheton requirunt, fere ut Martialis III. Epigr. 63. vocavit *Sirenas hilarem navigantium poenas Blandasque mortes, gaudiumque crudele.* Iam vocabulo *quondam* opponitur *tum.* Hoc refertur ad Aeneae tempora, illud ad tempora Ulyssis. Diceres ergo Ulyssis aetate scopulos Sirenum longe fuisse alios, quam aetate Aeneae. Sed Ulysses et Aeneas fortasse eodem anno et mense praetervecti sunt. Cogita historiam Achaemenidis in ipsa Aeneide. Ac vide alterum oppositum, quam non recto talo incedat. Scopuli Sirenum *quondam erant difficiles*, *sed tunc saxa*, *in quibus fractum mare longe audiebatur.* Nescio quid sint scopuli *difficiles*, nisi talia saxa sint difficilia. Dixit ergo poeta: *olim hi scopuli erant difficiles*, *tunc autem saxa longe sonantia.*

O nimium coelo et pelago confise sereno. Heynius etiam utrumque versum pro Virgiliano non agnoscit, et nihil dici potuisse frigidius, languidius, et acumine grammatico dignius existimat: nec veritatem quidem inesse. Nam Palinurus non *confidit sereno*, sed potius nimia sedulitate peccavit. Sed multa in fine huius libri turbata sunt. Audiamus Servium: »Sciendum sane Tuccam et Varium hunc finem (*Nudus in ignota, Palinure, iacebis arena*) quinti esse voluisse: (lib. VI. 1. 2.) huic iuncti fuerunt: unde in nonnullis antiquis Codicibus sexti initium est: *Obvertunt pelago proras.*" Ut appareret, cui deberemus illa Serviana, Heynius annotationem Pomponii Sabini subiunxit: »*Sic fatur lacrimans Et tandem.* Probus, his duobus versibus, inquit, finitur hic liber in Tuccae et Cornelianis commentariis, et Virgilium ita etiam finisse manifestum est, et inchoasse sextum librum: *Obvertunt pelago proras.* Nescio tamen cur factum sit ut Phici aliter habuerit. Apronianus autem principium esse docet: *Sic fatur lacrimans.*" Locus Pomponii Sabini corruptus est. Omitto

Nudus in ignota, Palinure, iacebis arena!

Cornelianis, pro quo Wagnerus coniicit *Varii*; sed illud *Phici* mutandum videtur in *P.* (i. e. *Probus*) *hic*. Vult Sabinus, Probum dixisse: *in commentariis Tuccae liber* V his duobus versibus finitur, VI incipit ab *Obvertunt pelago* sq. Et tamen, addit Sabinus, quod miror, *Probus hic aliter habet*, aliam librorum divisionem in suis Commentariis et editione sequitur, non eam, quam in Commentariis Tuccae invenit. Non repetam quae Heynius et Wagnerus in utramque partem de versibus his et initio libri VI disputarunt. Multa hic esse turbata apparet. Caussa sunt versus a Grammaticis additi. Eiectis spuriis et egregium libri V finem et VI initium nanciscimur, hoc modo: *Sensit, et ipse ratem nocturnis rexit in undis, Multa gemens, casuque animum concussus amici: Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.* Libri VI initium est: *At pius Aeneas arces* sq.

Nudus in ignota, Palinure, iacebis arena. Ieiuna admodum Aeneae gementis verba. Et habebat tamen Palinurus vestes. Neque Aeneas sciebat, fore ut Palinurus iaceret *insepultus*, si *nudus* accipi potest pro *insepulto*. Et longe aliter accidit VI. 356 sq. nbi Palinurus narrat se tres noctes in mari vivum natasse, et iam terrae appropinquantem, quum gens crudelis ferro invadebat. Aeneas saltem dicere debuisset *nunc fortasse iacebis*. Virgilius scripserat: *Multa gemens*. Si exprimere valuisset verba gementis, plura, credo, addidisset, quam simplex illud, *heu nimium pelago confise*, iacebis insepultus in arena ignota. Argumento, versus esse insititios, et hoc est: forte fortuna non accidit, ut, paucis deletis, tam bonum librorum et finem et initium facere possimus. Et si Virgilius haec ipse non absolverit, Tucca et Varius meliora dedissent, quam nunc accepimus.

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER SEXTUS.

Sic fatur lacrimans, classique immittit habenas,

Sic fatur lacrimans, classique immittit habenas. Iam Virgilius Aeneid. V. 662. *furit immissis Vulcanus habenis.* Valer. Flacc. I. 687. de nave usurpavit: *volat immissis cava pinus habenis.* Unde Seneca Med. 3. *Tiphyn novam frenare docuisti ratem.* ubi vide Gronovium. Ipsa igitur formula non est reprehendenda, sed sententia ab hoc loco maxime abhorret. *Classi* nempe *immittit habenas*, qui omnia vela pandit, ut quam celerrime progrediatur. Atque hoc fieri solet vel statim in principio itineris, si ventus favet, vel postea, si ventus, in principio non favens, fit magis secundus. Iam vide quid in libri V. fine narretur. Aeneas relinquit Siciliam: prosequitur surgens a puppi ventus euntes. Tum Neptunus dat placidum aequor et coelum serenum. Aeneas ocyus iubet attolli malos, intendi brachia velis, faciunt pedem, pariter solvunt sinistros nunc dextros sinus. Ferunt sua flamina classem. Navis quidem Aeneae, amisso rectore, fluitat, non secius tamen iter tutum currit. Sed Aeneas sensit, et ipse gubernat. Nunc autem, quasi omnia prius fuissent contraria, Aeneas *classi immittit habenas.* Et quomodo *classi?* In libro V. accurate distinguitur *navis Palinuri*, in qua Aeneas erat, a *classe.* Currit iter tutum *classis.* Ipse Aeneas *ratem* rexit. Propterea iam olim dubitatum, accipereutne *classem* de una nave an de omnibus. Servius: »*de una navi*, aut

Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.
Obvertunt pelago proras; tum dente tenaci
Ancora fundabat navis, et litora curvae
Praetexunt puppes: iuvenum manus emicat ardens

omnium, quae eius cursum sequuntur." Hoc Heynius ita ornavit: »excepto velis expansis vento, cursum urgebat classis et navem regebat Aeneas." Unicum, quod per Latinitatem licet, hoc est: *Aeneas iubet classi habenas immitti*. Sed, ut ostendi, classis ventis secundis ferebatur, et habebat omnia vela expansa.

Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris. Recte se habet *tandem*, si versus praecedens deletur; non recte, si manet. Apparet ex Servianis: »Mora non congruit, de Capreis Cumas usque, in tanta vicinitate, tam longam fuisse navigationem, praesertim accedente favore Neptuni. An *tandem* ad consuetudinem navigantium, quibus nulla non longa navigatio videtur?" Bene scilicet *tandem*, ad cupiditatem finiendi itineris refertur, ubi mentio coeli ventorumque faventium magis est remota. Sed quum proxime praecedat, Aeneam, *classi habenas immisisse*, hic illud *tandem* ferri non potest. Nune enim sententia est: tam propinquabant scopulis Sirenum, quae non longe a Capreis sunt in sinu Paestano, Capreae autem exiguo intervallo a Cumis distant, quum Aeneas classi habenas immittit, ut quam celerrime, Cumas pervenirent. Cumis *tandem* allabitur. Exspectasses potius: *atque ita* brevi Cumis allabitur.

Tum dente tenaci Ancora fundabat navis. Postquam Virgilius semel in libro primo tam copiose et eleganter descripserat Troianos a longa navigatione fessos et tempestatibus agitatos, tandem in litus appellentes, in posterum, credo, abstinuit. Eandem certe imaginem in iisdem hominibus non repetiisset, minime, ubi totum iter aliquot horis esset absolutum. Mane profecti sunt ex Sicilia, altero mane Cumas appellunt. Et Troiani hic idem faciunt, quod faciunt, qui aliquot menses nihil praeter coelum et undas viderunt. Quid dicam de *fundabat? Fundare* navem significat *fundamenta navis*, *carinam ponere:* pro navem alligat, *retinet*, nusquam legitur, nisi hoc loco, et Claudian. Consul. Mallii Theod. 113. *Iam tibi compositam fundaverat ancora puppim*. Cur autem inter omnia tempora praesentia, *fatur*, *immittit*, *allabitur*, *obvertunt*, *praetexunt*, *emicat*, *quaerit*, *rapit*, *monstrat*, *petit*, invenimus unicum illud imperfectum *fundabat?* Metrum scilicet ita poscebat, cui necessitati Virgilius non paret, nisi ferente linguae natura et consuetudine.

Litus in Hesperium; quaerit pars semina flammae
Abstrusa in venis silicis; pars densa ferarum

Quaerit pars semina flammae Abstrusa in venis silicis. Imitatio versus Georg. I. 135. *Ut silicis venis abstrusum excuderet ignem.* Ubi *excudit* melius quam *quaerit; quaerit* grammaticus sumsit ex versu Georg. antecedente: *Sulcis frumenti quaereret herbam.* Virgilius saepe quidem, quando versus alibi iam positos repetit, eos variat, non tamen, nisi versus aeque boni fiant. *Quaerit* hic peius est quam *excudit.* Neque *abstrusum* plane huic loco convenit. In Georgicis Iupiter *ignem* e terris removerat. Homines *abstrusum* in silice excuderunt. Recte Servius: *abstrudere est de industria celare.*

Pars densa ferarum Tecta rapit, silvas. Duplex fertur interpretatio: *colligunt* ligna arborum, quae sunt domus ferarum, et *occupant rapide silvas.* Heynius hoc sequitur et addit, eos celeri cursu silvas perlustrasse, ut vel fontem aquae investigarent, vel ferarum praedam ed epulas conquirerent. Nam si occipias *ligna comportant*, nihil potuisse dici ieiunius grandibus istis et turgidis verbis *densa ferarum tecta.* Plura hic sunt animadvertenda. *Rapere*, ut *corripere*, *viam et iter*, est celerrime occupare et currendo quasi transvolare. Ita etiam dicimus *rapere campum*, *arva*, *aequor*, *spatium.* Nihil quippe istic properantibus obstat. *Rapere silvas*, *densa ferarum tecta*, non inveni, et est contra naturam. In talibus enim silvis multa properantes impediunt, adeo ut iter per eas *rapere* nemo possit. Via haec non *rapitur*, sed *rumpitur.* Quam pulchre expressit Statius I. Theb. 377. quod fortasse hic exprimere voluit auctor versuum spuriorum: *Talis opaca legens nemorum Cadmeius heros Accelerat, vasto metuenda umbone ferarum Excutiens stabula, et prono virgulta refringit Pectore.* Nec, si Latinum sit *rapere silvas*, caussam video, cur Troiani tanta celeritate in silvis perlustrandis usi esse dicantur, aut cur potissimum silvas petierint *ad fontes indagandos.* Si petierint ad praedam venandam, aliquid esset adiectum, unde magis appareret. Superest altera interpretatio de *lignis rapiendis.* Hanc merito reprehendit Heynius. Et praetulissem *corripit*, ut Seneca Herc. Oeteo 1618: *Ut omnis Oeten moesta corripuit manus:* ad arbores nimirum caedendas. Neque elegans est oppositio ipsa. Melior illa VI. 179. *Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum. Silva* vix carere potest epitheto. Ferrem *densas silvas*, *tecta ferarum. Densae silvae* sunt arboribus plenae; *densa tecta*, sunt crebra, frequentia, plurima, quae opponuntur *raris.* Quam humile *silvae*, *frequentia ferarum tecta!* Scholiastes Statii, ad locum supra allatum, verba *excutiens*

Tecta rapit, silvas; inventaque flumina monstrat.
At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo
Praesidet, horrendaeque procul secreta Sibyllae,

stabula sic explicat: »i. e. *silvas*, ut Virgilius: *Pars densa ferarum Excutiens stabula r. s.*" Ubi scribendum puto: *Para densa ferarum t. r. s.* hoc est *tecta rapit silvas.* Saepe accidit in Scholiis, ut verba e textu scriptoris repetantur, et immisceantur verbis scriptoris comparati.

Inventaque flumina monstrat. Statim ad aquam investigandam abeunt, quasi siti essent confecti, in itinere unius diei. Non erat, credo, difficila inventu in agro Cumano. Praeterea Aeneas templum Appollinis petit. Ubi templum, ibi homines, et terra habitata. *Aqua quaeritur* in regione, hominum cultu vacua, aut ubi homines non conspiciuntur, ut fecit Aeneas in libro I.

At pius Aeneas. Novus liber incipit a primo Aeneae adventu in Italiam. Primum factum a religione homo pius orditur. Consulit Sibyllam. Novus plane est rerum ordo, nova Rhapsodia, *descensus ad inferos.* Praecedentia cum his iungi non possunt. Bene autem *At pius Aeneas.* Tale est principium libri IV. *At regina.* Et Lucanus l. IV. *At procul extremis.* Ibi Scholiasta annotavit: *consuetudo poetarum est, ut finem praecedentis libri initio consequentia iungant quibusdam particulis, ut saepe Maro.*

Horrendaeque procul secreta Sibyllae. Antrum Sibyllae, quod spatio aliquo ab arcibus erat remotum. Servius: »*Procul, haud longa: procul* enim est, et quod *prae oculis est*, et quod *porro* ab oculis: unde et duplicem habet significationem, et *iuxta* et *longa.*" Viri docti saepe ad hanc at similes Servii interpretationes huius vocabuli respiciunt, ut doceant *procul* significare saepe idem quod *proxime*, v. c. Burmannus ad Valerii Flacci IV. 453. Servius tamen nonnulla perverse tradit. *Procul* est a *pro*, et forma productiore *proce.* A *proce* est *procimus.* A *proce* non differt *prope*, unde *propior.* Syllaba *ul* est terminatio, et nihil significat, ut in *simul*, cuius radix est *sim*, *sum*, σύν. *Procul* autem est aliquid *pra prae anta* locum, unde prospicimus, *intervallum.* Ipsa *intervalli* significatio est incerta; in sermone saepe conficitur ex pronuntiationis modo, longumne an breve indicemus; in scriptis, ex sententia verborum. Si Virgilius dixit Aenean *petiisse arces* et *antrum procul* Sibyllae, nemo non sentit, *antrum ab arcibus fuisse separatum*, intervallo haud ita magno; alioquin hoc expressum fuisset, ut exiguum intervallum exprimitur per *haud procul.* Maius certe intervallum est *procul:* illud, ut dixi, ex sententia conficiendum. Ita Burmannus non recte interpretatur Valerium Flaccum:

Antrum immane, petit, magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates, aperitque futura.
Iam subeunt Triviae lucos, atque aurea tecta.
  Daedalus, ut fama est, fugens Minoia regna,
Praepetibus pennis ausus se credere coelo,
Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,
Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce.
Redditus his primum terris, tibi, Phoebe, sacravit

Iamque alis procul et sonitu mihi nota Celaeno. Iste versus non in parenthesi erat includendus. Phineus dicit; Harpyiae et Celaeno tam saepe ad me veniunt, ut, quamvis coecus, Celaeno *iam procul ab intervallo sat magno* ex sonitu alarum agnoscam.

Praepetibus pennis ausus se credere coelo. Wakefieldus distinguebat: *praepetibus pennis ausus se credere, coelo Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos.* Ita in coelo etiam iter suetum esse videretur, quod Daedalus deseruisset. Et Silius XII. 92. *aetherias aliena tollere in auras Ausus se penna — Suspensum hic librans media inter nubila corpus Enavit.*

Gelidas enavit ad Arctos. Heynius hoc tumide dictum esse arbitratur. Voluit poeta Daedalum contendisse versus plagam septentrionalem. Hoc certe nimis ornate extulit. Sed etiamsi ornatius extulisset, ipsa significatio plagae, quam petiit, in carmine heroico est humilis, nisi caussa sit omnino necessaria, ut plaga significetur. Quid scire refert, qua coeli parte, orientali an occidentali, Daedalus enaverit? Iam per *gelidas arctos* indicatur Italia. Sit Italia ad Cretam septentrionalis, Virgilius non appellasset *arctos gelidas.* Sic *Scythiam* et axem borealem poetae nominant, vel ipsa sidera, Ursam maiorem et minorem, ut Ovidius IV. Metam. 624. Vide in MSS. ARCTOS et AVRAS, quam parum differant. Scribamus *gelidas enavit ad auras.* Ausus est se in pennis coelo credere, et ad auras enavit. Dicas sic legisse Silium, quem paulo ante citavi: *Tollere se in auras aetherias*, et *enare ad auras gelidas*, idem est. Adde exemplum Lucretii III. 590. *enaret in aeris auras.*

Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce. Marius Plotius de Metris *Chalcidicas arces.* Hoc melius convenit cum vs. 9. *arces quibus* Apollo praesidet.

Redditus his primum terris. Zulich. *hic.* Placet Burmanno. Wagnerus putat *his* includere notionem adverbii *hic*, et esse magis poeticum. Si *his* simul habet notionem adverbi *hic*, propriam tamen non amittit. Ergo dicit: *hic his terris redditus.* Re-

Remigium alarum, posuitque immania templa.
In foribus letum Androgeo; tum pendere poenas
Cecropidae iussi (miserum!) septena quot annis
Corpora natorum; stat ductis sortibus urna.
Contra elata mari respondet Gnosia tellus:
Hic crudelis amor tauri, suppostaque furto
Pasiphae, mixtumque genus, prolesque biformis
Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandae;
Hic labor ille domus, et inextricabilis error;
Magnum reginae sed enim miseratus amorem
Daedalus, ipse dolos tecti ambagesque resolvit,

quiritur, puto, tantum *redditus terris*, qui adhuc in coelo voleverat. Ita Seneca Hippol. 834. *En ipse Theseus redditus terris adest.* Rediit ex Orco. Redditus *his terris*, significaret, Daedalum Cumas post longam absentiam rediisse. Sed nunquam Cumis fuerat. Annotavi nonnulla ad Horatii Carm. I. 3.

Cecropidae iussi (miserum)! septena quot annis. Illud *quot annis* in opere anaglypho exprimi non potuit. Mallem: *tum pendere poenas Cecropidae iussi (miserum, septena quotannis Corpora natorum)!* Miror autem Virgilium non scripsisse *funera natorum.*

Stat ductis sortibus urna. Cum miseratione dictum *stat.* Ita II. 766. *pueri et pavidae longo ordine matres Stant circum.* Ambrosius de Tobia, 4. *Stant pallentes rei ad sortis eventum.*

Hic crudelis amor tauri. Magis exquisitum foret: *crudelis amor taurus. Taurus* nempe est crudelis *amor* Pasiphaes. *Crudelis*, quia taurus animal crudele et ferox. Seneca Hippol. 115. *pecoris efferi saevum ducem Audax amasti. Torvus, impatiens iugi Adulter ille. Amor* pro *amatus* satis notum. Ovidius Amor. III. 9. *Delia, primus amor.*

Daedalus, ipse dolos tecti ambagesque resolvit. Pro *ipse*, in edit. Corn. Schrevelii a. 1657. legitur *ecce.* Error typothetarum. Caeterum haec pars anaglyphi obscure descripta est. Praecessit *Pasiphae*, et *amor* Pasiphaes. Erat uxor Minois, et *regina.* Nunc Daedalus *amorem reginae* miseratur. Et miseratus erat, constructa vacca, in qua latuit mulier. Sed *regina* hic esse debet Ariadne, filia Pasiphaes. Ea primum vix intelligi potest, ut verba nunc leguntur: deinde ipsa in Labyrintho esse inclusa videtur, ita ut Daedalus illi resolverit dolos, illi vestigia rexerit filo. Obscuritas tolletur,

Caeca regens filo vestigia. Tu quoque magnam
Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.
Bis conatus erat casus effingere in auro:
Bis patriae cecidere manus. Quin protenus omnia
Perlegerent oculis: ni iam praemissus Achates
Afforet, atque una Phoebi Triviaeque sacerdos,
Deiphobe Glauci, *fatur quae talia regi:*
Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.
Nunc grege de intacto septem mactare iuvencos
Praestiterit, totidem lectas de more bidentis.
  Talibus affata Aenean (nec sacra morantur
Iussa viri) Teucros vocat alta in templa sacerdos.
Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum:
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum;
Unde ruunt totidem voces, responsa Sibyllae.
Ventum erat ad limen, quum virgo, Poscere fata
Tempus, ait; deus, ecce, deus. Cui talia fanti
Ante fores subito non voltus, non color unus,
Non comtae mansere comae; sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument; maiorque videri,
Nec mortale sonans; afflata est numine quando

si pro TECTI scribamus THESEO. *Daedalus, ipse dolos Theseo ambagesque resolvit, Caeca regens filo vestigia.* Nomen *Thesei* non potest abesse, si Ariadnen significari velimus; nomen *tecti* non desideramus, ubi praecesserit *domus.*

Fatur quae talia regi. Haec in nonnullis deerant. Neque videntur esse Virgilii. Elegantius hic nomen loquentis reticetur. Statim, finito sermone, indicatur.

Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum. Iuvenal. Sat. VI. 649. *Saxa iugis abrupta.* Ad eum locum Schol. annotavit: »Virgilius: *Excisum Euboicae l. i. r. i. a.*"

Deus, ecce, deus. Ovid. Metam. XV. 677. *Et deus, en deus.* Avienus Descript. Orbis 6. *Deus en Deus intrat Apollo.*

Afflata est numine quando Iam propiore dei. Multo gravior oratio, si scribas *numine tanto.* Sacerdos-

Iam propiore dei. Cessas in vota precesque,
Tros, ait, Aenea? cessas? neque enim ante dehiscent
Attonitae magna ora domus. *Et talia fata*
Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit
Ossa tremor, funditque preces rex pectore ab imo:
Phoebe, gravis Troiae semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Aeacidae; magnas obeuntia terras
Tot maria intravi, duce te, penitusque repostas
Massylum gentis, praetentaque Syrtibus arva;
Iam tandem Italiae fugientis prendimus oras.
Hac Troiana tenus fuerit Fortuna secuta.
Vos quoque Pergameae iam fas est parcere genti,
Dique deaeque omnes, quibus obstitit Ilium et ingens
Gloria Dardaniae. Tuque, o sanctissima vates,
Praescia venturi, da, non indebita posco

subito tota furore corripiebatur. Tanta vis erat dei iam propioris: *quando* humilius est.

Cessas in vota precesque. Gronov. ad Senecae Oedip. 304. supplet, cessas *deos vocare* in vota. Illud *in vota vocare* ipse Virgilius usurpavit alio loco.

Et talia fata Conticuit. Heins. malebat: *Ut talia fata Conticuit, gelidus Teucris* sq. Equidem non credo esse Virgilii.

Dardana qui Paridis direxti tela manusque. Ovidius Metam. XII. 606. de eodem facto: *Certaque letifera direxit spicula dextra.*

Praetentaque Syrtibus arva. Schraderus, sine caussa, coniicit *praetextaque.*

Fugientis prendimus oras. Bene Wagnerus iungit *oras fugientis*, hoc est *fugientes.*

Iam fas est parcere genti. Wakefieldus arripuit, quod erat in nonnullis MSS. *iam fas est*, *parcite genti.*

Quibus obstitit Ilium. Silius XVII. 550. *tantumne obstat mea gloria divis.*

Da, non indebita posco Regna meis fatis. Burmannum, ita distinguentem, recte sequuntur Heynius et Wagnerus. Alii *da*, *non indebita posco*, *Regna meis fatis.* Sed tum in sequentibus scribendum erat: *Latio et considere Teucros.* Burmannus hic iterum ponit, sua cuique heroi esse fata, de quo saepe egit ad Lucanum,

Regna meis fatis, Latio considere Teucros,
Errantisque deos, agitataque numina Troiae.
Tum Phoebo et Triviae solido de marmore templum
Instituam festosque dies de nomine Phoebi.
Te quoque magna manent regnis penetralia nostris;
Hic ego namque tuas sortis, arcanaque fata,
Dicta meae genti, ponam, lectosque sacrabo,
Alma, viros. Foliis tantum ne carmina manda;
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.
Ipsa canas oro. Finem dedit ore loquendi.

et praecipue ad Ovidii Heroid. I. 28. Sed in eo vir iste diligens erravit, quod ubique in *debita fatis* putat *fatis* esse dativum. Aeneas hoc loco poscit regna *debita fatis*, *a fatis*; *fata* (vel potius *Fata*) *debebant* illi Lavinium. *Fata* nempe dixerant fore, ut conderet Lavinium, sedesque ibi habiturus esset quietas. Livius I. 4. *Sed debebatur, ut opinor, fatis tantae origo urbis.* Ovid. Fast. III. 797. *Concitat iratus* (Saturnus) *validos Titanas in arma, Quaeque fuit fatis debita, poscit opem.* Virgilius VIII. 12. *fatis regem se dicere posci.* Rex poscitur *fatis*, pro *a fatis*. Quamquam *fata* saepe, ut persona, *numen*, ponuntur, non tamen unquam apud poetas *a fatis* me invenire memini. Obstat fortasse origo vocabuli, quae est a *fando*, ut fata proprie sunt *dicta*. Tacitus Agric. 13. *monstratus fatis Vespasianus.* Ubi nonnulla annotavi. Non me latet dativum usurpari pro ablativo cum praepositione, sed mirum esset, hoc semper fieri in substantivo *fatis*, et neminem hic illic scripsisse *a fatis*. Sunt aliae dicendi formulae, in quibus dativus aperte conspicitur, ut in *debemus fato nos nostraque:* sed hae formulae non similes sunt nostrae. Valerius Flaccus Virgilium cogitabat, scribens V. 509. *Non aliena peto, terrisve indebita nostris.* Ibi est dativus.

Finem dedit ore loquendi. Suspectum videretur, nisi Lucilii versus apud Nonium superesset: *Haec ubi dicta dedit, pausam facit ore loquendi.* Versum iam laudarunt interpretes. Talia igitur indicanda sunt ex antiqua Latini sermonis simplicitate, quae carmini epico gravitatem conciliat. Virgilius saepe Lucilium imitatur, quod ostendit Servius, ut ad vs. 90: *est verbum Lucilii et antiquiorum.* Servius quidem sic interpretatur, ut dubitem an ea sint Servii verba: *definivit ei, ut ore loqueretur, nec in foliis scriberet.*

At, Phoebi nondum patiens, immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
Ostia iamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras:
O tandem magnis pelagi defuncte periclis!
Sed terrae graviora manent. In regna Lavini
Dardanidae venient; mitte hanc de pectore curam;

At, Phoebi nondum patiens. Imitatur Seneca Oedip. 230. *Incipit Lethaea vates spargere horrentes comas, Et pati commota Phoebum.* Ubi ex lectione MS. Etrusci *loeta*, scribendum est *Letoa:* quod tamen iam vidit Heinsius Advers. I. 17. Virgilium quoque respexit Ovidius Metam. XIV. 107. de eadem Sibylla: *tandemque deo furibunda recepto.* Adde Lucani locum V. 175.

Fera corda domans, fingitque premendo. Dura prius argilla, cera, digitis *premitur, subigitur* et *fingitur;* atque ita ad formam componitur. Plato de Rep. II. volebat nutrices et matres puerorum πλάττειν τὰς ψυχὰς τοῖς μύθοις πολὺ μᾶλλον ἢ τὰ σώματα ταῖς χερσίν. Gronovius ad Statii Theb. VI. 742, Platonem iam cum Virgilio comparavit. Ut autem alterius *fera corda domamus et fingimus*, sic etiam nostra ipsorum. Valerius Flaccus V. 534. *fingit placidis fera pectora dictis.* Ubi non opus est coniecturis *fregit*, aut *condit.* Metaphora non plane est eadem, quando Virgilius dicit IV. 148. *fluentem Fronde premit crinem fingens.*

Sed terrae graviora manent. In Med. *terrae*, in Rom. *terra.* Heynius accipit *pericula terrae*, Wagnerus *terrae* pro *in terra*, ut *Cretae considere* pro *in Creta.* Praefero genitivum, vel *terra.* Defunctus es periculis pelagi, magnis quidem illis, sed pericula *terrae*, eaque, quod fortasse non cogitas, maiora, te manent.

In regna Lavini. Nonnulla MSS. *Latini.* Melius. Sacerdos praedicit bellum cum Turno. Hoc ortum est, quia rex Latinus Aeneam suscepit et filiam promisit. Regnum Lavinii nondum erat, neque in Aeneide usquam exstat. Quum regnum Lavinii erat, sine dubio Dardanidae *venisse* volebant. Nam otio et pace fruebantur. Idem praedixit Creusa II. 780. *Longa tibi exsilia, et vastum maris aequor arandum. Et terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva Inter opima virum, leni fluit agmine Thybris.* Heinsius ad eum locum *Latini* commendat.

Sed non et venisse volent. Bella, horrida bella,
Et Thybrim multo spumantem sanguine cerno.
Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
Defuerint. Alius Latio iam partus Achilles,
Natus et ipse dea. Nec Teucris addita Iuno
Usquam aberit. Quum tu supplex in rebus egenis
Quas gentis Italum aut quas non oraveris urbis!
Caussa mali tanti coniunx iterum hospita Teucris,
Externique iterum thalami.
Tu ne cede malis: sed contra audentior ito,

Sed non et venisse volent. Virgil. VII. 736. *patriis sed non et filius arvis Contentus.* Heinsius ad Ovidii Metam. IV. 273. multa similia attulit. Dubitari tamen potest, an eodem referri possit versus Ovidii ipsius: *Pars omnia veros Posse deos memorant: sed non et Bacchus in illis.* Postulat, credo, natura linguae *Sed non et Bacchum in illis:* sed Bacchum in illis non posse, non esse adeo in veris deis. Melius fortasse, quod in aliis MSS. fertur: *sed non est Bacchus in illis.*

Quum tu supplex in rebus egenis. Iuno Teucris ubique *addita aderit* (hoc enim est *nusquam aberit*), *quum tu oraveris gentes*, non recte cohaerent; etiam si explices *tum tu*, oratio pro caetero furore, non satis est sublimis. Mallem: *Quam tu supplex.* Cerno bella. Erit Achilles. Erit Iuno. Ah! quibus precibus, quam supplex, quas gentes, quas urbes oraveris! Eleganter: *quam supplex quas gentes oraveris;* copula omitti solet. Seneca Oedip. 7. *Quantum malorum fronte quam blanda tegis.* Dixi nonnulla ad Horatii Carm. III. 19. Adde Gronovium ad Senecae Octav. 5. et Heumannum Poecil. T. II. pag. 185.

Tu ne cede malis: sed contra audentior ito, Quam tua te Fortuna sinet. Alii *sinit:* alii *qua.* Heinsius et Burmannus interpretantur *quantum.* Alii legunt *quum.* Toupius: *quo tua te Fortuna feret.* Wagnerus edidit, ut ego, eum secutus, et explicat: quo magis reluctabitur tibi Fortuna, eo audentior ei obsiste: eo audentior contra ito, quo minus ista te mala, seu Fortuna tua, sinere videbuntur. Heynius, Toupianum *feret* non probans, dicit hoc esse *poetae verba per lusum variantis.* Ego propterea reprehendo, quia Aeneas *sciebat* sibi in Italiam esse veniendum. Qui eunt, quo Fortuna fert, non adeo certum habent consilium, ut nondum habebat Aeneas III. 7. *Incerti quo Fata ferant, ubi sistere detur.* Horat. I. Carm. 7. *Quo nos*

Quam tua te Fortuna sinet. Via prima salutis,
Quod minime reris, Graia pandetur ab urbe.
  Talibus ex adyto dictis Cumaea Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obscuris vera involvens: ea frena furenti
Concutit, et stimulos sub pectore vertit Apollo.
Ut primum cessit furor, et rabida ora quierunt,
Incipit Aeneas heros: Non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies inopinave surgit.
Omnia praecepi, atque animo mecum ante peregi.
Unum oro: quando hic inferni ianua regis
Dicitur et tenebrosa palus Acheronte refuso:
Ire ad conspectum cari genitoris et ora
Contingat; doceas iter, et sacra ostia pandas.
Illum ego per flammas et mille sequentia tela

cunque feret melior Fortuna parente, Ibimus. Praeterea Aeneas iam erat in Italia, et spatio haud ita longo a Tiberi remotus. Pericula pelagi cessabant. Manebant pericula terrae. De his non tam proprie dicitur: *i, quo te Fortuna feret.* Scribendum arbitror: *Tu ne cede malis; sed, contra audentior, ito Qua tua te Fortuna vocat.* Ne cede malis, sed, contra mala audentior, ito qua via melior te vocat sors. *Fortuna* est felix rerum conditio, quae Aeneae, si mala ista in terra esset perpessus, iam erat destinata. Ideo mox sequitur *via prima salutis Graia pandetur ab urbe.*

Quod minime reris. Ne quis humile putet. Claudian. Rapt. Pros. III. 198. *multoque minus, quod rere.*

Horrendas canit ambages. Lucanus I. 637. *flexa sic omina Tuscus Involvens, multaque tegens ambage canebat.* Iam Heynius laudavit.

Stimulos sub pectore vertit Apollo. Magis, credo, Latinum esset, *sub pectora.* Stimuli vertuntur, convertuntur *in pectus*, non *in pectore.* Si vertuntur *in pectore*, vulnus est letale. Idem valet de *sub.* Burmannus recte in Valerio Flac. VI. 603. defendit: *novas egit sub pectora vires.* Ibi tamen h. l. Virgilii explicat: non primum furorem iniicit deus, sed stimulat iam ante ipsi iniectum. Propterea bene se habere putat *sub pectore.* Apud Horatium est metaphora haud ita dissimilis, Satyr. II. VII. 93. *Urget enim dominus mentem non lenis, et acres Subiectat lasso stimulos, versatque negantem.*

Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi;
Ille, meum comitatus iter, maria omnia mecum
Atque omnis pelagique minas coelique ferebat
Invalidus, vires ultra sortemque senectae.
Quin, ut te supplex peterem, et tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat. Gnatique patrisque,
Alma, precor, miserere, potes namque omnia; nec te
Nequidquam lucis Hecate praefecit Avernis;
Si potuit Manis arcessere coniugis Orpheus,
Threicia fretus cithara fidibusque canoris:
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties. Quid Thesea magnum,

Atque omnis. Elegantius puto: *mecum omnis.*

Invalidus. Schraderus coniiciebat *impavidus.*

Potes namque omnia. Respicit Sedulius in Carmine Paschali: *Praeceptor miserere, potes namque omnia, Iesu.* Et tamen non credo Virgilium ita scripsisse. Nam neque Sibylla poterat *omnia*, neque tanta potentia requirebatur, ut Aenean iter doceret, eique viam monstraret. Deinde solita in huiusmodi precibus est formula *potes nam*, *namque potes*, *δύνασαι γάρ*, non, *potes nam omnia.* Conf. Burmannus ad Valerii Flacci I. 13. et interpretes ad Horatii Epod. 17. Idem Valerius VIII. 145. simpliciter *potes:* ut Statius Theb. X. 69. *in Thebas aliud, potes, excute fulmen.* Homerus Iliad. *Α.* 393. *Ἀλλὰ σὺ, εἰ δύνασαί γε, περίσχεο παιδὸς ἑῆος.* Callim. Hym. Apoll. 30. *Τὸν χορὸν ὡ Ἀπόλλων — τιμήσει. δύναται γάρ, ἐπεὶ Διῒ δεξιὸς ἧσται.* Lucianus Imag. T. III. pag. 287. *μῦθον ἀντὶ μύθου ἀμεῖψαι αὐτῷ τῷ μέτρῳ*, φασὶν, ἢ καὶ λώϊον, δύνασαι γάρ: quod Albertius in Observat. Philol. p. 194. imprudens accepit pro Hesiodeo *καὶ λώϊον*, *αἴκε δύνηαι cum possis, cumulatius.* Ad hanc igitur formulam emendandum puto hunc versum: *Alma, precor, miserere; potes namque: optima nec te Nequidquam lucis Hecate praefecit Avernis. Omnia* et *optima* in MSS. confunduntur. Exemplum est in Ovidii Trist. I. VII. 5. *Optimi* nomine et Iupiter et alii dei et deae appellantur. Appellari inprimis potest Proserpina, *σεμνὴ* et *ἐπαινή.* Virgilius Aeneid. I. 734. *adsit laetitiae Bacchus dator, et bona Iuno.*

Quid Thesea magnum, Quid memorem Alciden? Praefero aliorum

Quid memorem Alciden? Et mi genus ab Iove summo.
Talibus orabat dictis, arasque tenebat;
Quum sic orsa loqui vates: Sate sanguine divom,
Tros Anchisiada, facilis descensus Averno;
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis;
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. Pauci, quos aequus amavit
Iupiter, aut ardens evexit ad aethera virtus,
Dis geniti potuere. Tenent media omnia silvae,
Cocytosque sinu labens circumvenit atro.

distinctionem, *magnum quid memorem Alciden?* Hercules et Orpheo, et Pollnce, et Theseo erat *maior*, et proprium quodammodo hoc ei est epitheton, ut apud Horatium Carm. IV. 5. *magni memor Herculis.* Vide Salvagnium ad Ovidii Ibin, 295. Verba *quid memorem* quasi in parenthesi posita sunt, et fere significant *ne memorem.*

Superasque evadere ad auras. Coelum et aether dicuntur *supera:* vide Heinsium et Burmannum ad Ovidii Metam. II. 437. Burmannus eo non bene retulit h. l. Nam *aurae superae* sunt *terra*, opposita locis inferis, ut Graece τὰ ἄνω et τὰ κάτω. Marklandus ad Propert. II. I. 37. edition. Burmannianae, emendasse videtur *superas evadere ad oras*, ut etiam Georg. IV. 486. *Redditaque Eurydice superas veniebat ad oras.* Sed et ibi in omnibus MSS. est *auras*, excepto Vratisl. Et Virgilius Aeneid. III. 40. *gemitus lacrymabilis imo Auditur tumulo, et vox reddita fertur ad auras.* Ut praeferendum arbitror alteri *ad aures.*

Hoc opus, hic labor est. Quintil. Instit. Orat. VI. 2. *Hoc opus eius, hic labor est.*

Tenent media omnia silvae. Haec, et sequens versus displicent Wagnero. »Poeta, dicit, caussam reddere voluit, cur adeo difficilis esset ad superos reditus. Sed eadem etiam ingredienti penetranda erant. Quod si quis iter per ista fecerat ad sedem Plutonis, quidni eadem via reverti licebat?" *Ianua Ditis*, credo, est ipse introitus Averni: huic opponuntur *media.* Iam finge imaginem Labyrinthi subterranei, prona via. Aditus late patet, nullae initio tenebrae, nitor lucis a tergo relictae viatorem aliquamdiu comitatur. Altius atque altius penetrat, spatia fiunt ampliora, sensim silvae, tenebrae, et flexuosi amnium cursus ita impediunt, ut remeandi non amplios sit facultas. Ita fere descripsit Seneca Herc. Furent. 664 sq.

Quod si tantus amor menti, si tanta cupido,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara; et insano iuvat indulgere labori:
Accipe, quae peragenda prius. Latet arbore opaca
Aureus et foliis et lento vimine ramus,
Iunoni infernae dictus sacer: hunc tegit omnis
Lucus, et obscuris claudunt convallibus umbrae.
Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quam qui decerpserit arbore fetus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit. Primo avolso non deficit alter
Aureus; et simili frondescit virga metallo.
Ergo alte vestiga oculis, et rite repertum
Carpe manu. Namque ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant: aliter, non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.
Praeterea iacet exanimum tibi corpus amici,
(Heu nescis) totamque incestat funere classem;
Dum consulta petis, nostroque in limine pendes.
Sedibus hunc refer ante suis, et conde sepulcro.

Quod si tantus amor menti, si tanta cupido. In Codice Goth. *quid.* Heinsius coniicit *quin:* in duobus *tantus amor, menti si tanta cupido.* Mallem: *Sed si tantus amor, menti si tanta cupido.* Sacerdos Aeneae hoc iter non suadebat. Videns autem Aeneam de consilio non deduci, cedit. Ad transitum talis orationis requiritur *sed*, vel in sequentibus *tamen*, *saltem*, aut simile aliquid: v. c. *accipe saltem, accipe, quae inprimis tibi prius sunt peragenda.* Tum magis, credo, ex usu est, *cupido menti*, quam *amor menti.*

Primo avolso non deficit alter Aureus, et simili frondescit virga metallo. Illud *aureus* Wagnero satis languere videtur. Ego dudum putavi pro AVREVS ponendum esse RAMVS: *primo avolso non deficit alter Ramus, et e simili frondescit virga metallo.* Ramum *aureum* supra descripsit. *Ramus*, quia multa intercesserunt, hic non male repetitur. *Ramus frondescit*, frondes accipit, ex auro. Virgulae et folia (ut supra *folia et vimen*) sunt ex auro.

Duc nigras pecudes: ea prima piacula sunto.
Sic demum lucos Stygis et regna invia vivis
Adspicies. Dixit, pressoque obmutuit ore.
  Aeneas maesto defixus lumina voltu
Ingreditur, linquens antrum; caecosque volutat
Eventus animo secum. Cui fidus Achates
It comes, et paribus curis vestigia figit.
Multa inter sese vario sermone ferebant:
Quem socium exanimem *vates, quod corpus humandum,*
Diceret. Atque illi Misenum in litore sicco,
Ut venere, vident indigna morte peremtum;
Misenum Aeoliden: quo non praestantior alter
Aere ciere viros, Martemque accendere cantu.

Quem socium exanimem vates, quod corpus humandum Diceret. Aeneas ante paucas horas amiserat Palinurum, *multa* propterea *gemens casuque animum concussus amici.* Sibylla dixerat: *iacet exanimum tibi corpus amici.* Aeneae statim in mentem venire debebat Palinuri: non poterat dubitare *quis esset socius, quod corpus humandum.* Atque hoc Heynio mirum videbatur. Wagnerus nullam esse mirandi caussam putabat, si versum 160, *Multa illi inter se vario sermone ferebant*, explicamus, *multa varie coniectabant, quem diceret Sibylla.* Sed neque hic locus erat. coniectandi. Palinurum occidisse fere certum, de aliis plane incognitum erat. Iam considera versus praegressos. Aeneas maestus antrum relinquit, volutat animo caecos eventus, fidus Achates comitatur, et curas cum eo partitur, multa inter se colloquuntur. *Hae curae, hi caeci eventus* spectant descensum ad inferos: dubitabat, an unquam patrem esset conventurus. *Ramus* eum sollicitabat. Virgilius dixerat: *Multa inter sese vario sermone ferebant.* Explicavit Grammaticus argumentum sermonis: sed argumentum de *socio*, neque erat unicum, et omnino erat minimum. Aliud, de congressu Anchisae, longe gravius. Virgiliana esse puto haec: *Multa inter sese vario sermone ferebant: Quum socium exanimem Misenum in litore sicco, Ut venere, vident, indigna morte peremtum.*

Aere ciere viros, Martemque accendere cantu. Servius haec annotavit: » Hemistichium hoc dicitur addidisse, dum Augusto hunc sextum librum recitaret: nam ante hemistichium fecerat, dicendo: *aere ciere viros;*

Hectoris hic magni fuerat comes; Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat et hasta.
Postquam illum vita victor spoliavit Achilles,
Dardanio Aeneae sese fortissimus heros
Addiderat socium, non inferiora secutus.
Sed tum, forte cava dum personat aequora concha,

postea in praesentia Augusti, ex abundantia intellectus addidit subito: *Martemque accendere cantu:* quod est item bemistichium." Heynius hoc appellat *fabulam*. Non video, cur non accidere potuerit. Annotatio ista, sicuti illa quidem nunc legitur, non esse videtur ipsius Servii, sed ex Servianis composita. Servius, credo, apud antiquiores Grammaticos legerat; auctor rei erat librarius et libertus Virgilii, Eros. Ita traditur in Vita Virgilii cap. 12. *Erotem librarium et libertum eius, exactae iam senectutis, tradunt referre solitum, quondam in recitando eum duos dimidiatos versus complesse ex tempore: et huic* Misenum Aeolidem, *adiecisse*, quo non praestantior alter: *item huic* aere ciere viros, *simili calore actutum subiunxisse*, Martemque accendere cantu: *statimque sibi imperasse, ut utrumque volumini adscriberet*. De priore versu ita narrare non potuit Eros. Virgilius enim non recitavit *Misenum Aeolidem — Aere ciere viros*, quia sententiam non habent absolutam. Talis versus similis fuisset versui III. Aen. 340. *Quem tibi iam Troia* — qui a Grammaticis tamquam unici fere exempli fuit notatus. Silius hunc versum bis ante oculos habuit, VII. 605. *Morinum pugnas aeris stridore cientem.* et VIII. 488. *Haec eadem pugnae accendere protulit aere.*

Forte cava dum personat aequora concha. Heynius indicat *concham* paullo durius esse positam pro *tuba* vel *lituo*. *Concha*, ni fallor, hic proprie accipienda est. Erat hoc instrumentum, quo Triton canebat. Si Misenus Tritonem vellet aemulari, recte eodem instrumento utebatur. Talem *concham* in litore invenire potuit. Hodie quoque in litoribus quibusdam Franciae et Britanniae huiusmodi conchis canunt. Sonus esse narratur mire acutus, et qui ultra spatium duarum horarum auditur. Nonnulli interpretes ostendunt Ovidii Metam. I. 333. *Caeruleum Tritona vocat, conchaeque sonaci Inspirare iubet — — cava buccina sumitur illi.* Sed apparet Ovidium *concham* appellare *buccinam*, quia *concha* erat Tritoni pro *buccina*. Magis apparet, si versum sequentem addis: *cava buccina sumitur illi, Tortilis, in latum quae turbine crescit ab imo.* Misenus igitur in pugna utebatur *lituo* vel *tuba*; hic, ut similior videretur Tritoni, vera *concha*.

Demens, et cantu vocat in certamina divos,
Aemulus exceptum Triton, (*si credere dignum est*)
Inter saxa virum spumosa immerserat unda.
Ergo omnes magno circum clamore fremebant;
Praecipue pius Aeneas. Tum iussa Sibyllae,
Haud mora, festinant flentes, aramque sepulcri
Congerere arboribus, coeloque educere certant.
Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum:
Procumbunt piceae; sonat icta securibus ilex;
Fraxineaeque trabes cuneis et fissile robur
Scinditur; advolvunt ingentis montibus ornos.
Nec non Aeneas opera inter talia primus
Hortatur socios, paribusque accingitur armis.
Atque haec ipse suo tristi cum corde volutat,
Adspectans silvam immensam, *et sic forte precatur:*

Si credere dignum est. Nota formula, si quid narratur, quod fidem superat, neque fere in eum, de quo narratur, cadere potest. Utitur ipse Virgilius Georg. III. 391. Ovidius Metam. III. 311. Silius III. 425. *letique deus, si credere fas est, Causa fuit leti miserae deus.* Sed quid erat in facto Tritonis credere indignum, non fas credere? Misenus Tritonem cantu provocarat. Erat impium. Merito igitur puniebatur. Et ipse poeta Misenum vocat *dementem*. Si Virgilius ostendere voluit, se caussam mortis Miseni ad fabulas referre, non memorasset potius, quam rei memoratae fidem ita ipse minuisset. Videtur esse additamentum Grammatici. Neque hemistichia necessarie habent absolutam sententiam.

Aramque sepulcri. Ara pro rogo. Vide Burmannum ad Valerii Flacci V. 10. et Oudendorp. ad Lucan. VIII. 736.

Coeloque educere. Male in MSS. quibusdam *adducere*. Silius XV. 389. *coeloque educitur ara.*

Stabula alta ferarum. Valerius Flacc. II. 477. *fluctus Idaea moventes Cum stabulis nemora.* Statius Theb. I. 377. *metuenda ferarum excutiens stabula.* Claudian. Rapt. Pros. II. 209. *stabuli decus armentique iuvencam.*

Et sic forte precatur. Variant MSS. *voce, ore, forte.* Wagnerus *forte* edidit, eoque lectoris animum ad insperati eventus exspectationem excitari putat. Spuria credo. Alii alio modo explevere; hinc diversae lectiones. Aeneas non precatur, sed *haec tristi cum corde volutat*, secum

Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto! quando omnia vere
Heu nimium de te vates, Misene, locuta est.
Vix ea fatus erat, geminae quum forte columbae
Ipsa sub ora viri coelo venere volantes,
Et viridi sedere solo. Tum maximus heros
Maternas agnoscit avis, laetusque precatur:
Este duces, o, si qua via est, cursumque per auras
Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat
Ramus humum. Tuque, o, dubiis ne defice rebus,
Diva parens. Sic effatus vestigia pressit,
Observans, quae signa ferant, quo tendere pergant.

tacitus dicit. Mox demum *precatur* vs. 193. maternas agnoscit aves laetusque *precatur*. *Animo volutare* et *precari* hic plane sunt contraria, illud *clam*, hoc *palam voce* fit.

Vix ea fatus erat. Tacitus, secum, *πρὸς ὃν θυμόν*.

Ubi pinguem dives opacat Ramus humum. Trappius legebat *inaurat*. Ramus nempe exiguus umbra humum *obscurare* non potest. Iudice Heynio, Trappius fortasse addere voluit, *fulgorem auri non inducere umbram*. Heynius has difficultates ita solvit: »Cogitandus est ramus cum frondibus et foliis; huic, etsi ex auro, poeta tribuit, quod commune est omni frondi, ut umbra obducat eam terrae partem, cui respondet suo ad solem positu. Et hoc est *opacat humum*." Equidem non credo scriptorem castigatae orationis universe dicturum fuisse: *ramus opacat humum*; nisi de ingenti quodam se singulari ramo, qui solus fere arborem efficiat. Umbra, quam vulgo unus ramus efficit, tam exigua est, ut tamquam *umbra* vix memorari possit, minime tamquam umbra *humum opacans*. Adde quod iste ramus fuit admodum parvus, *virga* vs. 144. appellatur, et vs. 141. *auricomi foetus*. Hinc *umbra* non oritur. Virgilius scribere debuit: *Ubi pinguem dives opacat Arbor humum. Dives arbor*, quae haberet ramum istum. Arbor ipsa erat ingens, *opaca* vs. 208.

Observans, quae signa ferant. Servius de *augurio* accepit. Sed annotatio ex Servianis videtur corrupta, eamque suspectam habuit Dukerus ad Flori II. 2. Quod autem Grammaticus hic *augurium* voluerit, non a more illius abhorret. Magis miror etiam Heynium sic interpretari. Aeneas, puto, observat, quae *signa columbae ferrent*, hoc est, quo pergerent et ita

Pascentes illae tantum prodire volando,
Quantum acie possent oculi servare sequentum.
Inde ubi venere ad fauces graveolentis Averni,
Tollunt se celeres; liquidumque per aera lapsae
Sedibus optatis gemina super arbore sidunt,

viam monstrarent, quam viam pergendos ignarent. *Augurii*, proprie dicti, nulla hic esse potest ratio. Quamquam et sic interpretatur Silius XVII. 52. *Tunc a sede deum, purumque per aethera lapsae Armigerae Iovis ante oculos coepere volucres Aequoreas monstrare vias.*

Quantum acie possent oculi servare sequentum. Aeneas erat solus. Nec columbas sequebatur, sed stabat, vestigia premens, et columbas oculis observans. Verum indico: *Quantum acie possent oculi servare sequentes.* In Codice Moret. erat *sequendo*, quod idem significaret, atque *oculi sequentes*, sed iure displicet Wagnero, ob praegressum *volando*. Nota dicendi formula *oculi sequuntur* et *oculis sequimur*. Interea Silius, vel quicunque sit auctor libri XVII. vs. 55. inepta imitatione, ostendit se legisse *sequentum: inde, secuti Tantum progressos liquida sub nube volatus, Quantum non frustra speculantum lumina servant.*

Sedibus optatis gemina super arbore sidunt. In aliis MSS. *geminae*. Burmannus coniicit: *geminaeque sub arbore.* Locus non satis planus est. *Sedes optatae*, sunt a columbis *optatae*, vehementer cupitae, ac tandem inventae. Sed columbis si est animus arborem petere, vulgo nihil obstat, quominus statim petant. Aeneas omnibus votis ac precibus eam arborem quaerebat, erat *optata Aeneae*, non adeo columbis. Ita Silius, hunc versum imitans, dixit de Hannibalis militibus, qui non sine summo labore ad cacumina Alpium pervenerant, III. 555. *optato vertice sidunt.* Wagnerus explicat: eo loco, quo *columbas considere optaverat Aeneas.* Et Aeneas poterat arborem quandam dispicere, et optare ut in ea columbae sederent. Sed quid referebat, in qua arbore siderent, modo in vicina aliqua et *optata* sederent? Neque Aeneas prius videbat esse arborem *optatam*, quam aurum ex ramo refulgens videbat. Iam *gemina arbor* significat *duas arbores.* Hinc Heynius, fere ut Cuninghamus, fecit *duos truncos*, in commune fastigium coeuntes. Potest etiam significare, ut Donatus interpretatur, *arborem, quae frondem duplicem et materiam portat.* Neutrum huic loco convenit. Si Virgilius singularem quandam arboris fuisse speciem voluisset, aliam, credo, dedisset speciem, nec ita vocasset *geminam.* Propter unum vero *ramulum aureum*, non recte vocari potest *ge-*

Discolor unde auri per ramos aura refulsit.
Quale solet silvis brumali frigore viscum

mina, ut bene animadvertit Wagnerus, qui coniicit *geminam* esse, quod *ambae* columbae super *eadem* considunt. In aliis MSS. legitur *geminae*. Iam dictum erat: *geminae quum forte columbae venere:* tum, pascentes *illae* prodire volando; inde, ubi ad Avernum venerunt, celeres se tollunt lapsae per aera, et sidunt super arbore. Vides repetitionem *geminae* plane supervacaneam et inutilem. Praeterea appositio illa *sedibus* — *arbore* hoc quidem loco et vi et gratia caret. Habet igitur vulgata scriptura multas difficultates. Si considero, quam similes sint literarum ductus in SEDIBVS at EMINVS, in GEMINAE et AENEAE, veram lectionem fuisse coniicio: *Eminus optata Aeneae super arbore sidunt.* Sidunt super arbore quadam, unde aureus ille ramus refulsit. Nihil habebat arbor praeter caeteras singulare. Quum columbae sidunt, aurum statim in oculos incurrit.

Discolor unde auri per ramos aura refulsit. Auri *splendorem* interpretantur veteres Grammatici, Nonius, Servius, Macrobius. Secuti sunt recentiores. Heynius ad Georg. II. 47. explicavit *luminis reverberationem*, et dicitur hoc exemplis illustravisse, sicuti Mitscherlichius ad Horatii Carm. II. VIII. 24. Equidem valde dubito an probati scriptores unquam vocabulo *aura* sic usi sint. Afferuntur duo exempla, Virgilii Georg. II. 47, de arboribus quae se tollunt *in luminis auras.* Quamquam *aura* et *ora* ita pronuntiabatur, ut discrimen non agnoscares, et multi ediderunt *luminis oras*, rectius tamen est *luminis auras*, quia arbores in *luce* et *aere* laetissime erescunt. Et *luminis orae*, magis dicitur de iis, qui ex tenebris in lucem, in vitam prodeunt, de quo conf. Forbigerus ad Lucretii I. 23. Sed hic non agitur de *splendore*, ut neque in *aetheris auris*, vel *aeris auris*, vel simplici *auris*, quae nihil aliud significant quam *sub divo*, *sub Iove*. Alterum affertur ex Prisciano in Periegesi 1020, *aura viridi quae splendet iaspis*. Est imitatio loci Virgiliani non laudanda. Nam si in *aura auri refulsit*, propter additum *auri* vocabulum, splendor aliquatenus tamen significatur, *aura viridis* notionem *splendoris* non statim ostendit. Dionysius Perieg. vs. 1120. dixit: *Χλωρὰ διαυγάζουσαν ἴασπιν*. Priscianus melius reddidisset: *auro viridi quae splendet iaspis*. Sed scripserit *aura viridi*, nihil hinc efficitur, nisi quod ita in Virgilio suo invenit, et male imitando expressit. Praeter Priscianum nemo alius ita locutus est. Non viderunt credo, illud *auri aura*. Diceres esse antiquum, etiam propter alliterationem quandam. Sed nemo ex antiquis *auram* ita posuit. Ma-

Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos,
Et croceo fetu teretis circumdare truncos:
Talis erat species auri frondentis opaca
Ilice; sic leni crepitabat bractea vento.
Corripit Aeneas extemplo, avidusque refringit

crobius Saturn. VI. 6. ad ea retulit, quae ab ipso Virgilio sunt *figurata*, non a veteribus accepta, et ausu poetico nove quidem, sed decenter usurpata. In eodem capite ea novitas sic explicatur: »Quid est enim *aura auri?* aut quemadmodum aura refulget? Sed tamen pulchre usurpavit." Non intelligo eam pulchritudinem, ut neque Heynianum *exquisite*, nisi ratio ostendatur, qua *auri aura* pro *auri splendor* usurpari possit. Heynius hanc rationem invenit: »*aura adductum* ad suos sensus odorem, etiam *lumen*, bene videbant veteres. Hinc *auram luminosam*, et pro ea *auram luminis* dixere." Sed ad eam rationem *aura auri* non potest dici, quia *aurum* est res inanimata et immobilis, quam *aura* ex loco in locum, sicuti *odorem*, non traducit. Si quis contendat, non ipsum *aurum* traduci, sed *splendorem auri*, is facit hanc formulam: *splendor auri splendorem auri* traducit. Comparant interpretes Graeca Callimachi H. Dianae vs. 117. *φάεος δ' ἐνέηκας ἀϋτμὴν Ἀσβέστου.* et Orphei Argon. 1219. de pulchritudine Circes: *στίλβε δὲ καλὰ πρόσωπα, φλογὸς δ' ἀπέλαμπεν ἀϋτμή.* Sed ista comparari non debuerant. Nam *ἀϋτμὴ φλογός*, *spiritus*, *halitus*, *anima*, *aura flammae*, rei quasi vivae, intelligitur, *auri* non intelligitur: nec Graece dicas *χρυσοῦ ἀϋτμή.* Quare puto Virgilium, si Latinitatem nova figura ditare voluisset, alio potius modo fuisse ditaturum, qui magis cum natura sermonis conveniret. Latinum est *aura auri*, quod eum latere non potuit, sed significat *odor auri:* idque figurate dici potest, ut v. c. Lucianus in Timone p. 123, de adulatoribus, qui ad Timonem celerrime currebant, *ὀσφραινόμενοι τοῦ χρυσίου.* Scribe: *Discolor unde auro per ramos virga refulsit.* AVRA et VIRGA non valde discedunt. *Auro* legitur in Cod. Rom. et Rottend. pr. *Virga*, ut supra vs. 144. *frondescit virga metallo.* Ovidius fortasse *auro* vidit, appellans Metam. XIV. 113. eandem virgam *ramum auro fulgentem.*

Avidusque refringit Cunctantem. Id est, *cunctantem refringi*, qui resistit, quominus refringatur. Ita somnus Palinuro *cunctanti* lumina solvit, qui reluctabatur, Aeneid. V. 856. Sed haec *virga* non dici potest *reluctans* et *cunctans*, quia Sibylla cecinerat vs. 146. *ipsa volens facilisque sequetur.* Tria posuit Virgilius, quae vel minimae cunctationi contraria sunt:

Cunctantem, et vatis portat sub tecta Sibyllae.
Nec minus interea Misenum in litore Teucri
Flebant, et cineri ingrato suprema ferebant.
Principio pinguem taedis et robore secto
Ingentem struxere pyram: cui frondibus atris
Intexunt latera, et feralis ante cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices et aena undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis et unguunt.
Fit gemitus. Tum membra toro defleta reponunt,
Purpureasque super vestis, velamina nota,
Coniiciunt; pars ingenti subiere feretro,
Triste ministerium; et subiectam more parentum
Aversi tenuere facem. Congesta cremantur
Turea dona, dapes, fuso crateres olivo.

ipsa (sponte), *volens*, et *facilis*. Heynius putat esse epitheton simpliciter ornans, et positum pro *tenax*, *lentus*, quia ex auro, ut Georg. II. 236. *glebae cunctantes*. Et eum locum iam Servius comparaverat. Sed vide totum: *glebas cunctantes crassaque terga Exspecta, et validis terram proscinde iuvencis*. Apparet *cunctantes* appellari quae *cunctantur proscindi*, non facile proscindi se patiuntur. Quid in Virgilio pro, *refringit cunctantem* sit scribendum, non video. Waddelii *sectantem* iure non placet Heynio. Melius fortasse est *avidusque refringit Adductam*. Aeneas avidus ramum corripit, *adducit*, *refringit*. Sic Ovidius Pont. III. v. 19. *adducto pomum decerpere ramo*. Melius etiam: *avidusque refringit cedentem*. Veriorem tamen ab aliis medicinam exspecto.

Corpusque lavant frigentis et unguunt. Servius affert versum Ennii: *Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit*. Ennium scripsisse credo: *Tarquinio corpus*. Heynius in Praefat. Edit. secundae pag. LXI. ed. Wagn. hoc exemplum opposuit Bentleio, disputanti, veteres semper protulisse *imperI*, *negotI*, similia. Videbimus ea de re alibi diligentius.

Congesta cremantur Turea dona, dapes, fuso crateres olivo. *Dapes* non per appositionem iungi possunt sive cum *dona*, sive cum *crateres*. Memorantur tria diversa, *tus*, *dapes*, *oleum*. Per *dapes* significari volunt *victimas*. Sed *thus* et *oleum* aeque sunt *dapes* atque *victimae*.

Postquam collapsi cineres, et flamma quievit:
Reliquias vino et bibulam lavere favillam;
Ossaque lecta cado texit Corynaeus aeno.
Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi et ramo felicis olivae,
Lustravitque viros, dixitque novissima verba.
At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum
Imponit, suaque arma viro, remumque, tubamque,
Monte sub aerio: qui nunc Misenus ab illo

Virgilius Aeneid. III. 301. *Solemnes tum forte dapes et tristia dona Libabat cineri Andromache.* Ibi *dapes* sunt lac, sanguis, et quae inferiae *libantur.* De *ture* usurpavit Seneca Oedip. 307. ubi, postquam Tiresias praeceperat: *Arasque dona turis Eoi exstrue*, Manto se fecisse respondet. Rogat Tiresias: *Quid flamma largas iamne comprendit dapes?* Quod minus recte interpretes ad carnes altari impositas referunt. Nam Tiresias demum vs. 434. *tauros* admoveri iubet. Silius quidem XV. 390. (si sunt ista Silii) hunc locum Virgilii imitatus, *dapes* a *ture* fecit diversas: *thura dapesque Et fasces clypeusque viri, pompa ultima,* fertur. Sed auctoritas illa me non deterret, quominus Virgiliana esse dicam corrupta. Et sunt in postremis libris multa, quae Silii nomine feruntur, magis autem a Grammatico aliquo ex centonibus Virgilianis videntur consarcinata. Mutavi TVRRA in VLTIMA et DAPES in SVPER, et locum omni distinctionis signo liberavi: *congesta cremantur Ultima dona super fuso crateres olivo.* Plena olei pocula cremantur *super* ultima dona, quae congesserant. *Super* in hoc ritu valde usitatum. Virgilius VI. Aeneid. 254. *Et solida imponit taurorum viscera flammis, Pingue super oleum fundens ardentibus extis.* Ovidius Metam. VII. 246, *patulas perfundit sanguine fossas; Tum super invergens liquidi carchesia Bacchi.* Heroid. XIII. 113. *Tura damus, lacrymamque super; qua sparsa relucet, Ut solet affuso surgere flamma mero.* Silius XIII. 434. *Corpora lanigerum procumbunt lecta bidentum, Fundunt mella super, Bacchique et lactis honorem. Ultima dona* de inferiis, ut Catullus Carm. 100. *Advenio has miseras, frater, ad inferias, Ut te postremo donarem munere mortis.* Valerius Flaccus V. 13. *inter lacrymas interque extrema virorum Munera.* Silius loco supra laudato, qui formatus est ad hunc Virgilii, appellat *ultimam pompam.*

Dicitur, aeternumque tenet per saecula nomen.
His actis propere exsequitur praecepta Sibyllae.
Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris:
Quam super haud ullae poterant impune volantes
Tendere iter pennis: talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat.
Unde locum Graii dixerunt nomine Aornon.
Quatuor hic primum nigrantis terga iuvencos
Constituit, frontique invergit vina sacerdos;
Et summas carpens media inter cornua saetas,
Ignibus imponit sacris, libamina prima,
Voce vocans Hecaten, Coeloque Ereboque potentem.
Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris. Ipse atri velleris agnam
Aeneas matri Eumenidum magnaeque sorori
Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue super oleum infundens ardentibus extis.

His actis. Fuere qui nimis historicum putarent. Silius et alii imitando probarunt. Silius VII. 730. *quis actis.* XVI. 275. *his actis.*

Scrupea. Scropea est vox nihili. *Scrupea* egregie illustravit Heinsius ad Valerii Flacci II. 518.

Unde locum Graii dixerunt nomine Aornon. Non legitur in Vatican. In Mediceo aliisque melioribus manu recentiore additus est. Fictus videtur ex Dionysii Periegesi, 1151. τοὔνεκά μιν καὶ φῶτες ἐπικλείουσιν Ἄορνον. Et Virgilius potius scripsisset: *Unde loco Graii dixerunt nomen Aornon*, vel *Aorno.* Vide Wagnerum, qui cum Heynio et optimis interpretibus versum eiecit. Iam Heinsius spurium esse ostenderat.

Ignibus imponit sacris, libamina prima. Melius, credo, legitur: *Ignibus imponit sacris libamina, primam Voce vocans Hecaten. Setae* sunt *libamina.* His in ignem coniectis, *statim*, *primam*, ante omnes deos deasque, invocat Hecaten. *Ante omnes* in re simili usurpat Silius XIII. 430.

Ecce autem, primi sub lumina solis et ortus,
Sub pedibus mugire solum, et iuga coepta moveri
Silvarum, visaeque canes ululare per umbram,

Ecce autem, primi sub lumina solis et ertus. Plane idem est *sub lumina* primi solis, et, sub *ortus* solis. Non vidi exemplum talis tautologiae, quam valde ingratam esse arbitror. Quanto melius Catullus Epithal. 272. *Aurora exoriente, vagi sub lumina solis.* Valerius Flaccus III. 257. *Ecce levi primo iam spargere lumine portus Orta dies.* Quamquam pro LEVI scribendum puto AVTEM. Silius XIII. 132. *primos ad luminis ertus.* Seneca Troad. 169. *summa iam Titan iuga Stringebat: Ortus vicerat noctem dies: Cum subite caeco terra mugitu fremens Concussa, totos traxit ex imo sinus. Movere silvae capita.* Quod nunc in MSS. Virgilianis, quae novimus, fertur, hoc facile corrumpi potuit ex emissa voce *subite* ante *sub.* Versus certe longe melior nascetur: *Ecce autem primi subito sub luminis ortus.* Seneca l. l. *subito* hic legisse videtur. Et mire facit ad augendum terrorem.

Iuga coepta meveri Silvarum. Iuga, in quibus sunt silvae. Virgilius iterum XI. 545. *iuga longa petebat Solorum nemorum.* Virgilius Graecos sequitur. Auctor Hymni in Cererem 386. ὄρος κάτα δάσκιον ὕλης. Ubi Vossius corrigit ὄρευς κάτα δάσκιον ὕλην, Ruhnkenius ὄρος κάτα δάσκιον ὕλῃ. Loca Virgilii ostendunt nihil esse mutandum. In Virgilio quoque nonnulli frustra difficultatem invenerant. Poeta mutavit consuetum *silvas iugorum.* Ita locutus est Aeneid. VII. 659. *Cellis Aventini silva.* Et sic Graeci solent. Eurip. Androm. 850. καθ' ὕλαν ὀρέων. Pro *coepta*, Seneca Natur. Quaest. VI. 13. habet *celsa.* Elegantius, puto.

Visaeque canes ululare per umbram. In talibus prodigiis frequens est usus participii *visus.* Virgilius Aeneid. III. 90. *tremere omnia visa repente Liminaque laurusque dei.* IV. 460. *Hinc exaudiri voces et verba vocantis Visa viri.* Ovidius Metam. XIV. 406. *Exsiluere loco (dictu mirabile) silvae: Ingemuitque solum. Et lapides visi mugitus edere raucos, — Et latrare canes.* Duplex, e sententia veterum Grammaticorum, esse potest interpretatio. Servius ad Aeneid. III. 90. Stoicos et Academicos secutus est, qui dicunt ea, quae contra naturam sunt, non fieri, sed fieri videri. Idem ad Aeneid. IV. 455. non ululasse canes, *sed fieri visum.* Altera interpretatio est Donati ad Terentium Eunuchi III. II. 1. »Omnes sensus *visa* dicuntur, ab eo quod est certissimum (Burmannus ad Ovidii Amor. II. v. 19. volebat *certissimus*) oculorum. Ergo, *visa sum, sensi*, ut Virgilius: *visaeque canes ululare per umbram.*" Quamquam sententia Donati propius ad veritatem accedit, animad-

Adventante dea. Procul o, procul este, profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco;
Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum.
Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo.
Tantum effata, furens antro se immisit aperto:
Ille ducem haud timidis vadentem passibus aequat.
Di, quibus imperium est animarum, Umbraeque silentes,
Et Chaos, et Phlegethon, loca nocte tacentia late,
Sit mihi fas audita loqui; sit, numine vestro,

verti tamen, illud *visus* saepe poni, ut rei narratae terribilis species magis ostendatur. Dido IV, 465. *audiro videbatur* vocem viri vocantis, sed vix ipsa credebat auribus suis. Sed Aeneae, in Orcum descendenti, et Hecate adventante, quid videri poterat incredibile? Neque ipse, neque lectores dubitare possunt. Solum revera *mugit*, *iuga moventur*, *canes ululant*. Ita ut Apollon. Rhod. III. 1216. *ἀμφὶ δὲ τήνγε* (Hecaten) *Ὀξείῃ ὑλακῇ χθόνιοι κύνες ἐφθέγγοντο*. Scriptum mallem: *saevaeque canes ululare per umbram*. Et epitheton convenit canibus, et talo epitheton in latratu ululatu usitatum est. Virgil. Aeneid. V. 257. *saevitque canum latratus ad auras*. Lucan. I. 548. *flebile saevi Latravere canes*.

Totoque absistite luco. Seneca Herc. Furent. 804. *antroque toto cessit*. Silius II. 371. *toto absistite ponto*.

Sit mihi fas audita loqui. Imitatio Senecae Herc. Furent. 658 Heynium non latuit: *Fas omne mundi, teque dominantem precor Regno capaci; teque quam tota irrita Quaesivit Aetna mater; ut iura abdita Et operta terris, liceat impune eloqui.* Seneca *Fas* invocat, et facit Numen, aeque ac Plutonem et Proserpinam. Fieri potest, ut in Virgilio legerit: *Sit mihi, Fas, audita loqui.* *Fas* est dea fere, quam Graeci Dicen vel Nemesin appellant. Hinc in formulis *Audite Ius Fasque*, ut apud Livium VIII. 5. Conf. Heinsius ad Aeneid. VI. 438. *Sit mihi* idem est, quod Seneca dixit *liceat*. Vide Heinsium ad Ovidii Artis Amatoriae II. 28. Sed etiam formula *sit mihi fas*, et *est mihi fas*, pro *liceat* et *licet* ponitur. Attigimus ad Horat. Carm. II. 16. Caeterum comparandus hic est locus Valerii Flacci II. 439. *Hactenus in populos, vates Samothraca, diemque Missa mane, sacrisque metum servemus opertis.* Ubi scribendum *Missa fave*. Sis nobis placida et faveas, quod haec tantum aperuimus: *νῆσος* (Samothrace) *κεχάροιτο* in simili caussa dixit Apollonius Rhodius.

Pandere res alta terra et caligine mersas.
  Ibant obscuri sola sub nocte per umbram,
Perque domos Ditis vacuas, et inania regna.
Quale per incertam Lunam sub luce maligna
Est iter in silvis: ubi coelum condidit umbra
Iupiter, et rebus nox abstulit atra colorem.
Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curae,
Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus,
Et Metus, et malesuada Fames, ac turpis Egestas;
Terribiles visu formae; Letumque, Labosque;
Tum consanguineus Leti Sopor, et mala mentis
Gaudia, mortiferumque adverso in limine Bellum,

Quale per incertam Lunam. Formam versus imitatur Valerius Flaccus IV. 195. *Qualiter ignotis spumantem funditus amnem Taurus aquis qui primus init, spernitque tumentem, Pandit iter.* Citavi ista, ut emendarem: *Quale per.*

Luctus et ultrices posuere cubilia Curae. Servius interpretatur *Curas conscientiae*, ex Iuvenale XIII. 193. *quos diri conscia facti Mens habet attonitos, et surdo verbere caedit.* Multum dubito, an *Curae* ita de mala conscientia inveniantur: et *ultrices* nimis universe dictum. Exspectassem certe *scelerum ultrices.* Fortasse scribendum: *Luctus, et altrices posuere cubilia Curae.* Eleganter iunguntur *Luctus*, et *Luctus altrices Curae. Curae* varii generis, quae corda humana sollicitant, et luctum alunt. Ita mox: *consanguineus Leti Sopor.* Et Silius XIII. 582. *Moeror pastus Fletu. Posuere cubilia*, Hesiodeum refert Theogon. 64. *Πὰρ' δ' αὐτῇς Χάριτές τε καὶ Ἵμερος οἰκί' ἔθεντο.* Ibi in aliis est ἔχουσι. Conf. Wyttenb. ad Plutarchi Moral. T. I. Anim. pag. 425. Virgilius vidit ἔθεντο, quem imitatur Statius Theb. II. 37. *Illic exhausti posuere cubilia venti.*

Malesuada Fames ac turpis Egestas. Orosius II. 4. *Egestas turpis, atque obscaena Fames.*

Mala mentis Gaudia. Virgilius *Invidiam*, a nemine imitatorum omissam, diserte non nominavit. Expressit, credo, hic per *mala mentis Gaudia. Mala gaudia*, quae nemo laudet, profecta scilicet ex laetitia propter aliorum calamitates. Sic Valerius Flaccus VI. 178. *Mala Leti gaudia.* Ibi Burmannus laudat Statii I. Theb. 229. *Mala gaudia matrum.*

Ferreique Eumenidum thalami, et Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens: quam sedem Somnia volgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus haerent.
Multaque praeterea variarum monstra ferarum,
Centauri in foribus stabulant, Scyllaeque biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernae
Horrendum stridens, flammisque armata Chimaera,
Gorgones, Harpyiaeque, et forma tricorporis umbrae.
Corripit hic subita trepidus formidine ferrum
Aeneas, strictamque aciem venientibus offert;
Et, ni docta comes tenuis sine corpore vitas
Admoneat volitare cava sub imagine formae,
Irruat, et frustra ferro diverberet umbras.
Hinc via, Tartarei quae fert Acherontis ad undas.

Centauri in foribus stabulant. MSS. quaedam *fabulant* et *stabant.* Silius XIII. 579. vulgata quoque tuetur: *Quanta cohors, omni stabulante per atria monstro, Excubat, et manes permixto murmure terret!*

Gorgones, Harpyiaeque, et forma tricorporis umbrae. Servius hic annotavit, si tamen ipse Servius fecit: »Sane quidam dicunt, versus alios hos a poeta hoc loco relictos, qui ab eius emendatoribus sublati sint: *Gorgonis in medio portentum immane Medusae, Vipereae circum ora comae cui sibila torquent: Infamesque rigent oculi: mentoque sub imo Serpentum extremis nodantur vincula caudis.*" Et versus, et fabula de emendatoribus eundem, puto, habent auctorem. Fingebant ista, ut suis versibus auctoritatem conciliarent. Et Heynius versus esse inepti interpolatoris censet.

Aciem venientibus offert. Montalb. *effert.* Sed *offert* est *opponit.* Vide Burmannum ad Lucan. IX. 64.

Cava sub imagine formae. Hoc erit *sub forma formae. Umbrae* enim sunt *imago, forma, εἴδωλα;* imitantur aliquid, revera non sunt, quod imitantur. Imitantur *vivum hominem.* Sunt imago vivi hominis, imago vitae. Mallem: *Et, ni docta comes tenuis sine corpore formas Admoneat volitare cava sub imagine vitae.* Sic Ovidius Metam. XIV. 80. *pyra, sub imagine sacri;* quae imaginem, formam sacri referebat.

Turbidus hic coeno vastaque voragine gurges
Aestuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas et flumina servat
Terribili squalore Charon: cui plurima mento
Canities inculta iacet; stant lumina flamma;
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
Et ferruginea subvectat corpora cymba,
Iam senior; sed cruda deo viridisque senectus.
Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Matres atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,
Impositique rogis iuvenes ante ora parentum.
Quam multa in silvis auctumni frigore primo
Lapsa cadunt folia; aut ad terram gurgite ab alto
Quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus

Sordidus ex humeris nodo dependet amictus. Claudianus Carm. 88. hunc versum ita legit. Legit et Seneca Herc. Furent. 766. *Impexa pendet barba; deformem sinum Nodo coercet.* Atque illud Senecae facilius intelligitur, quam Virgilii. Ne quis tamen scribendum contendat *nudo*, Pierius opportune statuas ostendit, in quibus ornatus *ex humeris nodo religatus* pendet.

Velisque ministrat. Pro *regit velis.* Ea significatio in plerisque exemplis obtinet, quae viri docti in unum coegerunt ad Valerii Flacci III. 38. Silii II. 674. et Gratii Cyneg. 314.

Cruda deo viridisque senectus. Tacitus Agricola: 23. *quibus cruda ac viridis senectus.* Seneca Oedip. 166. *Quique capaci turbida cymba Flumina servat durus senio Navita crudo.* Vide Gronovium.

Lapsa cadunt folia. In Montalb. *ipsa*, prima litera, ut saepe, a librario omissa. Wakefieldus non bene coniicit *laesa.* Nam vere Latinum est *lapsa cadunt*, in terram decidunt. An esset Latinum, diu ante Wakefieldum quidam dubitavit, quem docuit Gronovius ad Senecae Herc. Oet. 1163. Et sic Livius saepe, v. c. I. 56. *velut si prolapsus cecidisset.* Dicemus etiam de eo Aeneid. XI. 793.

Frigidus annus. Burmannus ex paucis MSS. minus, puto, recte, ediderat *amnis.* Heynius bene *annus* revocavit. Nam neque *amnis* sic absolute satis bene ponitur, neque recte *fugat*

Trans pontum fugat, et terris immittit apricis.
Stabant orantes primi transmittere cursum,
Tendebantque manus ripae ulterioris amore:
Navita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos;
Ast alios longe submotos arcet arena.
Aeneas, miratus enim, motusque tumultu,
Dic, ait, o virgo, quid volt concursus ad amnem?
Quidve petunt animae? vel quo discrimine ripas
Hae linquunt, illae remis vada livida verrunt?
Olli sic breviter fata est longaeva sacerdos:
Anchisa generate, deum certissima proles,
Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem,
Di cuius iurare timent et fallere numen.
Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est;

aves trans pontum; et est Homericum *χειμῶνα φύγον*. *Annus frigidus* est *χειμών*. *Annus hibernus* apud Horatium. Virgilius cogitavit Italiam, unde aves hiberno tempore trans mare in calidiores terras abeunt. Pro *frigidus*, Schraderus coniicit *Threcius*, quia praecedit *frigore*. Marklandus ad Statii Silv. I. III. 8. scripsit: »*frigidum annum* eodem sensu vocat Virgilius, loco corrupto, *de quo alibi*." Nescio quid in sequentibus esse corruptum putaverit Britannus eximius. Fortasse postea nihil esse ipse vidit. Nam de eo loco non egit.

Terris immittit apricis. MS. Leid. *et campis*, Barth. *atque oris*. Heyn. *campis*, Wakefield. *oris* praeferunt, quia brevi intervallo legitur *terram*. Tales repetitiones in Aeneide tam crebrae sunt, ut periculosum videatur eas ubique tollere. Testantur Aeneidem non esse a Virgilio absolutam.

Illae remis vada livida verrunt? Fluvium transeunt, dum Charon remis vada verrit.

Di cuius iurare timent et fallere numen. Miror in nullo MS. inveniri *nomen*. Dei iurant *per numen*, numina per numen, per *numen fluvii* Stygii, haec nescio quid a rei et linguae natura abhorrens continent. Simplicius ac gravius; Dei Styga, *nomen Stygis* invocantes, peierare timent. Vel ipsum *nomen Stygis* horrorem incutit.

Inops inhumataque turba est. *Inops*, cui nemo opem tulit, iusta persolvit: vide Heynium. Virgilius mox appellat *mortis honore carentes*. Aliter accepit Schol. Iuven. III. 267. *Et nunc apud Athenienses mortuis*

Portitor ille, Charon; hi, quos vehit unda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos, volitantque haec litora circum:
Tum demum admissi stagna exoptata revisunt.
Constitit Anchisa satus, et vestigia pressit;
Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.
Cernit ibi maestos et mortis honore carentis,
Leucaspim, et Lyciae ductorem classis Oronten:
Quos simul, a Troia ventosa per aequora vectos,
Obruit auster, aqua involvens navemque virosque.
Ecce gubernator sese Palinurus agebat:
Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,
Exciderat puppi mediis effusus in undis.

solent in ore nummum immittere, ut apud inferos non tamquam inopes errent; unde naulum Charon accipere solebat, ut Virgilius. Vocabulum *Athenienses* in hoc Scholio corruptum est, mutandum, credo, in *Ethnicos.* Nam sunt in his Scholiis multa Christiana.

Quos vehit unda. Nescio cur Schraderus pro *unda* voluerit *ille.*

Transportare prius. MS. Leid. *Transportare suis.* Eleganter. Et *prius* saepe omittitur, ut apud Graecos πρὶν et μᾶλλον ante ἤ.

Multa putans. Silius VII. 519. *Multa putans secum.* Vide Ruhnk. ad Terentium Eunuchi IV. II. 4. Non opus igitur est emendatione *multa agitans.*

Ecce gubernator sese Palinurus agebat. Omne hoc de Palinuro Episodium Virgilio vix dignum esse mihi videtur. Praeterea longius est, et tota res levior pro caetera rerum gravitate, nec cum argumento satis coniuncta.

Qui Libyco nuper cursu. Cursus *Libycus* est, versus Libyam, Carthaginem. Sed hic debet significare *cursum* a Carthagine. Quamquam neque recte diceretur *cursus versus Carthaginem*, quia Troiani non hoc habebant consilium, sed tempestate eo delati sunt, ignorantes plane, quo veherentur.

Effusus. Marklandus ad Statii Silv. V. I. 137. citat *demersus*, sive ex memoria, sive, quod interdum facit, tacite ita scribendum videri significans.

Hunc ubi vix multa maestum cognovit in umbra:
Sic prior alloquitur: Quis te, Palinure, deorum
Eripuit nobis, medioque sub aequore mersit?
Dic age. Namque mihi, fallax haud ante repertus,
Hoc uno responso animum delusit Apollo:
Qui fore te ponto incolumem, finisque canebat
Venturum Ausonios. En haec promissa fides est?
Ille autem: Neque te Phoebi cortina fefellit,
Dux Anchisiada, nec me deus aequore mersit.
Namque gubernaclum multa vi forte revolsum,
Cui datus haerebam custos, cursusque regebam,
Praecipitans traxi mecum. Maria aspera iuro,

Hunc ubi vix multa maestum cognovit in umbra. Silius XIII. 705. haec legisse videtur: *Iamque aderat multa vix agnoscendus in umbra Paullus.* Ubi Lefeburius et Rupertus poetam non intellexerunt.

Quis te, Palinure, deorum Eripuit. Aeneas nihil de caussa mortis sciebat.

Hoc uno responso animum delusit Apollo. Frustra in aliis *derisit.* Heinsius egregia emendatione restituit Valerii Flacci VI. 729. *Vos superi, vos augurio lusistis inani.* Legebatur *iussistis.* Adde Virgilium Aeneid. I. 407. *Quid natum toties, crudelis tu quoque, falsis, Ludis imaginibus?* Interim de hoc responso nusquam aliquid legitur.

En haec promissa fides est? Alii Codd. *promissa fidesque* et *fidesque est.* Burmannus et Heynius recte alterum praetulere, quod est in optimis at plerisque Codd., et sonum habet graviorem in fine, et admirationi magis convenientem.

Nec me deus aequore mersit. Servius distinxit *nec me:* »Nam *Somnus* eum deiecit, et *Somnus est deus.*" Heynius explicat: »Deus aliquis me non mersit, quin ad Italiae litus enatarem." Heynius facit Palinurum fere iocantem in tristi conditione: Deus quidem me in aquam *deturbavit*, sed non *submersit*, nam emersi et natavi ad Italiam. Alia quaedam recte contra hunc locum disputat Schellerus, Praeceptorum Stili Bene Latini pag. 748.

Cui datus haerebam custos. Recte *custos templi, ianuae, liminis.* An etiam recte *custos gubernaculi?* Nondum alibi inveni.

Maria aspera iuro. Mirum iusiurandum Palinuri, *umbrae*, per *maria.* Iurasset potius per *Orcum.*

Non ullum pro me tantum cepisse timorem,
Quam tua ne, spoliata armis, excussa magistro,
Deficeret tantis navis surgentibus undis.
Tris notus hibernas immensa per aequora noctis
Vexit me violentus aqua: vix lumine quarto
Prospexi Italiam summa sublimis ab unda.
Paullatim adnabam terrae; iam tuta tenebam:
Ni gens crudelis madida cum veste gravatum,

Non ullum pro me tantum cepisse timorem. Mediceum a manu pr. *illum.* Hoc mihi non spernendum videtur. *Illum* timorem, quem capiebam, in mare decideus. Si quis subito in mare cadit, unus modo est metus, ne pereat. *Ille* metus, non erat hic tantus Palinuri, quantus erat pro Aenea.

Spoliata armis. Arma de gubernaculo solo uusquam alibi legitur.

Deficeret tantis navis surgentibus undis. Versus soni ingrati. Et vanus erat metus Paliuuri. Nam in fine libri V. narratur, fuisse tempestatem maxime serenam; quin, Palinure iam de nave excusso, *Currit iter tutum non secius aequore classis, Promissisque patris Neptuni interrita fertur.*

Tris notus hibernas immensa per aequora noctis. Erat, ut dixi, serenum. Iam Palinurus quidem in gubernaculo insidens natasse videtur, sed aliquid dicere debuisset, unde Aeneas intelligeret.

Vix lumine quarto Prospexi Italiam. Nihil dicam de tempore tam diuturno, quod fluctibus agitatus est. Sed dies hic *quartus* nondum esse potest, quo cum Aenea loquitur. Palinurus media uocte in mare decidit. Faciamus fuisse 1 diem mensis Iunii. Aeneas paucis post horis Cumas allabitur. Statim adit Apollinem. Accepto oraculo, cum Achate antrum relinquit, ad naves redit, Misenum iu litore invenit. Omnes socii iam circa cadaver fremebant. Haud mora, eunt in silvam, caedunt ligna, socios hortatur Aeneas. In ea silva ramum repertum ad Sibyllam deportat. Interea socii exsequias Miseno facere pergunt; Aeneas, ab antro reversus, imponit tumulum. Tum iussus mactat pecudes in introitu Orci. Sub lumina primi solis (adventante die 11 Iunii) Orcum intrat, brevique post Palinurum videt. Quare inter tempus, quo Palinurus in mare decidit, et tempus quo Aeneas eum convenit, intercessere horae circiter viginti octo. Ergo Palinurus dicere non potuit se *vix lumine quarto* prospexisse Italiam.

Iam tuta tenebam. Atqui hoc periculosissimum, si quis prensat *capita aspera montis;* metus enim est, ne vi fluctuum vel illidatur rupi, vel in mare reiiciatur.

Prensantemque uncis manibus capita aspera montis,
Ferro invasisset, praedamque ignara putasset.
Nunc me fluctus habet, versantque in litore venti.
Quod te per coeli iucundum lumen et auras,
Per genitorem oro, per spes surgentis Iuli;
Eripe me his, invicte, malis; aut tu mihi terram
Iniice, namque potes, portusque require Velinos;

Uncis manibus. Ridiculum epitheton.

Praedamque ignara putasset. Ignorans, me in mare decidisse, nihilque mecum portare. Spe praedae Palinurum interfecisse, et, videntes se esse deceptos, cadaver in fluctus reiecisse videntur. Quod erat in uno MS. *ignava*, placuit Wakefieldo.

Per spes surgentis Iuli. Pauciores Codd. *per spem.* Heynius indicat in plurali plus inesse dignitatis ac gravitatis. Et frequens est pluralis. Vida, praeter alios, Schultingium ad Senecae Controv. I. pag. 104. Et certe *per spes* significat praecipuam ac fere omnem dulcissimam spem patri in filio repositam. Graeci quoque sic utuntur *ἐλπίδες*. Atque hic notandum, *liberos*, *unum* etiam, saepe appellari *spes* parentum. Locus autem formatus esse videtur ad Aeneid. IV. 274. *Ascanium surgentem, et spes haeredis Iuli.*

Eripe me his, invicte, malis. Trebellius Pollio in Vita Tetrici, scripsit: »Versus illius (Tetrici) fertur, quem statim ad Aurelianum scripserat: *Eripe me his, invicte, malis.*" Si versus est Tetrici, non est Virgilii. Sed ignorabat, credo, Trebellius, esse Virgilii, ut ignorabat Orosius VII. 23. Eutropius IX. 13. magis accurate: *Quin etiam per literas occultas Aurelianum ita fuerat deprecatus, ut inter alia versu Virgiliano uteretur: Eripe me his, invicte, malis.* Metaphrastes Eutropii: *καὶ τὸ ἔπος ἐνθεῖναι τοῖς γράμμασιν, ὃ πεποίηκεν ὁ Βεργίλλος, ἐκ προσώπου Παλινούρου πρὸς τὸν Αἰνείαν: Ἐξάρπασόν με τούτων ἀήττητε τῶν κακῶν.* In quo apparet studium faciendi versus iambici.

Mihi terram Iniice. Terram iniiciebant subito praetereuntes, et festinantes alio, ut aliquam saltem misericordiam ostenderent. Rogare debuit, ut Aeneas ipsum sepeliret ac iusta faceret. Et Aeneas facere poterat, si corpus inveniret, ut Palinurus ostendit iacere ad portus Velinos.

Namque potes. Sic rogamus in re difficili, quae quidem facilis est rogato, sed tamen illius potentiam indicat.

Portusque require Velinos. Inepta prolepsis. Quomodo Aeneas locum inveniret, qui vel nullo vel longe alio nomine appellabatur?

Aut tu, si qua via est, si quam tibi diva creatrix
Ostendit (neque enim, credo, sine numine divom
Flumina tanta paras Stygiamque innare paludem),
Da dextram misero, et tecum me tolle per undas,
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.
Talia fatus erat, coepit quum talia vates:
Unde haec, o Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas amnemque severum
Eumenidum adspicies, ripamve iniussus adibis?
Desine fata deum flecti sperare precando.
Sed cape dicta memor, duri solatia casus.
Nam tua finitimi, longe lateque per urbes

Coepit quum talia vates. Sibylla respondet, ne forte Aeneas aliquid tentaret, quod fas non erat. Pro *vates*, Priscianus in exemplo suo vidit *virgo.*

Amnemque severum Eumenidum adspicies. Virgilius Georg. III. 37. *amnemque severum Cocyti adspicies.* Propertius IV. XI. 22. *Eumenidum intento turba severa choro.* Conf. Heinsius ad Valerii Flacci III. 446. Cur amnis dicatur *Eumenidum*, non satis intelligo.

Ripamve iniussus adibis? Iam olim ferebatur duplex scriptura, *abibis* et *adibis.* Quod in editionibus quibusdam legitur, *obibis*, errori videtur tribuendum. *Adire* hic est, quod Virgilius mox dicit *pedem advertere ripae.*

Nam tua finitimi. Marklandus ad Statii Silv. V. I. 127. »Locus, nisi omnia me fallunt, insigni absurditate foetus est. Si enim *finitimi*, quomodo *longe lateque per urbes?* idem est, ac si dixisset; *finitimi longinqui* piabunt tua ossa: quod sane mirum ducerem, nisi quod nihil mirum habendum est in poemate tam imperfecto." Sunt sine dubio in Aeneide, qualis ad nos venit, multa absurda. Vere de ea scripsit idem Marklandus in Praefatione ad Statii Silvas: »Plurima sunt in Aeneide, quae, si ego, (pessimus omnium poeta) versus scriberem, nollem in meis conspici. Et licet numero infinita ultra humanae imitationis metas in illo emineant, nonnulla tamen sunt contradictoria, multa languida, exilia, nugatoria, spiritu et maiestate carminis heroici defecta, quae si perfecti operis signa sunt, per me, quantum libet, perfecta sit Virgilii Aeneis. Non solus ita censeo: imo hoc sensisse videtur ipse Virgilius, optimus certe sui index; aut

Prodigiis acti coelestibus, ossa piabunt,
Et statuent tumulum, et tumulo sollemnia mittent;
Aeternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curae emotae, pulsusque parumper
Corde dolor tristi; gaudet cognomine terra.
Ergo iter inceptum peragunt, fluvioque propinquant.

quare flammis aboleri iussisset hoc opus? Sed et solus ita censebo, donec sensus communis et rerum notiones animo haerebunt. Impudentiam vel dementiam meam miraris? Quod dixi, praestare paratus sum." Burmannus quidem in Praefat. Virgiliana Marklandum propter eam disputationem vehementissime reprehendit: sed, animadvertente Ruhnkenio Epist. Vol. III. ed. Mahn. ille numquam fere sine invidia de Britanno iudicabat. Et quae Burmannus contra loquitur, ea nihil efficiunt, satisque apparet, graviorem Critices partem, in qua Marklandus excellebat, a Burmanno non fuisse intellectam. Si Marklandus, quod dixit se praestare paratum, praestitisset, rem his literis fecisset utilissimam. Quod autem omnia ista, quae culpat, Virgilio ipsi tribuit, nihil interpolatoribus, in eo fortasse sententiam, rem ipsam aggressus, mutasset. Nam poeta, qui in locis numero infinitis ultra humanae imitationis metas eminuit, scribere interdum potuit, servato emendandi consilio, aliquid minus eleganter, quam ipse requiri sentiebat, conceptum: *languida, contradictoria, exilia, nugatoria, spiritu et maiestate carminis heroici defecta*, scribere non potuit. Quod quum interpretes non cogitaverint, omnia explicando probare studuerunt. Velnti haec, quae reprehendit Marklandus, alii putant recte se habere, si construas: *finitimi, acti prodigiis coelestibus, longe lateque per urbes:* alii dicunt, nomen *finitimorum* includere totam gentem, per quam, longe lateque habitantem, pestis a diis immissa serpebat. Mihi quidem non persuaserunt. *Finitimi sunt acti, finitimi piabunt*, intelligo. *Finitimi, longe lateque per urbes*, hoc est *vicini tui* (cadaveri tuo), qua late patet Italia, non intelligo.

His dictis curae emotae. Duo versus tam sunt humiles et inficeti, ut, si quis, admonitus, eos diligenter consideret, et tamen Virgilio dignos contendat, eum vel omni elegantiae sensu destitutum, vel contra animi sententiam disputare arbitrer, hoc est, ut experiatur, quantum ingenio ad malam causam defendendam efficere valeat. Et saepe plus ingenii requiritur ad spuria ista explicanda, quam argumentis compungenda.

Ergo iter inceptum peragunt. Eiecto Episodio, haec optime conne-

Navita quos iam inde ut Stygia prospexit ab unda
Per tacitum nemus ire, pedemque advertere ripae;
Sic prior aggreditur dictis, atque increpat ultro:
Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
Fare age, quid venias; iam istinc; et comprime gressum.

etuntur cum vs. 333 sq. *Cernit ibi maestos et mortis honore carentis*, Leucaspim, Orontem, et illorum socios. Tum iter pergunt. Nam *ergo* significat *deinde*. Et quamquam *pergere* sit contractum ex *peragere*, fortasse tamen melius scribetur *pergunt*, quod antiquiores maximam partem praetulisse videntur. Conf. Cortius ad Sallust. Iugurth. 75. Apposite Terentius Hecyr. I. II. 119. *Pergam, quo coepi, hoc iter.* Ostendi praecipua quaedam, cur mihi hoc Episodium displiceat. Adde, magnam in eo esse lectionum varietatem, earumque talium, quae sibi invicem sint dissimiliores, quam fere in ulla Aeneidis parte. Interea, si non sit Virgilii, oportet esse antiquum, siquidem Statius iam legerit, quod constat ex Silv. V. I. 127.

Stygia prospexit ab unda. Schraderus coniicit *ulva*. Erat, quum Critici talem mutationem amarent. Vide Santenium ad Propert. IV. XI. 15. Hic non est admittenda.

Fare age, quid venias; iam istinc; et comprime gressum. Nonnulla MSS. *istic*. Vulgo interpungunt: *iam istinc et comprime gressum.* Ego dudum interpunxeram: *iam, istinc, et comprime gressum.* Hoc ita interpretabar: *heus tu, age, istinc facesse, et comprime gressum.* Aeneas nempe non auscultabat clamanti, sed ripae appropinquabat. Praeterea est oratio irati Charontis. Accius in Atreo apud Ciceronem de Oratore III. 41. *Illico istinc, ne contagio mea bonis umbrave obsit.* Praeterea Romani *iam* usi esse videntur elliptice, *admonentes, quiritantes*, vel universe commoti. Ovid. VI. Metam. 640. *Eia, et, iam mater, clamantem.* Ita puto locum esse scribendum: Heinsius *eia et iam, mater, clamantem.* Appul. Metam. VI. pag. 407. *Iam et, Discede, et, Quid facis? Vide, et, Quid agis? Cave, et, Fuge, et, Peribis, subinde clamant.* Mallem: *Iam, et, Discede* sq. *Iam* non minus est exclamatio, quam aliae. Varia nempe significat, pro diversa sententiae indole: *nunc, cito, iuva me, fuge, age*, similia. Turbata constructionis ratio, *iam, istinc, et comprime gressus*, pulchre imitatur animum senis. Virgilius hoc et fecit Aeneid. IX. 427. *Me, me, adsum qui feci.* Statius Theb. V. 666. *Vociferans: Illa autem ubinam?* Seneca Charonti similem tribuit orationem, sed sine ellipsi, Herc. Furent. 771. *dirus exclamat Charon:*

Umbrarum hic locus est, Somni Noctisque soporae:
Corpora viva nefas Stygia vectare carina.
Nec vero Alciden me sum laetatus euntem
Accepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque:
Dis quamquam geniti, atque invicti viribus essent.
Tartareum ille manu custodem in vincla petivit,
Ipsius a solio regis, traxitque trementem;
Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.
Quae contra breviter fata est Amphrysia vates:
Nullae hic insidiae tales; absiste moveri;
Nec vim tela ferunt; licet ingens ianitor antro
Aeternum latrans exsanguis terreat umbras;

Quo pergis audax? Siste properantem gradum. Wagnerus suam interpungendi rationem sic explicat: *iam istinc, ab eo loco, ubi nunc stas, fare.*

Accepisse lacu. Schraderus emendat *alveo*, vel *alno*. Sed Wagnerus Quaest. Virg. XXIX. 2. explicat *euntem*, iturum, iturum *lacu* et accepisse *lacu*. Eidem Wagnero tota haec oratio Charontis videtur esse prolixior. Cogitemus senes esse paullo loquaciores, et Charontem, dum vacua cymba e medio Styge ad ripam tendit, nihil aliud habuisse, quod ageret.

Ipsius a solio regis. Fortasse ex antiquo poeta. Cerberus tremens ad solium Plutonis fugerat. Hinc Hercules petiit, ut factum ipsi Plutoni ostenderet. Adeo vel ipsum Ditem contemnebat. Seneca Herc. Oet. 1600. dicit Cerberum abruptis catenis, viso Hercule, fugisse. Idem Herc. Furent. 804. *Extimuit sedens Uterque solio dominus, et duci iubet* (Cerberum).

Licet ingens ianitor antro Aeternum latrans exsanguis terreat umbras. Seneca Epist. 82. *regio, in qua ingens ianitor Orci Ossa super recubans antro semesa cruento Aeternum latrans exsangues territat umbras.* Seneca ista vel ex memoria citavit, partim ex lib. VIII. desumsit, vel etiam ad consilium suum mutavit. Fieri tamen potest, ut in Virgilio legerit *territet umbras*, ut etiam Seneca Herc. Furent. 783. *Hic saevus umbras territat Stygius canis.* Pro *antro* etiam Priscianus vidit *Orci*. Silius hinc antrum *aeternum* fecit, III. 35. *Ast Stygius saevis terrens latratibus umbras Ianitor, aeterno tum primum tractus ab antro.* Putavi aliquando scribi posse: *licet ingens ianitor ore E terno latrans exsanguis territet umbras.* Quod Seneca et Priscianus vi-

Casta licet patrui servet Proserpina limen.

derunt *Orci*, hoc facile corrumpi potuit ex vocabulo *ore*. Nihil autem differunt *aeternum* et *e terno*. Frequens illud *ternum* et *trinum os* de Cerberi latratu. Apposite Statius Silv. II. I. *Illum nec terno latrabit Cerberus ore*. Seneca Herc. Furent. 795. *vocis horrendae fragor Per terna missus ora, felices quoque Exterret umbras*. Plura Heinsius ad Ovidii Heroid. IX, 38. Vulgo quidem dicitur *latrat ore:* sed *ex ore* dici potest, ut *per ora*. Cerberus est *trifaux* canis, unde et Virgilius alibi vocat *latratum trifaucem*, qui maxime pertinet ad saevitiam canis indicandam. Graecis τρικάρηνος, quod reddendum est Appuleio Metam. I. p. 54. *Memini me ima Tartara inque his tu canenem Cerberum prorsus esurientem mei prospexisse*. Ita legebatur in MS. Barthii. Verum est *tricarenum*. Praestat tamen in Virgilio nihil movere. Et *aeternum latret* significat, Cerberum, quod ad Aeneam attinet, securum omnes annos posse latrare; Aeneam non esse facturum, quod fecit Hercules.

Casta licet patrui servet Proserpina limen. *Servare* saepe idem est atque *locum incolere*, *esse*, *manere* ac *vivere* in loco. Virgil. Georg. IV. 383. *nymphae flumina servant*. Aeneid. VII. 52. *nata domum servat*. Nota Inscriptio apud Gruter. 769. *Domum servavit. Lanam fecit*. Iam *limen* quidem pro *domo* ponitur, sed in iis exemplis, ubi significatio non esse potest ambigua, ut *limine exire* et *domo exire*, *limen intrare* et *domum intrare*, et alia v. c. quae laudavit Burm. ad Propert. I. XIII. 33. Limen *servare* ambiguum est. Proserpina *servat limen patrui*, est *observat* et *custodit Plutonem*, ne foras egrediatur aut amicas domum accipiat. Ovid. Amor. I. VI. 63, ad ianitorem: *Non te formosae decuit servare puellae Limina*. Seneca Octav. 625. *limen armatae ducis Servent cohortes*. *Servare* autem frequenter usurpatur de custodia, ne adulterium committatur. Ovidius Amor. II. I. 1. *Quem penes est dominam servandi cura, Bagoe*. Egregie Hieronymus I. ad Iovianum: *Verum quid prodest etiam diligens custodia, quum uxor impudica servari non possit, pudica non debeat? Infida enim custos est castitatis necessitas, et illa vere pudica dicenda est, cui licuit peccare, si voluit*. Illud ambiguum, quod est in *servare limen patrui*, minuetur scribendo: *Casta licet patruo servet Proserpina limen*. *Casta patruo*, servet limen, ultra limen non progrediatur. Magis perspicua est formula *castum servare cubile* coniugis VIII. Aeneid. 412. et Senecae Herc. Furent. 309. *casta fide Servans torum gnatosque magnanimi Herculis*. Graece ἁγνὸν τηρεῖν.

Troius Aeneas, pietate insignis et armis,
Ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras.
Si te nulla movet tantae pietatis imago,
At ramum hunc (aperit ramum, qui veste latebat)
Agnoscas. *Tumida ex ira tum corda residunt.*
Nec plura his. Ille admirans venerabile donum
Fatalis virgae, longo post tempore visum,
Caeruleam advertit puppim, ripaeque propinquat.
Inde alias animas, quae per iuga longa sedebant,
Deturbat, laxatque foros; simul accipit alveo
Ingentem Aenean. Gemuit sub pondere cymba
Sutilis, et multam accepit rimosa paludem.
Tandem trans fluvium incolumis vatemque virumque
Informi limo glaucaque exponit in ulva.
Cerberus haec ingens latratu regna trifauci

Imas Erebi descendit ad umbras. Vocabulum *imus* exemplis illustravit Burm. ad Ovidii Metam. IV. 444.

Tumida ex ira tum corda residunt. Quamquam Heynius recte explicaverit, verba esse poetae narrantis, Charonti corda ex ira resedisse, nec plura his Sibyllam addidisse, longe tamen venustior fit oratio et sententia facilior, si, mediis deletis, iungas: *Agnoscas: Ille admirans venerabile donum.* Charon, agnito ramo, ne verbum quidem regerit, sed statim ripae propinquat, et Aeneam cymba accipit. Nasci potuerunt ex glossa: *tum Charon iram posuit.* Ut Grammaticus ex uno versu faceret duos, requirebatur aliud exiguum additamentum, *nec plura his.* Addere solemus *nec plura*, ut *haec tantum*, post brevissimam orationem. Dixit quidem supra, *breviter fata* est Sibylla. Sed oratio facta est longior, quam ut hic poeta repeteret, Sibyllam *haec tantum, non plura his*, dixisse. Servius *nec plura his*, tamquam dicta vel a Sibylla vel a Charonte interpretatur.

Inde alias animas — Deturbat. Statius Silv. V. I. 251. *ne tardior adsit Navita, proturbetque vadis. Vehit ille merentes Protinus, et manes placidos locat hospite cymba.*

Accipit alveo. In quibusdam *alvo.* Fortasse fuit et *alno.* Vide interpretes ad Silii III. 458. Stat. Theb. IV. 479. *redeat Styga portitor alno.*

Gemuit sub pondere cymba. Ovid. Metam. IV. 448. *Quo simul intravit, sacroque a corpore pressum Ingemuit limen.*

Personat, adverso recubans immanis in antro.
Cui vates, horrere videns iam colla colubris,
Melle soporatam et medicatis frugibus offam
Obiicit. Ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit obiectam, atque immania terga resolvit
Fusus humi, totoque ingens extenditur antro.
Occupat Aeneas aditum custode sepulto,
Evaditque celer ripam irremeabilis undae.
Continuo auditae voces, vagitus et ingens,
Infantumque animae flentes, in limine primo:

Melle soporatam et medicatis frugibus offam. Offa *soporota* est offa cum sopore mixta, sicuti *venenata* diceretur veneno mixta. *Sopor* significat omnem herbam et medicamentum, unde sopor efficitur: vide interpretes ad Nepotem X. 2. Hinc Ovidius Heroid. XIV. 42. *Quaeque tibi dederant vina, soporis erant. Vina soporis*, soporata, ὑπνωτικά. Schol. Lucani IV. 319, ita emendandus est: *Venena miscuerunt fontibus hostium, sed alterum mortis, alterum soporis.* Venenum, φάρμακον, τὸ μὲν θανάσιμον, τὸ δὲ ὑπνωτικόν. Medicamenta autem soporifera plerumque cum melle miscebantur ad corrigendum saporem, non quod in ipso melle ea vis inesset. Hinc Virgilius Aeneid. IV. 486. *Spargens humida mella soporiferumque papaver;* ubi *mella* et *soporem* distinxit. Quae quum ita sint, *offa* dici non potest *soporata melle:* offa *soporata* est frugibus medicatis, sopore ex variis herbis composito. Igitur scribendum est: *Mella, soporatam et medicatis frugibus offam.* Obiicit offam, melle conspersam et soporatam frugibus. Hinc apparet *saporatam*, quod Turnebus et alii malebant, non esse accipiendum.

Totoque ingens extenditur antro. Seneca Herc. Oet. 209. *Tota iacuit sparsus in aula.* Lactantius ad Statii Theb. V. 322. affert ax *Lucano Iliacon lib. Cum vice mutata totis in montibus ardens Terra dedit X coelo naturaque versa.* De illo Lucani libro Iliacon nunc non quaero. Sed supplendum est: *Terra dedit lucem.*

Infantumque animae flentes, in limine primo. Aeneas iamdudum fuerat in *vestibulo Orci*. Etiam trans amnem occupaverat *aditum:* continuo audit vagitus. Non opus sane erat haec addi *in limine primo.* Tum *primo in limine vitae* est formula poetis adeo solemnis, ut *vitae*, nunc loco tam vicino *limini* positae, vix separare possis, quin consuetudini linguae vim inferas. Inprimis huc facit

Quos dulcis vitae exsortis, et ab ubere raptos,
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.
Hos iuxta falso damnati crimine mortis.
Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes.
Quaesitor Minos urnam movet; ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.
Proxima deinde tenent maesti loca, qui sibi letum

Lucani II. 106. *nec primo in limine vitae Infantis miseri nascentia rumpere fata.* Conf. Burmannus ad Claudian. Cons. Honorii II. 63. et Valerii Flacci I. 823. et Oudendorpius ad Appuleii Metam. XI. pag. 798. Praeterea Virgilius ut rem diligentissime et cum affectu oculis ostendat, saepe idem variatis verbis repetit, ut *superatne et vescitur aura*, *neque umbris occubat.* Si hic *in limine primo Orci* interpretaris, sententiam una pulcherrima parte, apta ad augendam misericordiam, privas. Sunt infantes, primo *in limine vitae* ab ubere rapti, atra die ablati et acerbo funere mersi. Iam Wakefieldus distinxit: *Infantumque animae flentes, in limine primo Quos dulcis vitae, exsortis et ab ubere raptos, Abstulit atra dies.* Hoc valde arridebat Heynio, nisi quod *exsortes* esset otiosum. Malim: *in limine primo Quos dulcis vitae exsortis, et ab ubere raptos* sq. Post *limine primo* vocabulum *vitae* cogitatione repetendum est, quasi legeretur, quos *in primo vitae limine vitae exsortes.* Virgilius scribere potuisset: *in limine primo Quos vitae vitae exsortis.* Fortasse nimis affectatum et rhetoricum putasset. Seneca quidem eique similes talia captabant.

Conciliumque vocat. Asconius Pedianus legit *consiliumque*, et interpretatur *iudices* ex umbris lectos: Heynius contra, *turbam forensem*, inprimis eorum, de quibus cognitio habebitur, per *concilium* significari putat. Dictu difficile est, quid poeta voluerit. *Vocare concilium* silentum, est, ut cum *silentibus* deliberet, iudicet. Ita X. Aeneid. 2. *Conciliumque vocat divom.* Atqui sententia postulat, *silentes in iudicium vocat*, ad se vocat, ut ita eorum vitas discat. Antea urnam movet, ut iudices sorte legat, *iudicia reis sortiatur*, ut dixit Seneca Herc. Furent. 732. Iudices autem sunt Minos, Aeacus et Rhadamanthus. *Hi sortiuntur*, non umbrae. Minos *vocat concilium* collegarum, movet urnam et discit vitas et crimina *silentum.* Nisi hic aliquid turbatum sit, debebimus *concilium* accipere pro quavis *multitudine*, et *vocare* pro, ad se in iudicium, *ut iudicentur*, vocare.

Insontes peperere manu, lucemque perosi
Proiecere animas. Quam vellent aethere in alto
Nunc et pauperiem et duros perferre labores!
Fas obstat, tristique palus inamabilis unda
Alligat, et novies Styx interfusa coercet.
Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi: sic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, et myrtea circum
Silva tegit; curae non ipsa in morte relinquunt.
His Phaedram Procrimque locis, moestamque Eriphylen

Insontes peperere manu. Quaedam MSS. *reperere.* Sed prima in *reperere* est longa. Neque adeo rectum est, *sibi reperere.* Schraderus *insontes* alienum arbitrabatur, volebatque *infanda* vel *intenta.* Heynius bene interpretatur *nullo crimine polluti*, sed vitae taedio.

Proiecere animas. Servius: *quasi rem vilem.* Vide Oudendorpium ad Lucani IV. 516. et Graevium ad Ausonium pag. 276.

Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit. Alii Codd. *quas* et *peremit.* Utrumque praefero. Sunt tantum feminae. Et statim sequitur *inter quas.* Sychaeus habitare videtur in loco vicino, non in ipsis campis lugentibus. Ideo Dido refugit *ex campis lugentibus* in *nemus umbriferum*, ubi erat Sychaeus. Si Virgilius campos etiam a viris habitatos voluisset, memorasset sine dubio nonnullos. Nec *durus amor* Sychaeum peremit, sed crudelitas Pygmalionis. Praefero etiam *peremit.* Nam si legas *peredit*, tabes magis proprie erit accipienda, nimirum de feminis, quae moerore et lento morbo, vi amoris, contabuerunt. Sed hoc nulli, praeterquam fortasse Laodamiae, accidit. *Tabes* significat omnem vim, quae corpus *dissolvit*, *necat*, celerem quoque. Hinc *tabes* dicitur *longa*, *lenta*, et Seneca Herc. Oet. 640. vocat Herculem consumtum *tabe gemina*, tunica venenata et igne Oeteo. Utraque pestis erat *velocissima* et violenta. Annotavit nonnulla Heinsius ad Ovidii Heroid. IX. 144. Virgilius universe eas descripsit, quae propter amorem infelici fato functae sunt.

Secreti celant calles. Non desideramus Schraderi *secretae valles.* *Calles*, ad feminas ducentes, ab aliis inveniri non possunt, ergo et ipsae non possunt. Propertius I. 1. 29. *Ferte per extremas gentes, et ferte per undas, Qua non ulla meum femina norit iter.* Ubi similia attulit Burm.

Crudelis nati monstrantem volnera cernit,
Euadnenque, et Pasiphaen; his Laodamia
It comes, et iuvenis quondam, nunc femina, Caeneus,
Rursus et in veterem fato revoluta figuram.
Inter quas Phoenissa recens a volnere Dido
Errabat silva in magna: quam Troius heros,
Ut primum iuxta stetit, agnovitque per umbram
Obscuram, qualem primo qui surgere mense
Aut videt, aut vidisse putat per nubila Lunam,
Demisit lacrimas, dulcique affatus amore est:
Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo

Et iuvenis quondam, nunc femina, Caeneus, Rursus et in veterem fato revoluta figuram. Heinsius coniecit *Caenis.* Quod plerique receperunt. Wakefieldus distinguit: *nunc femina Caenis Rursus, et* sq. Huic rationi fortasse etiam hoc obstat, quod Virgilius et alii amant coniungere *rursus* et verba a *re* composita; ita et Ovid. Metam. X. 63. *revolutaque rursus eodem est.* Wagnerus *Caeneus* tuetur, et multa ingeniose disputat. Ego Virgilium sic volnisse arbitror, quod et alii ediderunt: *It comes, et, iuvenis quondam, nunc femina, Caenis, Rursus et* sq. Laodamia it comes, et Caenis it comes, quae quondam fuit iuvenis, nunc femina, et rursus revoluta sq. *Caeneus* non ire potest comes Laodamiae, quia Caeneus iam non erat, sed Caenis.

Recens a volnere Dido. In uno Leid. Cod. *ab.* Sic etiam Schol. Iuvenal. Satyr. II. 265. *ab Venere.* Errore librariorum *venere*, pro *vulnere*.

Quam Troius heros, Ut primum iuxta stetit. Wagnerus anacoluthon putat. Iungenda puto, commate post *heros* deleto, *ut stetit iuxta eam et eam agnovit.* Wagnerus sic *iuxta* longius esse remotum indicat. Si quid in eo sit durius, mitigatur, credo, statim sequente *agnovitque.*

Aut videt, aut vidisse putat. Ovidius Metam. II. 322. *stella, Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.* Seneca Phoen. 427. *Vadit furenti similis, aut etiam furit.* Vide ad eum locum Gronovium.

Dulcique affatus amore est. Cogitabat haec Silius VIII. 104. (si sunt ista Silii) *Tum sic Aeneas dulci repetitus amore.*

Verus mihi nuntius ergo Venerat exstinctam. Quis Aeneae mortem Didonis nuntiavit? Mortalis nemo potuit. De deo non legimus. Servius κατὰ τὸ σιωπώμενον mortem Aeneae esse nuntiatam intelligi vult, addens, alios referre ad *ignem visum*, alios ad

Venerat exstinctam, ferroque extrema secutam?
Funeris heu tibi caussa fui? Per sidera iuro,
Per superos, et si qua fides tellure sub ima est:
Invitus, regina, tuo de litore cessi.
Sed me iussa deum, quae nunc has ire per umbras,
Per loca senta situ cogunt noctemque profundam,
Imperiis egere suis, nec credere quivi

Mercurium, qui Aeneid. IV. 564. dixerat Didonem *certam mori*. Pro NVNTIVS scribendum fortasse est TVNC METVS. *Verus mihi tunc metus ergo Venerat exstinctam. Tunc*, tempore illo, quod novimus, quod silebo, fatali illo tempore, quo te relinquere coactus, moenia respiciebam. Non frustra igitur metui. Lege initium Aeneidis V. ubi Aeneas, iam medium iter tenens, moenia respicit, *quae infelicis Elissae Collucent flammis. Quae tantum accenderit ignem Caussa latet: duri magno sed amore dolores Polluto, notumque furens quid femina possit, Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.* Ergo Teucri et inprimis Aeneas timebant, ne Dido extrema esset secuta. *Iste metus*, quem tunc habuit, verus erat, nunc confirmatur. Quum Didonem relinquebat, tantum se illi dolorem afferre non credebat. Hoc dicit ipse vs. 464. et Ovidius Fast. III. 617. *Nec timui de morte tamen. Metus abfuit iste.* Sed in medio mari iam triste aliquid suspicabatur. Eleganter *metus mihi venit*, pro ad me venit, vel *mihi evenit*. Virgilius Aeneid. XI. 733. *quae tanta animis ignavia venit.* Tibullus I. VI. 73. *venerit iste si furor.* Ovidius Art. III. 477. *Spes magis huic veniat certa minorque metus.* Adde Heinsium ad Heroid. III. 113. et Cort. ad Sallust. B. Iugurth. 103. Sententia Aeneae exprimi potest his verbis Ovidii Metam. 694. *Hoc erat, hoc, animo quod divinante timebam.* Quod Aeneas dicit *ferro*, hoc dicit, et quia, suspicans de morte, mortem huiusmodi in tali femina suspicabatur, et nunc ita factum esse videbat.

Et si qua fides tellure sub ima est. Wagnerus annotavit, fore, qui scriptum mallent: *per si qua fides.* Ego semper in iis fui.

Imperiis egere suis. Imperia deorum, quia dei sunt plures. Quamquam in plurali saepe maior quaedam vis conspicitur. Animadvertit in ipso vocabulo *imperia* Burmannus ad Valerii Flacci III. 620.

Nec credere quivi. Valerius Flaccus I. 84. *Nec credere quivi.* Tales formulas, nam suspectae interdum videri possunt, imitatione aliorum confirmare oportet.

Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
Siste gradum, teque adspectu ne subtrahe nostro.
Quem fugis? extremum fato, quod te alloquor, hoc est.
Talibus Aeneas ardentem et torva tuentem
Lenibat dictis animum, lacrimasque ciebat.

Quem fugis? Valerius Flaccus III. 270. *Quos fugitis?* Vide Burmannum.

Extremum fato, quod te alloquor hoc est. Ornate, pro simplice, extremum te alloquor, *τοῦτο μὲν ὕστατον.* Sed in ornatu simul est gravitas, ut in *tertium hoc*, et similibus. *Fato* difficile est. Servius locum sic interpretatur: »Aut quia *deus futurus* est: aut, quod melius est, quia *post mortem tenebit alterum circulum*, viris fortibus scilicet, non amantibus datum." Servius et alii veteres, Virgilium *doctum* esse poetam intelligentes, doctrinam saepe intulerunt, ubi non erat quaerenda. Etiamsi Aeneas nihil aliud vult, nisi *fata mihi nunquam postea concedent hoc, ut te iterum alloquar*, non satis Latine expressum est *fato te postea non alloquar.* FATO et DIDO in MSS. facile permutari potuerunt. Verius certe et commodius erit: *Extremum, Dido, quod te alloquor, hoc est.* Et amanter in ultima oratione nomen *Didonis* usurpat.

Lenibat dictis animum, lacrimasque ciebat. Animus *ardet*, ratione et usu probatur. Animus *torva tuetur*, et a ratione et ab usu abhorret. Quam exigua mutatione locus, si quisquam, corruptus restitui potest! Lege: *Talibus Aeneas ardenti et torva tuenti Lenibat dictis animum lacrimasque ciebat. Lenit animum Didoni* ardenti et torva tuenti. Hoc exquisitius quam *Didonis.* Ex addito *torva tuenti*, intelligitur *ardenti* de ira accipiendum. Et iam *lacrimas ciebat* Aeneas Didoni, non sibi. Quod idem de *animo* dici non potest. Lacrimas *ciemus alteri*, non *nobis*, nisi fortasse, quando id studio et arte facimus, ut lacrimas cogamus ire, quando et quo iubemus. Ita sunt *simulatae*, et *iussae*, crocodili, ut dicitur. In Servianis legitur: *ciere* (lacrimas) *est* proprie *alteri fletum movere.* Iortinus coniecit: *lenibat dictis animam.* Heynius putabat Virgilium scripsisse tantum: *Talibus ardentem Aeneas et torva tuentem Lenibat dictis:* caetera ab aliis suppleta. Deinde Heynius triplicem vulgatae lectionis expediendae rationem proponit, quarum nullam loquendi usu firmari censet Wagnerus, ipse opinans, poetam haec inter emendanda reliquisse, et orationem turbasse his insertis *torva tuentem:* vel, *animi* vocabulo iracundiam significari, quae quum per torvum adspectum declarari soleat, licuisse poetae haec componere, *torva tuens animus.*

Illa solo fixos oculos aversa tenebat:
Nec magis incepto voltum sermone movetur,
Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.
Tandem corripuit sese, atque inimica refugit
In nemus umbriferum; coniunx ubi pristinus illi
Respondet curis, aequatque Sychaeus amorem.
Nec minus Aeneas, casu percussus iniquo,

Nec magis incepto voltum sermone movetur. Non credo equidem *voltum* esse Virgilii. Aliquis *vultum movetur* duplici modo, vel ut *vultus* signis doloris afficiatur, colorem mutet, nunc pallidus nunc rubicundus fiat: vel, ut *in uno eodemque loco haereat*, neque in aliam partem flectatur. Neutri modo convenit comparatio cum *rupe*. Eaque comparatio est ineptior, quia illa *rupes* mox se *proripit* ac *refugit*. Nec usquam legi *vultus* constantiam cum *rupe* comparatam: *animi* cum rupe comparati centena reperiuntur exempla. Pro VVLTVM scribe MENTEM, et habebis, ni fallor, ipsam Virgilii manum. Virgilius hunc locum iisdem pene verbis ac sententiis tractavit, atque illum Aeneid. IV. 437. Macrobius iam similitudinem animadvertit. Ibi Aeneas nullis *fletibus movetur*, *stat*, *ut quercus* in Alpibus. *Mens immota manet*, *lacrymae volvuntur inanes.* Hic Dido lacrimas quidem tenere non potest, ferociam tamen servat, Aenean non adspicit, *et animo non magis movetur*, quam dura silex aut cautes Marpesia. Interim iam Petronius cap. 132. *vultum* hic legit.

Respondet curis, aequatque Sychaeus amorem. Statius Theb. II. 364. *pectore fido Aequantem curas.*

Casu percussus iniquo. In aliis MSS. *concussus*, in Wittiano *perculsus.* Vocabuli *perculsus* et unica tantum est auctoritas, et significatio hic nimia. Nam est plane *eversus*, *abiectus et prostratus.* Diximus ad Horat. Epod. VII. Adde Burmannum ad Ovidii Metam. IV. 138. Tum *concussus* vehementius est, quam *percussus.* Recte de eo disputat Wagnerus, qui praefert *percussus*, quia *casum iniquum* accipit de *contemtu*, quo Dido implacabiliter irascens Aeneam afficit. Ego potius de *morte* Didonis accipio, quam non frustra se timuisse iam suis ipse oculis vidit. Contemtus iste Aeneam minus afficere debebat, (nam sciebat eo se esse dignum) quam mors violenta, cuius indicium in corpore Didonis conspiciebat. Et si *contemtu* isto ita perculeretur, minus recte Virgilius addidisset: *Prosequitur lacrimans longe, et miseratur euntem.* Si Aeneas plane innocens fuisset, si Didonem ex animo amavisset, et vel sic tamen esset contemtus, lacrimari poterat et mi-

Prosequitur lacrimans longe, et miseratur euntem.
Inde datum molitur iter. Iamque arva tenebant
Ultima, quae bello clari secreta frequentant.

serari euntem, quod ex veri ignorantia ipsum sperneret. Talis misericordia non bene cum lacrimis iungitur, sed eo propius accedit, ut triste subridentes contemtum contemtu prosequamur. Denique *contemtus* iste, quod Dido Aeneam neque adspiceret neque contra alloqueretur, non erat res tam gravis, ut *casus iniquus*, et aliquis propterea *casu iniquo percussus* dicatur. Praeferam igitur *concussus.*

Inde datum molitur iter. Servius: »*Datum* dixit, aut ratione fati concessum, aut *oblatum fortuito*, quod τυχὸν dicunt; an *iniunctum?*" Heynius: » Simpliciter accipe, *qua via patet, ducit.*" Mihi totum vocabulum semper visum est omni fere apta notione destitutum, atque adeo supervacuum. Si esset *ratione fati concessum*, scripsisset *fatis datum:* vide exempla apud Burmannum ad Ovidii Heroid. XVI. 279. Sic idem Heroid. VII. 171. *Cum dabit aura viam.* Fortasse scribendum est; *Inde suum molitur iter. Iter, viam suam* moliri, ire, quam consuevit vel quam ire debet, ut eo perveniat, quo cupit. Notum est Graeci poetae: αὐτὰρ ἐγὼ βασεῦμαι ἐμὰν ὁδόν. Aeneid. VII. 103. *datos* in Cod. Menag. mutatum in *suos.* Si quis putet ibi *suos* ortum ex sequente *suo ore*, DATVM tamen facile oriri potuisse contendo ex male repetita ultima syllaba vocabuli *inde*, DESVVM. Pro DATV etiam scribi poterit ADEO. *Inde adeo molitur iter.* Virgilius amat hoc adverbium in transitione ad aliud argumentum, *iamque adeo*, *nunc adeo*, quod saepe respondet Graeco οὕτω μὲν δή. *Inde adeo* est, quod Neerlandi dicimus *et nuno*, postquam haec ita cum Didone acta erant. Videri potest hoc legisse Statius Silv. V. II. 61. *Iamque adeo moliris iter*, ut quidem Marklandus vere restituit pro *alio.*

Iamque arva tenebant Ultima. In nonnullis *tenebat.* Librarii citius mutarent *tenebant* in *tenebat*, quam contra. Recte *molitur iter* Aeneas, quia praecedit *miseratur*, et erat hic princeps persona, cui Sibylla tantum viam monstrat. Nunc de *utroque* fit sermo. Sic Ovid. II. Fast. 313. *Iamque nemus Bacchi*, *Tmoli vineta*, *tenebant:* quod tuetur Heinsius. Marklandus ad Statii Silv. V. II. 61. *tenebat* praefert, quia statim legitur: *hic illi occurrit Tydeus*, non *illis;* ut Burmannus in l. l. Ovidii *tenebat*, quia sequitur *subit.* Sed apud Ovidium *Omphale* subit, idque de Omphale dicitur, quae ibi est princeps persona. Hercules, tunc servus Omphales, ipse intelligitur sequi. Si quis veterum exempla talia consideret, videbit eos singularem et pluralem saepe ad hanc rationem eleganter variasse.

Hic illi occurit Tydeus, hic inclytus armis
Parthenopaeus, et Adrasti pallentis imago.
Hic multum fleti ad superos, belloque caduci,
Dardanidae, quos ille omnis longo ordine cernens
Ingemuit, Glaucumque, Medontaque, Thersilochumque,
Tris Antenoridas, Cererique sacrum Polyphoeten,
Idaeumque, etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumstant animae dextra laevaque frequentes.
Nec vidisse semel satis est: iuvat usque morari,
Et conferre gradum, et veniendi discere caussas.
At Danaum proceres, Agamemnoniaeque phalanges,
Ut videre virum, fulgentiaque arma per umbras,
Ingenti trepidare metu: *pars vertere terga,*
Ceu quondam petiere ratis; pars tollere vocem
Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantis.
Atque hic Priamiden laniatum corpore toto

Pars vertere terga, Ceu quondam petiere ratis. Grammaticus supplevit, qui putabat *pars tollere vocem* non solum posse stare, sed requiri hic alterum *pars:* licet illud sit antiquum, quod interpretes ad Sallustium et alios scriptores saepe ostenderunt. Illud alterum *pars* facile ex Homero inveniri poterat et simul ornari comparatione metus. Quamquam ipse Virgilius in Aen. II. de Graecis, virtute Aeneae profligatis: *Diffugiunt alii ad naves, et litora cursu Nota petunt.* Quae Grammatico citius in mentem venire debebant. Caussa, cur haec spuria arbitrer, haec est. *Proceres Danaum et Agamemnoniae phalanges unum Aeneam tanto cum timore fugiunt,* nimia et rhetorica est exaggeratio: nec castigatum satis puto, *vertunt terga, ceu quondam petiere ratis.* Verum erat: *vertunt terga ceu quondam, quum fuga petiere ratis,* vel *ceu quondam ad naves vertere.* Nostra emendatio praebet lectionem et elegantiorem, et in qua oppositum magis elucet. Ut Aeneam videbant, tum *Ingenti trepidare metu: pars tollere vocem. Tollere vocem,* non est metuentium, sed eorum qui animos sumebant, et clamorem quendam bellicum incipiebant. Sic Horatius Epist. ad Pisones 94. *vocem Comoedia tollit, Iratusque Chremes tumido delitigat ore.*

Atque hic Priamiden laniatum corpore toto. Et hoc Episodium est longius pro vero huius libri argu-

Deiphobum videt et lacerum crudeliter ora,
Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhonesto volnere naris.

mento, et ipsum levius: et in multis versibus tanta apparet negligentia, ut Virgilium eos concepisse non credam.

Laniatum corpore toto. Statim sequitur *lacerum*, quod non valde differt a *laniatum*. Fieri tamen potest, ut poeta scripserit *violatum*, quod, literis transpositis, facile in *laniatum* mutatur. *Violatum* habet notionem universalem, quae deinde per partes explicatur.

Deiphobum videt et lacerum crudeliter ora. Sic erat in Mediceo. Melius, credo, in aliis; *vidit lacerum* sq. Qui toto corpore *laniatus* est, quid mirum, si et *lacer* sit *ora?* Quae adduntur ad illud *laniatus corpore toto* explicandum, cum superioribus per copulam iungi non possunt.

Ora manusque ambas. Virgilius alio modo vocabula repetit, quam hic repetitur *ora;* ut Eclog. IX. 47. *Ecce Dionaei processit Caesaris astrum: Astrum, quo segetes gauderent frugibus.* Aeneid. II. 405. *Ad coelum tendens ardentia lumina frustra: Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas. Lacer ora*, recte dicitur, truncatus auribus et naso, sed quid *lacer manus?* Nihil aliud puto, nisi cui *digiti sunt erepti.* Sententia tamen poscit *manus abscissas*, truncatas, ut Servius interpretatur ad vs. 498, *vulnera dira tegentem.* Ita *lacer* duplicem accipit significationem, *ora* laceratus, *manus* truncatus. Quis autem hunc ordinem probet, ut prius memorentur *ora*, tum *manus* in medio ponantur, deinde iterum ad *ora* veniatur? Nam in ore sunt *nares.*

Inhonesto volnere. Donatus ad Terentii Eunuchi II. III. 66. »*Inhonestum:* foedum: ut contra *facie honesta.* Ut apud Virgilium, *Et laetos oculis afflarat honores.*" Servius citat eundem Terentii locum, et interpretatur *foedum*, *deforme*, *turpe vulnus.* Et sunt *honesta* et *pulchra* vulnera, v. c. in *pectore.* Sumitur nempe sensu morali. Contraria sunt vulnera *inhonesta*, nempe in *tergo*, quod ipsum usurpavit Ovid. Fast. II. 211. *inhonestaque vulnera tergo accipiunt.* Quamvis autem nullum vulnus adspectu laetum sit, et alterum altero esse possit horribilius, hic tamen maluissem epitheton minus ambiguum, v. c. *deformi.* Sed tota illa tam accurata truncati corporis imago habet aliquid ingrati et fastidiosi, neque caret ridiculo. Ridicula enim est quamvis in summa miseria talis facies. Sciebat Iuvenalis, quum Satyr. VIII. 5. *Galbam auriculis nasoque carentem* (statuam) proponebat. Historici interdum *aures et nasos* abscissos memoraverunt, narrantes scilicet, quod vere acciderat. Novi ta-

Vix adeo agnovit pavitantem, et dira tegentem
Supplicia; et notis compellat vocibus ultro:
Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucri,
Quis tam crudelis optavit sumere poenas?
Cui tantum de te licuit? Mihi fama suprema

men, qui, sentientes quid gravitas et decorum postularent, uti maluerint *crudelibus ac foedis vulneribus*, quam ipsa vulnera suo quodque nomine appellare. Virgilium tamen hoc facere nihil cogebat. In Homero Graeci varia crudelitatis exempla ediderunt, huius simile exstat nullum. Igitur vel non accidit, vel Homerus nimis turpe et ridiculum putavit, quam ut narraret. Et hoc narrasset Virgilius eo verborum ornatu, ut ipse laetis oculis horrendum facinus adspecturus fuisse videatur? Praeterea dignum erat factum gregariis quibusdam Graecorum militibus non item Helena, elegantissima femina, non regibus Menelao et Ulysse, quorum hortatu res foeda geritur. Haec, et alia, disputari possunt contra hos versus perquam odiosos. Heynius etiam hic argumenti dilectum, nostro saltem sensu, desiderabat.

Pavitantem, et dira tegentem Supplicia. Aenea conspecto *laetari*, non *pavitare* debebat. Servius: »*Ne agnosceretur timentem.*" Hoc si timeret, conspectum Aeneae auffugere poterat. Iustum verbum erat *pudore suffusum.* Idem Servius *tegentem* interpretatur *tegere volentem*: nam *truncatis manibus* erat. Coacta interpretatio.

Notis compellat vocibus. Schraderus malebat *placidis.* Cur vulgatum non probaverit, ignoro. *Notae* voces sunt, quibus summi amici amicos, parentes, liberos, et omnino eos, quos quotidie videmus, alloquimur. Valerius Flaccus l. 257. *Et puer* (Achilles) *ad notas erectum Pelea voces Vidit.* Si tanta amicitia inter Deiphobum et Aenean intercessisset, Aeneas, credo, Deiphobum non alto silentio praeteriisset. Memorat tantum Aeneid. II. 310. amplam eius domum dedisse ruinam, haud longe a sua remotam, ut proxima erat Ucalegontis. Iam in Aeneid. I. 98. queritur se non periisse, *ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens Sarpedon*: nihil de Deiphobo.

Genus alto a sanguine Teucri. Virgil. Aeneid. IV. 230. *genus alto a sanguine Teucri.*

Cui tantum de te licuit? Nota formula de rebus, quas fieri potuisse vix credimus, quia rerum istarum auctores vel non adeo potentes vel non adeo impudentes habebamus, ut quamvis viribus destituti, talia auderent. Seneca Herc. Oct. 1562. *minimum cruentis In tuas urbes licuisse fatis.* Silius XIV. 670. *Tantumque licere horruit.* Claudian.

Nocte tulit fessum vasta te caede Pelasgum
Procubuisse super confusae stragis acervum.
Tunc egomet tumulum Rhoeteo in litore inanem
Constitui, et magna Manis ter voce vocavi.
Nomen et arma locum servant; te, amice, nequivi
Conspicere, et patria decedens ponere terra.
Ad quas Priamides: nihil o tibi amice relictum;

in Rufin. II. 108. *ignavo tantum licuisse nocenti Miratur.* Adde Cortium ad Lucan. VII. 554. Apparet hanc formulam minus apte adhibitam ad eos, quibus facillimum erat unum hominem, eumque somno oppressum, cui ensis orat subductus, occidere et occisum truncare.

Fama tulit. Poterat, credo, haec certiore modo cognoscere, ab aliquo v. c. qui viderat. Et quis unquam ex fama, quao saepe decipit, et nunc decepit, statim, in tali tempore, tumulum componit, et inferias facit?

Manis ter voce vocavi. Legit ista Ausonius in Epitaphio Deiphobi, XIII Epitaphiorum. Deiphobus loquitur: *Non habeo tumulum, nisi quem mihi voce vocantis Et pius Aeneas et Maro composuit.*

Nomen et arma locum servant. Est una de Hypallagis, in qua vitium pro figura cernitur. Latinum est *locus servat nomen*, pro *nomen loci manet idem*, non mutatum est; vel nomen ex loco, ex sepulcro, in quo inscripsimus, non deletum est. Locus servat *arma* iam aliud significat, nempe, *arma, quae in tumulo fiximus*, non detracta sunt. Hoc idem non dicitur *nomen et arma servant locum*, nisi inepte loqui velis. *Titulus sepulcri manet.* Recte. Sed *titulus sepulcri locum servat?* Potuisset poeta: *Nomen et arma locus servat. Locus* erat in Pieriano. Fortasse alterum praetulit, quia sic invenit Aeneid. VIII. 3. *Et nunc servat honos sedem tuus.* Denique *arma* Deiphobi Aeneas in sepulcro figere non potuit. Hostes habebant. Ideo Servius interpretatur *arma depicta*: quod intellectu difficile est. Et unde Aeneas scire poterat sepulcrum Deiphobi mansisse intactum?

Te, amice, nequivi Conspicere. Melius erat *invenire*. Sed ubi quaereret? Per vias urbis. Nam fama ferebat eum ibi cecidisse. Hoc autem Aeneas facere non poterat. Tum neglectae ita Synaloephes simile exemplum desidero. Proxime accedit Eclog. VIII. 108. *Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?*

Patria decedens ponere terra. Ponere, pro *sepelire*, vix ita solum dicitur. Si iungis *ponere terra*, habes solum *decedens*, quod significationem *moriendi* affert.

Omnia Deiphobo solvisti et funeris umbris.
Sed me fata mea et scelus exitiale Lacaenae
His mersere malis; illa haec monumenta reliquit.
Namque, ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti; et nimium meminisse necesse est.
Quum fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama, et armatum peditem gravis attulit alvo:

Funeris umbris. Schraderus coniiciebat *corporis*. Et videtur magis Latinum. Virgilius, puto, scripsisset *Deiphobi umbris*. Deiphobo *et umbris* ferrem, Deiphobo *et corporis umbris* novum mihi accidit: *funeris* umbris, inauditum.

Illa haec monumenta reliquit. Raptas aures et truncas nares, *monumenta* sui erga me amoris! Volebat *crudelitatis*. Sed iocatur. In *monumenta* certe aliquid intelligendum. Fortasse et *sceleris* ex antecedenti versu repetendum. Castigati scriptores accuratius loquuntur.

Egerimus, nosti. Seneca Epist. 59. *Cum fatigaverunt se vino et libidinibus, cum illos nox inter vina defecit, tunc exclamant miseri Virgilianum illum versum:* Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem Egerimus, nosti.

Armatum peditem gravis attulit alvo. Imitatur auctor, si non sit Virgilius, certe satis antiquus, cuius versus legerit Seneca, Ennium. Enniana servavit Macrob. VI. 2. *Maximo saltu superabit gravidus armateis equus, Qui suo partu ardua perdet Pergama.* Sic enim scribendi sunt versus trochaici octonarii, ut plane leguntur apud Macrobium, nisi quod ab initio *nam* sustuli, et pro *perdat* scripsi *perdet*. *Superabit* iam Vossius coniecit. Alterum versum Macrobius non integrum attulit. Non pertinebant, puto, ad rem praesentem. Wagnerus iambos fecit. Facili opera ex omnibus trochaicis ita facies iambicos. Atque ea imitatio plane Virgilianam consuetudinem refert. Nescio tamen an Virgilius non potius scripturus fuisset *armato alvo*. Nec *peditem*, etiam si adiunctum habeat *armatum*, satis conveniens sermoni poetico in tali sententia arbitror. Humilius est vocabulum pro caeterorum maiestate. Recte Virgilius in Aeneid. II. 20. *uterumque armato milite complent*. Tum *gravis* plerumque appositum habet id, quo aliquid *grave* est. Sic Virgilius machinam appellavit *foetam armis*. Melius esset *gravi alvo*. In Petronii cap. 89. *stipant graves Equi recessus Danai;* sunt *Danai graves*, inimici, *timendi hostes*. Nam si *recessus equi* essent *graves*, gravidi, iam pleni armato milite, Danai *stipare* non poterant. Dicendum erat *stipant cavos Equi recessus Danai.*

Illa, chorum simulans, evantis orgia circum
Ducebat Phrygias; flammam media ipsa tenebat
Ingentem, et summa Danaos ex arce vocabat.
Tum me, confectum curis somnoque gravatum
Infelix habuit thalamus, pressitque iacentem

Illa, chorum simulans. Auctorem huius episodii antiquiorem esse puto quam auctorem episodii, quod legitur in Aeneide II. 567 sq. *Iamque adeo super unus eram.* Recentior, credo, versus antiquioris non vidit. Hinc multa sibi invicem contraria sunt. In libro II. Helena *servat limina Vestae*, et, poenas Graecorum et Menelai metuens, se secreta in sede abdiderat: in hoc libro Menelaum intra tecta Deiphobi vocat, et maritum prodit. Heynius quidem hoc ita excusat, ut Helena, scelere in Deiphobum commisso, tamen latebras quaesiverit. Sed recte Wagnerus animadvertit, Helenam, semel a Graecis receptam, rursus ab iis non fuisse discessuram. Alia sunt nimis dissimilia, quam ut ab eodem poeta componerentur.

Summa Danaos ex arce vocabat. Helena hic facem ex arce sustulit, quae signo esset, quod Sinon claustra equi tuto laxare et inclusos emittere posset. Sed tale signum non requirebatur. Sinon ipse videbat urbem somno et vino sepultam. Exspectabat signum classis. *Vix regia puppis flammas extulerat*, et Sinon adeo classem appropinquare viderat, quum statim equum aperit. Tum vigiles caeduntur, et omnia ferro et igne miscentur. Non erat necessarium Graecis porro viam monstrare. Servius ad Aeneid. II. 256. haec ita conciliat: »*Hic intelligendum est, Helenam Agamemnoni vel Graecis signum dedisse veniendi, sublata face: Agamemnonem contra signa Sinoni dedisse aperiendi equi.*" Sed signum ab Helena datum, adventus Graecorum, ipsius Menelai et Ulyssis, et caedes Deiphobi hic ita proponuntur, ut omnia brevissimo temporis spatio, intra quartam horae partem accidisse videantur. Neque veri similitudo satis in hac narratione servata est. Quomodo enim Deiphobus, qui altissime dormiebat, haec scire potuit?

Confectum curis. Quomodo Deiphobus confectus *curis*, in omnium laetitia? Et ipse modo dixit se noctem *inter gaudia* egisse. Servius ad *veteres curas* vel ad *curas* propter malam coniugem, Heynius ad *curas praecedentis diei* cum Graecos abiisse nondum constabat, referunt. Schraderus *choreis* vel *thiasis* conicit. Non puto Latine dici *choreis confectum; lassum, fatigatum*, probarem. Negligentia poetae, inter nonnullos sane pulchros versus, manifesto conspicitur.

Dulcis et alta quies, placidaeque simillima morti.
Egregia interea coniunx arma omnia tectis
Amovet, et fidum capiti subduxerat ensem;
Intra tecta vocat Menelaum, et limina pandit;
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.
Quid moror? irrumpunt thalamo; comes additur una
Hortator scelerum Aeolides. Di, talia Graiis
Instaurate; pio si poenas ore reposco.
Sed te qui vivum casus, age fare vicissim,

Egregia interea coniunx. Ironia Deiphobo parum conveniens.

Intra tecta vocat Menelaum. In libro II. 310. domus Deiphobi, quum Aeneas expergiscebatur, iam flammis incensa corruerat. Ex eo loco conficeres vicinam fuisse domui Aeneae, ut Ucalegontis erat proxima. Non enim diceret: *domus Deiphobi in arce corruit, et domus vicini proximi Ucalegontis ardet.* Heynius in Excursu ad lib. II. 567. putat Helenam fuisse in thalamo Deiphobi, unius ex Priami filiis, adeoque in ipsa regia. An igitur Deiphobus alibi habitabat, alibi dormiebat? Et regia fuit obsessa II. 437. Ad regiam gerebatur ingens pugna, *ceu caetera nusquam bella forent.* Tandem Pyrrhus vi irrupit, postquam Troiani se acerrime defenderant. Deiphobus in tanto tumultu alte dormire non potuit, sed una cum caeteris Troianis pugnare debuit. Haec iterum plane contraria sunt. Vel minutissimus fabulae Romanensis auctor res ita non confudisset.

Hortator scelerum Aeolides. Obscure Ulysses significatur. Frequentissimum in carminibus poetarum est nomen Ulixis. Nusquam alibi vocatur *Aeolides.* Virgilius eum lib. II. appellat *scelerum inventorem. Hortator* est apud Ovid. XIII. Metam. 44. *Nec comes hic Phrygias unquam venisset ad arces Hortator scelerum.* Similia attulit Burm. ad Valer. Flacci IV. 32. Qui hortator est scelerum, et hoc scelus hortatus est, is recte est *comes*, minus recte *comes additur.* Aliquis *additur comes*, qui non est princeps, sed quo facile carere possimus, additur ut numerum expleat, vel alia de caussa non gravi. Ita apud Livium I. 56. *Brutus filiis regiis comes additur*, res se paullo melius habet. Hic irrumpunt thalamo. Interim Ulysses, ille, qui semper omnium scelerum hortator est, se comitem addit.

Attulerint. Pelagine venis erroribus actus,
An monitu divom? an, quae te Fortuna fatigat,
Ut tristis sine sole domos, loca turbida, adires?
Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis
Iam medium aetherio cursu traiecerat axem:

Pelagine venis erroribus actus? Non potest aliter accipi, quam: hucne venisti, tempestate de cursu deiectus et in Orcum delatus? Atqui haec ridicula erat quaestio. Interpretes de adventu in litus Cumanum accipiunt.

An, quae te Fortuna fatigat. Durissimum, etiam si explices: *an Fortuna est, quae te fatigat*, vel: *an venis Fortuna, quae te fatigat.* Auctorem scripsisse puto, quod est in nonnullis MSS. *aut quae.* Ficta credo ex VII. 199. *Sive errore viae seu tempestatibus acti.*

Hac vice sermonum. Ovidius Trist. IV. IV. 79. *Cum vice sermonis fratrem cognovit.* Valerius Flaccus II. 664. *Hasque inter variis nox plurima dictis Rapta vices.*

Roseis Aurora quadrigis. Burmannus, Heynius, alii, se obscuram hanc temporis notationem non intelligere, ingenue fatentur. Heynius, omnibus et in Annotatione et in Excursu diligenter exploratis, scribit: »Restat ut fateamur, aut nos non satis commodam interpretandi poetae rationem tenere, aut poetam sibi ipsi haud constare, aut poetam omnino temporum rationes haud curasse." Equidem sic cogito: verba, ut nunc leguntur, non sunt corrupta. Debent habere aliquam significationem. Si sententia ex vera verborum significatione redit inepta, haec est culpa poetae, non interpretum. Si poeta sibi ipse non constat, et temporum rationes haud curavit, turpis negligentiae accusandus est. Turpis negligentia in Virgilium non cadebat, minime in libro, quem prae caeteris studiose elaborabat, et Augusto placere sciebat. Quare haec arbitror non esse genuina. Sententia, ex verbis rediens, haec est: quae quum ita inter se erant locuti, Aurora interea iam duas curriculi partes absolverat. Et fortasse Aeneas et Deiphobus tertiam quoque partem diei sermonibus tribuissent, nisi Sibylla noctem ruere, adesse, admonuisset! In tali sententia multa reprehendo. Brevis iste sermo inter Aeneam et Deiphobum duas diei partes non absumsit. Aliena est verbosa Aurorae descriptio, ubi res agitur apud inferos. Nec Virgilius nec quisquam poetarum talem Aurorae cursum tribuerunt, qualis revera erat Solis. Primo diei initio Aurora et Sol sint comites, Aurora brevi post non amplius apparet.

Et fors omne datum traherent per talia tempus;
Sed comes admonuit, breviterque affata Sibylla est:
Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas.
Hic locus est, partis ubi se via findit in ambas:
Dextera quae Ditis magni sub moenia tendit,
Hac iter Elysium nobis; at laeva malorum
Exercet poenas, et ad impia Tartara mittit.
Deiphobus contra: Ne saevi, magna sacerdos;
Discedam, explebo numerum, reddarque tenebris.

Omne datum traherent per talia tempus. Indignum persona Aeneae. Poeta eum facit garrulum hominem, qui per talia, digna indigna nugans, consilium patris conveniendi obliviscitur.

Nox ruit. Magis significat iam *adest*, quam *propinquat*.

Flendo ducimus horas. Nullum fletus in omni sermone indicium. Deiphobus tantum ira et pudore commovetur.

Hic locus est, partis ubi se via findit in ambas. Non satis Latinum pro *in duas*. Obscure Servius: »Compendiosius, quam si *duas* diceret. Poteramus enim etiam tertiam sperare."

Hac iter Elysium nobis. Heynius *nobis* frigere putat. Wagnerus explicat: hac nobis incedendum est, quippe Elysium petentibus. Sed *nobis* vel in explicatione elegantius omitteretur: *hac incedendum est Elysium petentibus*, iis qui petunt: *nobis* Aeneas, vel tacente Sibylla, ipse intelligebat.

Laeva malorum Exercet poenas. Pro: ducit ad Tartara, ubi poenae exercentur. Ferat, qui possit, tantam orationis incuriam. Heynius non tulit, etiam quia *laeva* primum per figuram, deinde proprie esset accipiendum. Cogitavit quoque de hemistichio *et ad impia Tartara mittit* eiiciendo. Sedulius in Carmine Paschali locum integrum transcripsit.

Ne saevi, magna sacerdos. Multo plus est *saevire*, quam hic fecit sacerdos. Apparet ex Terentio Andr. V. II. 27. *Ah! ne saevi tantopere.* Et unde Deiphobus Sibyllam noverat? Aeneas primum de ea audivit ex Heleno III. 441.

Explebo numerum, reddarque tenebris. Obscure, quem *numerum?* Servius: »*Explebo est minuam.* Minuam vestrum numerum et reddar tenebris. Nam circa Aenean et Sibyllam aliquid lucis fuisse intelligimus. Alii *explebo* male putant *complebo* esse, umbrarum scilicet, a quibus discesserat, numerum. Alii *explebo numerum* dicunt esse *finiam tempus statutum purgationi.*" Heynius: »*Numerus*

I decus, i, nostrum; melioribus utere fatis.
Tantum effatus, et in verbo vestigia torsit.
Respicit Aeneas subito, et sub rupe sinistra

umbrarum eius discessu uno capite erat deminutus. *Reddar tenebris*, puta eos confabulando processisse via versus Elysium." *Explere numerum* recte diceretur Deiphobus, quatenus umbrarum numero defuisset. Pluto illum numerum accurate observabat, et, ut erat diligens et avarus, neminem deesse patiebatur. Hinc Seneca Hippol. 1153. *Constat inferno numerus tyranno.* Hippolytus scilicet pro Theseo ad Orcum venerat: quare nemo deerat, numerus erat *iustus, plenus.* Quamquam vel sic *explebo numerum* aliquid ridiculi haberet, quasi qui aquam addat mari, aut noctuas ferat Athenas: ut Horat. Satyr. I. x. 35. *Magnas Graecorum malis implere catervas*, de eo qui ingentem poetarum Graecorum numerum auget. Sed durissima hic est ellipsis *umbrarum.* In quo miror poetae incogitantiam. Facile abesse poterat *discedam*, nam intelligitur ex *reddar tenebris.* Melior adeo versus esset: *Umbrarum explebo numerum, reddarque tenebris.* Sed quomodo Deiphobus numerum umbrarum expleret, cui ne momentum quidem horae defuisset? Res geritur in Orco, in campis, quos bello clari frequentant. Itaque nec *reddi* potuit *tenebris*, quas non reliquerat. Fac enim aliquem lucis in via ista ad Elysium fuisse dubium splendorem, Deiphobus campos suos non reliquit. Loquentes restiterunt. Si loquentes processissent, mora per eos sermones facta non fuisset. Et Sibylla eminus viam ad Elysium monstrat. Loca in Orco universe sunt caliginosa, tristia *sine sole*, tenebrae, vadunt ubique per *umbram obscuram.* Elysium habet suum solem et sidera. Caetera omnia sunt *tenebrae.* Aeneas Deiphobum vidit longe ab Elysio, ergo *in tenebris.* Qui tenebras non deseruit, tenebris reddi non potuit.

In verbo vestigia torsit. In aliis *pressit.* Variavit, credo, Virgiliana VI. 197. *Sic effatus vestigia pressit.* Ibi recte *effatus.* Hic peius, quia praecedit *fatis.* Nec laudem *vestigia torsit.* Additum oportuisset locum, quo torserit, ut *oculos ad moenia torquens*, et *ad sonitum vocis vestigia torsit.*

Respicit Aeneas subito, et sub rupe sinistra. Deleto Episodio, quod unusquisque iam, sine praeiudicata opinione legendo repetens, maiestati carminis epici et rationi Virgilianae non convenire sentiet, res ita optime connectitur: Aeneas et Sibylla iam tenebant arva, ubi bello clari degebant. Occurrunt Tydeus, Parthenopaeus, Adrastus, tum multi Troiani. At Graecae phalanges, ut virum videre, ingenti metu trepidabant, alii clamorem quemdam bellicum tollebant, non illi timentes, sed tamquam pugna-

Moenia lata videt, triplici circumdata muro:
Quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.
Porta adversa, ingens, solidoque adamante columnae:
Vis ut nulla virum, non ipsi exscindere ferro
Coelicolae valeant. Stat ferrea turris ad auras;
Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta,
Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus, et saeva sonare
Verbera; tum stridor ferri, tractaeque catenae.
Constitit Aeneas, strepituque exterritus haesit.
Quae scelerum facies? o virgo, effare; quibusve
Urguentur poenis? quis tantus plangor ad auras?

tnri. Aeneas respicit, et, quia clamor ab ea parte venit, qui ad moenia Ditis dncebat, snbito ea moenia videt. Distinguendnm est: *Respicit Aeneas, subito et sub rupe sinistra — Moenia lata videt.* Videt *subito*, nt VI. 710. *Horrescit visu subito.*

Exscindere ferro. Tantum est robur, ut nec homines nec dei, si tentarent, ferro exscindere valerent. Alteri lectioni *bello* nnnc locus esse non potest, qnia *bellum* hominum contra Plutonem cogitari non potest. At *ferro* habet aliquid proverbiale. Nulla vi, neque humana neque divina, porta emoveretnr.

Hinc exaudiri gemitus. Amant poetae hic infinitivos. Valerius Flacc. IV. 641. *Cum procul audiri sonitus.* Quod recte Burmannus contra alterum *auditi* defendit.

Strepituque exterritus haesit. Wagnerus bene recepit, deteriore *strepitumque exterritus hausit* repudiato.

Quae scelerum facies? Propter quae scelera quibns poenis afficinntur? Valerius Flaccus II. 216. *Unde ego tot scelerum facies, tot fata iacentum Exsequar?*

Quis tantus plangor ad auras? Quaesitum olim de hoc loco fuit. Pollio accipiebat de *auris*, quas Aeneas et Sibylla secum traxerant. Tam ineptum fuisse Pollionem non arbitror. Nam et *aurae* in inferis erant, et dictum ex vulgari consuetndine pro *in altum.* Sed nt nemo scriberet *clamor tantus in altum*, omisso *surgit*, ita nec ferendum *clamor in auras*, vel *ad auras.* Semper additum verbum invenies. Latina sunt ista: *quae facies, quibus poenis urguentur, qui tantus plangor?* non, *qui tantus*

Tum vates sic orsa loqui: Dux inclute Teucrum,
Nulli fas casto sceleratum insistere limen;
Sed me quum lucis Hecate praefecit Avernis,
Ipsa deum poenas docuit, perque omnia duxit.
Gnosius haec Rhadamanthus habet, durissima regna,
Castigatque auditque dolos; subigitque fateri,
Quae quis apud superos, furto laetatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.
Continuo sontis ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra
Intentans anguis, vocat agmina saeva sororum.
Tum demum horrisono stridentes cardine sacrae
Panduntur portae. Cernis, custodia qualis
Vestibulo sedeat? facies quae limina servet?
Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
Saevior intus habet sedem. Tum Tartarus ipse

plangor ad auras. In quibusdam MSS. legitur *auras*, unde, mutata distinctione, scribendum: *qui tantus plangor? Ad aures Tum vates sic orsa loqui.* Sibylla haec ad Aeneam submissa voce loquitur. Quae rogas, inquil, videre, nemo vidit, nec tibi videre fas est. Sed ego olim vidi, et vix tibi narrare audeo. Exspectatio per tacitum sermonem mire augetur. Fari *ad aures*, est rem gravis momenti non alta voce alicui soli narrare, quasi metuas, ne alii audiant. Tacit. Agric. 44. *Principem Traianum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur.* Annal. IV. 39. *Benevolentia patris Augusti, et mox plurimis Tiberii iudiciis ita insuevisse, ut spes votaque sua non prius ad deos, quam ad Principum aures conferret.* In quibus exemplis *aures* aliquid secreti indicant. Recentiores simpliciter posuere *apud aures alicuius*, pro, aliquo audiente. Hieronymus Epist. 33. *Apud eruditas aures imperitae linguae responsurus sum.* Ammian. Marcell. XXVIII. pag. 408. *Apud aures sacras mentitus est.*

Subigitque fateri. Idem Furiae cogebant. Ovidios in Ibin. 185. *Hic tibi de Furiis scindet latus una flagello, Ut sceleris numeros confiteare tui.* Neque mortuos tantum cogebant, sed etiam vivos. Conf. Wyttenb. ad Plutarchi S. N. Vindict. pag. 121.

Bis patet iu praeceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad aetherium coeli suspectus Olympum.
Hic genus antiquum Terrae, Titania pubes,
Fulmine deiecti, fundo volvuntur in imo.
Hic et Aloidas geminos, immauia vidi
Corpora: qui manibus magnum rescindere coelum
Aggressi, superisque Iovem detrudere regnis.
Vidi et crudelis dantem Salmonea poenas,
Dum flammas Iovis et sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic invectus equis, et lampada quassans,
Per Graium populos mediaeque per Elidis urbem
Ibat ovans, divomque sibi poscebat honorem,
Demens! qui nimbos et non imitabile fulmen
Aere et cornipedum pulsu simularet equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit; non ille faces, nec fumea taedis
Lumina; praecipitemque immani turbine adegit.

Quantus ad aetherium coeli suspectus Olympum. Petitus ista transponebat *terrae suspectus* et mox *antiquum Coeli.* Heinsius, cum aliis, explicat, quod Olympus altior coelo habebatur. Sed illud intervallum non est tantum, quantum inter Olympum et terram. Neque ea intervalli significatio satis accommodata est formulae proverbiali, *ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης*, quam poetae ubique servarunt, neque ipse Virgilius in Georgicis neglexit. Heynius interpretatur: *prospectus per aerem a terra ad Olympum.* Dubito an *suspectus coeli* sic accipi possit. Nihil tamen ipse expedio.

Rescindere coelum. Verbum militare, vallum *rescindere.* Recte animadvertit Heynius ad Georg. I. 280. Claudianus Gigant. 31. *rescindite turres sidereas.* Silius X. 367. *neque enim sacris irrumpere muris, Poeno, magis dabitur, nostrum quam scindere coelum.*

Mediaeque per Elidis urbem. Mallem *mediasque per Elidis urbes.* Etiamsi una fuerit urbs in Elide Salmonia, gravior est pluralis. Ibat per medios Graium, Eleorum, populos, *per medias Elidis urbes.* Urbs *mediae Elidis* dicitur, quae est in *media Elide.* It per *mediam urbem*, qui se in locis urbis celeberrimis ostentat.

Nec non et Tityon, Terrae omniparentis alumnum,
Cernere erat; per tota novem cui iugera corpus
Porrigitur, rostroque immanis voltur obunco
Immortale iecur tondens, fecundaque poenis
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore; nec fibris requies datur ulla renatis.
Quid memorem Lapithas, Ixiona Pirithoumque?
Quos super atra silex iam iam lapsura, cadentique

Immortale iecur tondens, fecundaque poenis Viscera. Melius legeretur *tondet*. Locum expressit Ambrosius de Tobia 12. *Echidna, foecunda poenis viscera trahens.*

Quos super atra silex iam iam lapsura. Versus difficillimus, in quo explicando antiqui et recentiores interpretes operam perdiderunt. *Silex* et *coena* ad Lapithas, Ixionem et Pirithoum, referri non possunt. Tantalus tam aperte significatur, ut alium, de quo similia dicantur, frustra quaeramus. Iam linguae natura non patitur, ut verba interpretemur, quasi scriptum esset: *quid porro memorem eos, quos super atra silex.* Locus sine dubio corruptus est, et ex QVOSSVPER restituendum puto QVIDQVIBVS. *Quid, quibus atra silex iam iam lapsura cadentique Imminet adsimilis?* Quid memorem Lapithas, Ixionem et Pirithoum? *Quid illos, quibus* silex imminet? Quid dicam, *esse, quibus silex imminet?* Pluralis et hic gravitatem habet. Solus enim Tantalus indicatur. Lapithas, Ixionem et Pirithoum, hic tantum nominat. Poenas eorum mox commemorat, dicens *saxum volvunt*, ut Ixion, *Theseus aeternum sedet*, in quo simul Pirithous significatur. Hinc etiam patet *silicem* et *coenam* istam non esse poenam Ixionis et Pirithoi, quorum poena deinde memoretur. Denique consueta verbi ratio est: silex *imminet illis*, non *super illos.* Macrobius Somnio Scipionis I. 10. hunc locum respexit: *atram silicem lapsuram semper et cadenti similem illorum capitibus imminere.* Macrobius legit, ut emendavimus. Alioquin scripsisset: *super illorum capita imminere.* Valerius Flaccus II. 190. et P. Statius I. 713. hanc fabulam alio modo ornaverunt. Flaccus: *Iamque domos mensasque petunt* (mulieres Lemniacae): *discumbitur altis Porticibus: sua cuique furens festinaque coniux Adiacet. Inferni qualis sub nocte barathri Accubat attonitum Phlegyan et Thesea iuxta Tisiphone, saevasque dapes et pocula libat (Tormenti genus) et nigris amplectitur hydris.* Ubi pro *festinaque* legendum, literis transpositis, *infestaque.*

Imminet adsimilis: lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulaeque ante ora paratae
Regifico luxu; Furiarum maxima iuxta
Accubat, et manibus prohibet contingere mensas,
Exsurgitque facem attollens, atque intonat ore.
Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens, et fraus innexa clienti;
Aut qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis: quae maxima turba est.

Pulsatusve parens. Graeci *αἰκίαν* vocant. Conf. Burmannum ad Ovid. Amor. I. VII. 29.

Divitiis soli incubuere repertis. Non satis intelligo *soli.* Nam nemo, ne liberalissimus quidem, nisi mente captus, alteri concedit *suis divitiis incubare.* Et cur ille suis partem divitiarum daret, *quibus ipse incubet*, neque adeo ipse utatur? Hoc enim est *incubare auro*, nec *sumere sibi nec ulli donare quidquam*, ut dicit Phaedrus IV. 19. de Dracone, qui abditos thesauros in ultima spelunca custodiebat. Quintilianus Instit. X. 1. *velut clausis thesauris incubabit.* Seneca de Ira I. pag. 39. *Acervis auri argentique incubat.* Sulpitius Severus Hist. I. pag. 128. *auro incubant, emunt venduntque, quaestui per omnia student.* Vide et Elmenh. ad Appul. Metam. IV. pag. 257. Hinc Schol. Horatii Satyr. II. VI. 13. nomen Herculis *Incubonis* explicat. Atque idem Horatius illud *incubare auro* diversis modis ita expressit, Satyr. I. I. 70. *congestis undique saccis Indormis inhians, et tamquam parcere sacris Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis:* ubi lege: *congestis undique saccis Indormis: inhias, et tamquam* sq. Satyr. II. III. 109. *Qui nummos aurumque recondit, nescius uti Compositis, metuensque velut contingere sacrum? Si quis ad ingentem frumenti semper acervum Porrectus vigilet cum longo fuste?* Talis custodiae socium nemo avarus admittit. Quare adiectum *solus* rei omnino contrarium est. Pro SOLI omnino scribendum arbitror ORI hoc est AVRI. Litera *s* male repetita videtur ex ultima in *divitiis.* *Aut qui divitiis auri incubuere repertis.* *Divitiae auri*, ut Graecum *πλοῦτος ἀργύρου μέγας* apud Herodotum II. 121. Vide interpretes Anacreontis ad Oden XXIII. *ὁ πλοῦτος χρυσοῦ.* Ac fortasse Tibullus I. I. 1. scripsit: *Divitias alius fulvi sibi congerat auri;* ubi nunc legitur *fulvo auro.*

Nec partem posuere suis. Panem, cibum alicui *ponimus*, non *aurum.*

Quique ob adulterium caesi; quique arma secuti
Impia; nec veriti dominorum fallere dextras,
Inclusi poenam exspectant. Ne quaere doceri,
Quam poenam; *aut quae forma viros fortunave mersit.*

Melius: *nec partem promsere suis.* Statius Silv. II. III. 70. *Idem auri facilis contemtor, et optimus idem Promere divitias, opibusque immittere lucem.* Vulgo legitur *condere.* *Promere* est vere emendatio Hemsterhusii. In edit. antiquis erat *comere.*

Quae maxima turba est. Ne quis tamquam insuetum miretur, apponam Quintil. Declam. XII. pag. 254. *Ubi vero universas familias fames exstinxit, quae pars maxima est.* Seneca de Brev. Vitae, 13. *qui in literarum inutilium studiis detinentur; quae iam apud Romanos quoque magna manus est.* Sidon. Apollin. Panegyr. Maioriani: *Cooperat ad rupis medium, quae maxima turba est, Interno aequalere gelu.* Paullinus Carm. VII. *Peccator autem, non et impius tamen, Quae magna turba est, non resurget gloriae.*

Quique ob adulterium caesi. Dubito an hic et sequens versus sint Virgilii. *Qui caesi sunt*, iam in terra poenas accepere. Neque *adulterium* tam horribile scelus habebatur. Servius et cogitavit de *verberatis* ob adulterium, ut v. c. caesus fuit Sallustius.

Arma secuti Impia. Ut in bellis civilibus. Sed quibus? Et ea tangere erat periculosum, neque Augusto gratum. Iam veteres Grammatici animadverterunt.

Nec veriti dominorum fallere dextras. Domini non dicuntur nisi *servorum.* Augustus edicto gravissimo vetuit se *dominum* appellari: Sueton. 53. Ergo *servi* in inferis puniuntur. Sed poenae *servorum* in carmine Romano ita non commemorarentur: nec *libertorum* quidem. Et quid significat *fallere dextras dominorum?* *Falso* per dextras dominorum *iurare:* ut Horat. Carm. II. 8. *Expedit matris cineres opertos fallere.* Puniuntur ergo servi vel liberti qui in bellis impiis per dextras dominorum peieraverunt. Tale ego crimen non intelligo, neque ex Historia Romana illustrari potest.

Inclusi poenam exspectant. Non opus est emendato *expendunt* vel *exceptant.* Magna pars poenae est, poenam, sine spe impunitatis, exspectare.

Aut quae forma viros fortunavae mersit. Heynius vocat ornatos versus pro vulgari: *hi inclusi variis modis puniuntur.* Noli quaerere, quam poenam exspectandam habeant; aut quae poenae forma fortunave, quod miseriae genus viros mersit, illos excipit, manet. Haec Heynius. Wegnerus: »*Mersit*, spectat ad eos, qui

Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum
Districti pendent; sedet, aeternumque sedebit,
Infelix Theseus; Phlegyasque miserrimus omnis
Admonet, et magna testatur voce per umbras:

tales fuerunt, quique iam luunt poenas. Ego non video, quomodo talem sententiam ex his verbis ducere potuerint. Scribendum saltem erat *merset* vel *mergat*, ut est in Codd. nonnullis. Quamquam ne hoc quidem convenit cum praecedentibus *quam poenam expectent*. Qui poenam exspectant, hos neque poena, neque poenae forma mergit. Et quam dicemus Latinitatem *haec poenae forma me mergit?* Sed tota haec oratio Sibyllae turbata est, cuius ordinem rectum, deleto hoc inficeto hemistichio, ita, credo, non infeliciter restitui: *Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat, Pulsatusque parens, et fraus innexa clienti; Aut qui divitiis auri incubuere repertis, Nec partem promsere suis, quae maxima turba est. Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem Imposuit; fixit leges pretio atque refixit; Hic thalamum invasit natae vetitosque hymenaeos. Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti, Inclusi poenam exspectant. Ne quaere doceri, Quam poenam. Non mihi si linguae centum sint, oraque centum, Ferrea vox, omnis scelerum comprendere formas, Omnia poenarum comprendere nomina possim. Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum Districti pendent; sedet, aeternumque sedebit Infelix Theseus; Phlegyasque miserrimus omnes Admonet, et magna testatur voce per umbras: »Discite iustitiam moniti, et, non temnere divos."* *Haec ubi dicta dedit* sq. Non opus est verbis, ut hunc ordinem vulgato longe praestare ostendam.

Radiisque rotarum Districti pendent. Cogitat Ixionem, de quo Georg. IV. 484. *Atque Ixionii vento rota constitit orbis.* Qui locus interpretes saecula vexavit. Scribe **RETRO** pro **VENTO**, et fortasse manum Virgilii habebis: *Atque Ixionii retro rota constitit orbis.* Explicat Seneca Hipp. 1236. *Haec incitatis membra turbinibus ferat Nunquam resistens orbe revoluto rota.* Ibi *rota* nunquam faciet, quod apud Virgilium fecit. *Retro constitit* et *revoluto orbe restitit* omnino idem est. Adde Horatius Epod. XVII. 6. *Canidia parce vocibus tandem sacris: Citumque retro solve solve turbinem.* Melius, credo, quod volebat Lambinus, *volve volve.* Seneca in Apocol. pag. 859. dicit, *aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandum.*

Admonet, et magna testatur voce per umbras. Seneca Thyest. 90. *ingenti licet Taxata poena lingua*

»Discite iustitiam moniti, et, non temnere divos."
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Imposuit; fixit leges pretio atque refixit;
Hic thalamum invasit natae vetitosque hymenaeos.
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.
Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnis scelerum comprendere formas,
Omnia poenarum percurrere nomina possim.
  Haec ubi dicta dedit Phoebi longaeva sacerdos:
Sed iam age, carpe viam, et susceptum perfice munus;
Acceleremus, ait. Cyclopum educta caminis
Moenia conspicio, atque adverso fornice portas,
Haec ubi nos praecepta iubent deponere dona

crucietur loquax; Nec hoc tacebo: moneo, ne sacra manus Violate caede. Sensum ex Virgilio depromtum animadvertit Gronovius. *Magna voce*, pro umbris scilicet, quibus esse *exiguam* supra ipse narravit, Homeri τριγμόν.

Discite iustitiam moniti, et, non temnere divos. Haec cum Graecis exemplis comparavit Valckenaerius ad loca quaedam N. F. p. 327. et Gesnerus ad Claudianum Praefat. Eutrop. II. 75. Formam versus expressere Valerius Flaccus V. 128. *et monitus non temnere Phinei.* Et Claudianus B. Gild. 647. *Discite vesanae Romam non temnere gentes.*

Dominumque potentem Imposuit. Lucan. III. 393. *Quodque virum toti properans imponere mundo.* Ubi Cortius vim verbi gravem eleganter exposuit. Idem ad Sallust. Catil. 51. *Lacedaemonii, devictis Atheniensibus, triginta viros imposuere.*

Ausoque potiti. Ovid. Metam. XI. 241. *Auso foret ille potitus.* Vide Burmannum.

Scelerum comprendere formas. Seneca Epist. 122. *Varia sunt et innumerabiles habent facies. Comprehendi eorum genera non possunt.*

Susceptum perfice munus. Illud, quod suscepisti, dare ramum Proserpinae, perfice. *Munus perfice*, pro *rem perfice.*

Haec ubi nos praecepta iubent deponere dona. Versus et ipse ingratus, et nullius sententiae. Loquitur Sibylla. At *praecepta* erant ipsius Sibyllae. Dixerat vs. 136. *accipe quae peragenda prius*, et Aeneae de petendo ex silva aureo ramo praeceperat. Tum vs. 236. Aeneas exse-

Dixerat, et pariter, gressi per opaca viarum,
Corripiunt spatium medium, foribusque propinquant.
Occupat Aeneas aditum, corpusque recenti
Spargit aqua, ramumque adverso in limine figit.
His demum exactis, perfecto munere divae,
Devenere locos laetos, et amoena vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Largior hic campos aether et lumine vestit
Purpureo; solemque suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palaestris;
Contendunt ludo, et fulva luctantur arena;
Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt.

quitur alia *praecepta* Sibyllae. Praeterea versus est supervacuus. Non modo iam dictum erat Proserpinam postulare hoc donum sibi ferri, sed etiam intelligitur ex eo, quod Aeneas ramum *adverso in limine figit.*

His demum exactis, perfecto munere divae. Quid sit *perfecto munere*, supra vidimus. Statius hunc locum ante oculos habuisse videtur, II. 693. *Tum demum ad manes, perfecto munere, Erynnis, Iunoni laudata, redit.* Erynnis perfecerat *negotium*, quod Iuno rogaverat. *Munus divae perficere* significat munus, quod nondum paratum et absolutum erat, *absolvere, perficere.* Sed Proserpina nihil aliud nisi ramum istum postulabat. Huic muneri nihil deerat. Non credo sic Virgilium scripsisse. Sed, etiamsi pro *divae* aliud vocabulum substituas, *his exactis* et *perfecto munere* nihil fere differunt. Fortasse ex duobus unus hic versus Virgilio dignior erit: *His demum exactis, venere ad amoena vireta.* Sed, praeter Silium, etiam Valerius Flaccus haec ita legit, ut nunc videmus, I. 844. *Donec silvas et amoena piorum Deveniunt camposque, ubi sol, totumque per annum Durat aprica dies.* Magis igitur in eam feror opinionem, ut scribendum arbitror PERLATO pro PERFECTO. *His demum exactis, perlato munere Divae*: postquam munus, donum Proserpinae tulerat, pertulerat ad locum, quo erat ferendum. Supra vs. 142. *Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus Instituit.*

Largior hic campos aether et lumine vestit Purpureo. Mallem: *Largior hic aether, et campos lumine vestit Purpureo.* Pro *solemque suum*, Barthius ad Nemes. Eclog. I. 20. citat *mundumque suum.*

Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum;
Iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.
Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
Magnanimi heroes, nati melioribus annis,
Ilusque, Assaracusque, et Troiae Dardanus auctor.
Arma procul currusque virum miratur inanis.
Stant terra defixae hastae, passimque soluti
Per campum pascuntur equi. Quae gratia curruum
Armorumque fuit vivis, quae cura nitentis
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit, ecce, alios dextra laevaque per herbam,
Vescentis, laetumque choro Paeana canentis,

Obloquitur numeris septem discrimina vocum. Ambrosius bis hunc locum imitatur. Hexaem. V. 14. *Quaedam aves ex institutione diversarum vocum obloquuntur discrimina.* De Iacobo II. 9. *Quis tam suavibus numeris septem vocum differentias oblocutus?* Interpretes Virgilium diversa ratione explicant. Ego sic accipio: Orpheus discrimina septem vocum obloquitur numeris eorum, qui carmina dicunt. Sonos septem citharae accommodat ad sonos canentium, ita, ut diversum semper sonum, modo altum, modo gravem, ex cithara eliciat. Hinc *obloquitur.*

Iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno. *Eadem* non potest referri nisi ad *discrimina.* Sed tum dicendum erat *et ea discrimina.* *Discrimina* non sunt *eadem*, sed *diversa.* Verum puto, quod Marklandus coniecit: *Iamque fidem.* Orpheus obloquitur numeris canentium, sonosque obloquentes ex fide, cithara, elicit, eamque citharam nunc digitis nunc pectine pulsat.

Dextra laevaque per herbam, Vescentis. Heynius non putat satis digne dici pro *epulas celebrantes.* Idem tamen in Variis Lection. animadvertit, usum huius vocis non ex plebe esse, et Virgilium Aeneid. VIII. 182. adhibuisse etiam in re sacra. Sed *vesci* de epulis genialibus satis honestum est. Livius XXXVII. 20. *Pars in iuveniles lusus lasciviamque versi, pars vescentes sub umbra, quidam somno etiam strati.* Iam coenae geniales, *θαλίαι*, in Elysio cognitae. Has ibi celebrari ipse Musaeus docuit. Apud Platonem in Republ. II. pag. 423. Musaeus et filius *εἰς ᾅδου ἀγαγόντες τῷ λόγῳ, καὶ κατα-*

Inter odoratum lauri nemus: unde superne
Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.
Hic manus, ob patriam pugnando volnera passi,
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii vates, et Phoebo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluere per artis,
Quique sui memores alios fecere merendo:
Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.
Quos circumfusos sic est affata Sibylla;
Musaeum ante omnis; medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris exstantem suspicit altis:
Dicite, felices animae, tuque, optime vates;
Quae regio Anchisen, quis habet locus? illius ergo
Venimus, et magnos Erebi tranavimus amnis.
Atque huic responsum paucis ita redidit heros:
Nulli certa domus. Lucis habitamus opacis,
Riparumque toros et prata recentia rivis

κλίναντες, καὶ συμπόσιον τῶν ὁσίων κατασκευάσαντες, ἐστεφανωμένους ποιοῦσι τὸν ἅπαντα χρόνον ἤδη διάγειν μεθύοντας. Adde Gesnerum ad Claudianum Rapt. Pros. II. 327.

Inventas aut qui vitam excoluere per artis. *Vitam humanam*, Ipsos adeo homines, eorumque mores, *βίον*. Horatius Epist. II. I. 7. de Baccho et Hercule, *qui terras hominumque colunt genus*. Seneca Epist. 14. *qui a republica exclusi secesserunt ad colendam vitam et humano generi iura condenda*. Consol. ad Marciam, 18. *Disces docebisque artes, alias, quae vitam instruant, alias, quae ornent, alias, quae regant.* Conf. Burmannus ad Phaedri I. Prologum 4. et Davisium ad Maximum Tyrium XII. 8.

Quique sui memores alios fecere merendo. Illud *alios* tam humile est, ut vix in prosa oratione ferres, *et qui de aliis bene meriti sunt.* Et quos facerent sui memores, nisi *alios?* In quibusdam MSS. legitur *aliquos.* Ex ALIQVOS feci POPVLOS. Egregia sententia. *Quique sui memores populos fecere merendo.* Qui de totis nationibus egregie meriti sunt, et propterea grata earum memoria divinis honoribus, tamquam heroes, coluntur.

Incolimus. Sed vos, si fert ita corde voluntas,
Hoc superate iugum; et facili iam tramite sistam.
Dixit, et ante tulit gressum, camposque nitentis
Desuper ostentat; dehinc summa cacumina linquunt.
At pater Anchises penitus convalle virenti
Inclusas animas, superumque ad lumen ituras,
Lustrabat studio recolens, omnemque suorum
Forte recensebat numerum, carosque nepotes,
Fataque, fortunasque virum, moresque, manusque.
Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit
Aenean, alacris palmas utrasque tetendit;
Effusaeque genis lacrimae; et vox excidit ore:
Venisti tandem, tuaque exspectata parenti
Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,

Si fert ita corde voluntas. Si Anchisen convenire vultis.

Fataque, fortunasque virum, moresque, manusque. Manus interpretantur, *virtutem* seu *facta*, virtutem per facta comprobandam. Vehementer dubito an unquam quisquam ita locutus fuerit. Magis apparebit, si nomen hominis addas, v. c. *Anchises recensebat fata fortunas mores et manus Romuli.* Scribendum puto *moresque animosque.* Virgilius et Aeneid. VI. 12. hoc substantivum in fine versus posuit: *magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates.* Recte iunguntur *mores* et *animi*, ut *mores* et *natura*, *mores* et *ingenium*. *Animi* cuiusque fere apparent in *moribus*. Ita Virgilius mox describit *animum* Tulli *ferocem*, Anci *iactantiorem*, Tarquinii *superbum*.

Alacris palmas utrasque tetendit. Quando praecessit *tendentem*, repetitum *tetendit* non est castigati scriptoris. In Georg. II. 292. sq. invenimus *tendit — tendens:* sed tres versus medii sunt interpositi. Et tamen hoc Heinsium offendebat. Multa sunt documenta in Aeneide, quantopere Virgilius ingratas repetitiones vitare studuerit. Ecce Aeneid. IV. 410. ubi vicina sunt *cernenti*, *prospiceres*, *videres*. Semper huiusmodi repetitiones vitare ne hominis quidem est diligentissimi. Virgilius hic scribere potuisset: *alacris palmas et brachia pandit:* vel: *Isque ubi nitentem adversum per gramina videt.*

Vicit iter durum pietas? Vincimus iter, quod factu est difficile. Conf. Burm. ad Valer. Flacci III. 482. *Tua pietas exspectata parenti* est,

Nate, tua, et notas audire et reddere voces?
Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum,
Tempora dinumerans, nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras, et quanta per aequora vectum
Accipio! quantis iactatum, nate, periclis!
Quam metui, ne quid Libyae tibi regna nocerent!
Ille autem: Tua me, genitor, tua tristis imago,
Saepius occurrens, haec limina tendere adegit.
Stant sale Tyrrheno classes. Da iungere dextram,
Da, genitor; teque amplexu ne subtrahe nostro.
Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
  Interea videt Aeneas in valle reducta
Seclusum nemus, et virgulta sonantia silvis,
Lethaeumque, domos placidas qui praenatat, amnem.
Hunc circum innumerae gentes populique volabant;
Ac velut in pratis ubi apes aestate serena
Floribus insidunt variis, et candida circum
Lilia funduntur: strepit omnis murmure campus.

tu pius filius, quem exspectabam. In sequentibus explicat: *Sic animo ducebam*, *rebar futurum*, *tempora dinumerans*.

Rebarque futurum. Locus Valerii Flacci ad hunc adumbratus est, IV. 439. *Ac vestri* (*rebar sic*) *tempora cursus*, *Proxima quaeque legens*. Difficilis locus, ac fortasse corruptus.

Ter frustra comprensa manus effugit imago. Statius Silv. V. III. 266. *Felix ille patrem vacuis circumdedit umbris*.

Virgulta sonantia silvis. In Med. a manu priore *silvae*, in eodem est altera lectio *silvis*. Wagnerus coniicit *silva*, et explicat *densitatem ipsorum fruticum*, amnem utrimque ambientium. Veram puto explicationem. *Silvae* autem plurali numero dicuntur, quia sunt in locis diversis, et hic non unus ac certus locus respicitur.

Horrescit visu subito, caussasque requirit
Inscius Aeneas, quae sint ea flumina porro,
Quive viri tanto complerint agmine ripas.
Tum pater Anchises: Animae, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethaei ad fluminis undam
Securos latices et longa oblivia potant.
Has equidem memorare tibi atque ostendere coram,
Iampridem hanc prolem cupio enumerare meorum:
Quo magis Italia mecum laetere reperta.
O pater, anne aliquas ad coelum hinc ire putandum est
Sublimes animas, iterumque ad tarda reverti
Corpora? quae lucis miseris tam dira cupido?
Dicam equidem; nec te suspensum, nate, tenebo;
Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.
Principio coelum ac terras, camposque liquentis,
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra,

Iampridem hanc prolem cupio enumerare meorum. Heynius, offensus iuncturae asperitate, malebat: *iampridem ac prolem.* Sic edidit Brunckius. Wagnerus ad Georg. I. 248. *iampridem* ad utrumque versum refert, ut sit *iampridem ostendere*, *iampridem enumerare.* Equidem *iampridem* vix a verbo *cupio* separari posse arbitror. Sequor potius aliorum distinctionem *ostendere coram Iampridem*, *hanc prolem* sq. Copulam non desidero. *Animae* et *proles* per appositionem dicuntur. Ita, ut hoc utar, vs. 756. *Dardaniam prolem* — *nepotes* — *illustres animas* — iuncta vides.

Ad tarda reverti Corpora. Indicat studium in corpora redeundi; *in corpora* autem denotat ipsum introitum. Sic Wagnerus acute illud *ad* defendit. Claudianus Rapt. I. 62. *Rursus corporeos animae mittuntur in artus.*

Nec te suspensum, nate, tenebo. Sulpitius Severus pag. 567. *Nec te diutius tenebo suspensum.*

Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra. Trappius et Wakefieldus emendaverunt *Titanaque et astra.* Heynius *astra Titania* interpretatur *Solem*, Wagnerus *Lunam cum sole*, per quandam epexegeseos speciem. Ego ex verbis, ut nunc leguntur, nihil amplius efficio nisi *Lunam et sidera; Sol* autem deesse non potest. Locum iam mature fuisse corruptum suspicor, nam laudavit Hieronym. T. IV.

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus, vitaeque volantum,
Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.
Igneus est ollis vigor et coelestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,

pag. 362. et vidit *Titania*. TITANIA non multum abit a MICANTIA. Si scribas: *Lucentemque globum, Lunamque, micantiaque astra;* habes versum Virgilio dignum. *Globus lucens* est *sol*, a quo luna lucem accipit. Astra *micantia* nominavit Catullus Epithal. 205. *Quo tunc et tellus, atque horrida contremuerunt Aequora, concussitque micantia sidera mundus.* Ambrosius bis Virgilium respexit, ut De Spiritu Sancto, II. *Gentiles homines, quod coelum ac terras, lunae quoque stellarumque micantium globos spiritus intus alat, suis versibus indiderunt.* Idem de Excessu Satyri: *globos micantium siderum.* Vidisse Ambrosium *micantia astra* fere dicas. Virgilium autem liberius expressit. Nam et *mare* et *solem* omisit.

Totamque infusa per artus Mens agitat molem. Statius Theb. I. 416. *totosque infusa per artus Maior in exiguo regnabat corpore virtus.*

Igneus est ollis vigor. Dixit *illis*, scilicet *animabus*. Anchises respondet ad id, quod Aeneas rogavit vs. 719. *O pater, anne aliquas ad coelum hinc ire putandum est Sublimes animas, iterumque ad tarda reverti Corpora?* Et nunc neminem offendet, quod mox Anchises dicit: *Hinc metuunt — clausae tenebris et carcere caeco.* Ubi Heynius putabat subiectum paullo longius esse repetendum ex vs. 720, cum intervenissent iam *semina* vs. 730. *His* respiceret *hominibus, pecudibus, avibus* et *piscibus*.

Seminibus, quantum non noxia corpora tardant. Omnino distinguendum et transponendum arbitror: *Igneus est ollis vigor et coelestis origo, Noxia seminibus quantum non corpora tardant. Semina* sunt *sensus aetherius* et *auras simplicis ignis.* Quae in Virgilio sequuntur, ea pertinent ad solos homines. Si dicas: *igneus vigor et origo coelestis est illis seminibus;* rogo, *quibus seminibus?* Nihil de *seminibus* praecessit. Neque intelligo argumentandi rationem: *mens agitat molem, ex hac mente sunt hominum et animalium vitae, illis seminibus est origo coelestis et igneus vigor.* Nam *igneus vigor* sunt ipsa illa *semina.* Ex nostra distinctione optima haec redit sententia: *Spiritus et mens agitant hanc re-*

Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiuntque; dolent, gaudentque; neque auras
Dispiciunt, clausae tenebris et carcere caeco.
Quin et, supremo quum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeae excedunt pestes; penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliae panduntur inanis
Suspensae ad ventos; aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni;

rum molem, per omnes eius artus infusa: ex hac mente divina homines et animalia vitam accepere. Animabus hominum est origo coelestis; sed corpora, origini coelesti, seminibus, noxia, eam originem ac semina, igneum vigorem tardant; artus et membra mortalia eum vigorem hebetant. Loca poetarum indicata sunt a Ruperto ad Silium XV. 71. Seneca Consol. ad Helv. 6. *Mens non est ex terreno et gravi concreta corpore: ex illo coelesti spiritu descendit:* et mox appellat *animum humanum ex iisdem, quibus divina constant, compositum seminibus.*

Neque auras Dispiciunt. Ex tenebris oculos attollimus, ut eminus lucem deprehendamus. Cicero Orat. post Redit. 3. *Ex superioris anni caligine et tenebris lucem in republica dispicere coepistis.* Vide Ernestium in Clave. Tacitus in Agric. 10. *Dispecta est et Thyle. Auras dispicere* idem est quod philosophi vocant *verum dispicere, cernere.* Male ergo nonnulli in Virgilio *despiciunt* tuentur.

Multa diu concreta modis inolescere miris. Quod Fea affert ex MS. Casinatensi *mollescere*, hoc corruptum est ex *inolescere.* Idem coniicit *abolescere*, iure ab Heynio reprehensus. Claudianus in Rufin. II. 504. *en pectus inustae Deformant maculae, vitiisque inolevit imago.*

Infectum eluitur scelus. Servius ad Georg. II. 389. citat *infectum*, ubi tamen in aliis MS. legitur *infectum.* Quid sit *infectum*, optime ex Seneca intelligitur, Epist. 59. *Diu in istis vitiis iacuimus. Elui difficile est. Non enim inquinati sumus, sed infecti.* Porcius Latro apud Senecam Controv. V. 30. *quidam M. Bruti civili sanguine non inquinatas solum manus, sed infectas ait.* Vide Gronovium ad Epist. 94.

Quisque suos patimur Manis; *exinde per amplum Mittimur Elysium, et pauci laeta arva tenemus:*

Quisque suos patimur Manis. Servius explicat *supplicia varia*, quae sunt apud Manes; vel, quod verius putat, *genios duos*, quos cum vita sortimur: Lutatius *poenas*. Recentiores, alii *Furias;* alii *patimur quod ad κατὰ suos quique Manes*, alii *patimur proprios Manes, boni bonos, mali malos;* alii *patimur daemonas;* alii *nos patimur et exempla nostra;* alii *suos quisque Inferos, suum ᾅδην;* alii, *suorum quisque Manium naturam*, seu maioribus seu minoribus vitiis contaminatam, lunnt. In Scaligeranis pag. 286 legimus: *primo de mortuis intelligendum, ut quisque egerit in vita, ita et patitur mortuus. Manes dicitur anima hominis cum ex corpore exiit, ita in vita etiam, ut quisque agit, ita a Diis punitur vel regitur, nam placuit sensus ille. Quisquis suos habet naevos.* Postrema licet corrupta sint, sententiam magni viri difficultatem loci non tollere apparet. In MSS. nulla est varietas, nisi quod in Cod. Gudiano apud Arusianum legitur *mores*, in Cod. Ambros. ed. Maii p. 541. Oper. Front. *quisque suos patiamur amores*, corruptum ex *mores*. Et sic fortasse legit Seneca Herc. Furent. 735. *Quod quisque fecit, patitur: auctorem scelus Repetit, suoque premitur exemplo nocens.* Sed talis sententia huic loco non convenit. Qui locum coniectura tentavit, adhuc unus fuit Wachsmuthus in Athenaei Vol. I. pag. 269, *quisque suas patimur poenas*, vel *quisque suos patimur menses.* Ex virorum doctorum interpretationibus nulla est, quam sua se simplicitate commendare dicas. Pleraeque ingenio linguae adversantur. Imitationes veterum poetarum non deprehendi, nisi Paullini Poemat. V. 57. qui iam vidit *quisque suos patimur Manes*, et pro *poenis* accepit. Burmannus ad Valerii Flacci III. 389. putat suum poetam illa ex Virgilio sumsisse: *Quisque suos sontes, inimicaque pectora poenis Implicat, et varia meritos formidine pulsant.* Ubi tamen legendum puto: *Quisque suis;* ut ad *poenis* referatur. Vereor enim ne Latinum sit punio *meos sontes*, eos, a quibus laesus sum. Versus Virgilii etiam corruptus est, eoque diutius a coniecturis criticorum mansit immunis, quia factum est proverbium *quisque suos patimur Manis*, idque iam pueri in libris grammaticis edidicerunt. Muta SVOS in SVVM, habebis omnia plana: Animae expendunt malorum veterum *supplicia. Quisque suum patimur Manes.* Verbo non opus est, ut emendatio tam simplex commendetur.

Exinde per amplum Mittimur Elysium, et pauci laeta arva tenemus. His deletis, universa loci sententia egregie cohaeret. Sed hemistichium *quisque suum patimur Manis*

Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque relinquit
Aetherium sensum, atque aurai simplicis ignem.
Has omnis, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethaeum ad fluvium deus evocat agmine magno:
Scilicet immemores supera ut convexa revisant
Rursus, et incipiant ad corpora velle reverti.

promovendum est: *Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni: Quisque suum patimur Manis: Donec longa dies* sq. Animae, corporibus inclusae, multas labes contraxerunt. Hae labes variis poenis eximuntur. Nos manes suas quisque poenas patimur. Donee longa dies omnes labes exemit. Post mille annos scilicet omnes animae rite purgatae sunt. Tunc Deus eas ad Lethaeum flumen evocat. Heynius versus ita transposuit, quod et Trappio in mentem venerat: *aut exuritur igni: Donec longa dies perfecto temporis orbe Concretam exemit labem, purumque reliquit Aetherium sensum atque aurai simplicis ignem. Quisque suos patimur Manis.* Idem tamen Heynius, quo curatius locum inspiciebat, arbitrabatur, versus seu a poeta nondum expolitos nec in unum numerum et ordinem redactos, seu supposititios et e margine illatos: *Quisque suos patimur Manes: exinde per amplum Mittimur Elysium et pauci laeta arva tenemus.* Idque Heynio magis probabile videbatur. Wagnerus omnia expedita putat, si *donec* interpreteris *cum tandem.* Caeterum Anchises omnem de conditione animarum doctrinam non accurate exposuit. Respondet nimirum ad id, quod Aeneas rogaverat, an putandum esset, *animas in corpora velle reverti.* Hoc tantum explicat. In verbis a me sublatis non placet mittimur *per* Elysium, pro *in.* Neque *pauci* laeta arva tenent, sed ingens numerus, ut ipse Virgilius descripsit, et mox dicit *agmine magno.* Illud *pauci* sapit Christianum, ut Matthaeus VII. 14. *ἡ ὁδὸς ἡ ἀπάγουσα εἰς τὴν ζωήν, καὶ ὀλίγοι εἰσὶν οἱ εὑρίσκοντες αὐτήν.*

Has omnis, ubi mille rotam volvere per annos. Proprie *rota annorum* volvitur, *τροχὸς τρέχει κυλισθείς.* Homines *volvunt rotam* per annos mille, audacius dictum est. Modestius esset, *rotam* vel *orbem mille annorum.* Et accipi potest de poena eorum, qui, ut Sisyphus *saxum volvebat*, ita per mille annos *rotam volvere* cogebantur. Pro ROTAM, mallem AEVUM: *ubi mille aevum volvere per annos.* Ita Virgilius Georg. II. 295. *immota manet multosque nepotes Multa virum volvens durando saecula vincit.* Silius III. 579. *mutum volvens inglorius aevum.*

Dixerat Anchises; natumque unaque Sibyllam
Conventus trahit in medios, turbamque sonantem:
Et tumulum capit, unde omnis longo ordine posset
Adversos legere, et venientum discere voltus.
Nunc age, Dardaniam prolem quae deinde sequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Illustris animas, nostrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, et te tua fata docebo.
Ille, vides, pura iuvenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca, primus ad auras
Aetherias Italo commixtus sanguine surget,
Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles:
Quem tibi longaevo serum Lavinia coniunx
Educet silvis regem, regumque parentem:
Unde genus Longa nostrum dominabitur Alba.
Proximus ille Procas, Troianae gloria gentis,
Et Capys, et Numitor, et qui te nomine reddet
Silvius Aeneas, pariter pietate vel armis
Egregius, si unquam regnandam acceperit Albam.

Qui maneant. Virgilius scribere potuisset: *quae maneant Itala de gente nepotes Illustres animae, nostrumque in nomen iturae. Animae* maneut nepotes, in corpora nepotum venient. Haec anima erit Sylvius, haec Marcellus.

Ille, vides, pura iuvenis qui nititur hasta. Heynius annotavit etiam rectum fore *vides?* Sed ea differunt. Interrogatio plerumque orationem magis concitatam indicat, et plerumque sequitur *ut*, sicuti post *viden'*. Sedato pectore loquentes, dicimus *vides*. Neque in habitu Silvii aliquid erat tanta admiratione dignum. Confer loca ab interpretibus ad Silium III. 622. allata. Atque ita Graeci ponunt ὁρᾷς, Tragici et Comici saepe cum interrogatione. Vide Valckenarium ad Eurip. Phoeniss. 726. et Brunckium ad Sophocl. Philoctet. 832.

Proxima sorte tenet lucis loca. Heinsius volebat *luci*, ut esset vitae mox ipsi reddendae. Heynius non videt, quid intersit. Heinsius autem, credo, imprudens, *lucis* accepit pro *silvis*. Et Virgilius in Elysio saepe *lucos* memorat. Ego, ut illud ambiguum vitetur, praeferam *luci*.

Qui iuvenes! quantas ostentant, adspice, vires!
Atque umbrata gerunt civili tempora quercu:
Hi tibi Nomentum, et Gabios, urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces,
Laude pudicitiae celebres, addentque superbos
Pometios, Castrumque Inui, Bolamque, Coramque.
Haec tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terrae.
Quin et avo comitem sese Mavortius addet
Romulus; Assaraci quem sanguinis Ilia mater
Educet. Viden, ut geminae stant vertice cristae,
Et pater ipse suo superum iam signat honore?

Atque umbrata gerunt civili tempora quercu. Omnium fere MSS. lectionem alteri *At qui* recte praeferens Wagnerus, recte interpretatus est: atque iidem civiles gerunt coronas ob cives, prolatis imperii finibus, in colonias deductos.

Laude pudicitiae celebres, addentque superbos. Versus in nullo Codice legitur. Fabricius Lampugnanus intulisse dicitur. Heinsius annotavit, ne in antiquis quidem editionibus inveniri. Quanto meliora sunt illa Silii VIII. 361. *altrix casti Collatia Bruti.* Silius ibi et alia oppida memorat, memorata a Virgilio. Fabricius hinc versum suum cudere potuit. Qua fraude si, inventa iam typographia, homines eruditi sunt decepti, quid, typographia nondum inventa, accidisse dicamus?

Nunc sunt sine nomine terrae. Valerius Flaccus II. 587. *angustae quondam sine nomine fauces.* Hellespontum vult.

Et pater ipse suo superum iam signat honore? Servius: »Merito virtutis Mars Romulum deum esse significat. Alii *suo superum honore* interpretantur *divino:* alii iungunt *pater superum.*" Heynius: »Videsne, ut animam, aliquando in corpus prodituram, Iupiter iam hinc divina corporis maiestate conspicuam reddat?" Wagnerus: »*Suo honore*, qui ei destinatus est. Iam nunc in eo sunt signa futurae magnitudinis." Equidem pro SVPERVM putavi legendum PVERVM: *Et pater ipse suo puerum iam signat honore.* Anchises alias animas vocat *iuvenes*, alias *viros*, alias *pueros*, ut vs. 833, Caesarem et Pompeium, et vs. 876. Marcellum: *Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos In tantum spe tollet avos.* *Pueri* autem dicuntur etiam ultra viginti annos. Conf. interpretes ad Silium III. 607. *At tu transscendes, Germanice, facta tuorum, Iam puer auricomo praeformidate Batavo.*

En, huius, nate, auspiciis illa incluta Roma
Imperium terris, animos aequabit Olympo,
Septemque una sibi muro circumdabit arces,
Felix prole virum: qualis Berecyntia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbis,
Laeta deum partu, centum complexa nepotes,
Omnis coelicolas, omnis supera alta tenentis.

Nunc etiam melius intelligitur illud *iam*. Mars Romulum, *quamvis puerum, iam suo honore* signat. Duas pinnas quasdam singulares Martis ornamentum fuisse oportet. Locus Valerii Maximi I. VIII. 6. dubitare nos non sinit: *Inter caetera huiusce rei manifesta indicia* (Martem Romanis adfuisse) *galea quoque, duabus distincta pinnis, qua coeleste caput tectum fuerat, argumentum praebuit. Itaque, Fabricii edicto, supplicatio Marti est habita.*

En huius, nate, auspiciis illa incluta Roma. Elegans et vera est coniectura Burmanni: *En, huius nata auspiciis illa incluta Roma.* Roma *auspiciis Romuli* imperium terris non aequavit. Illa Roma *auspiciis Romuli*, pro *auspiciis Romuli condita*, Latinum non est. Et sic Servius legit. Nam ad Aeneid. VII. 678. annotavit: »Alii a Romulo (Romam esse conditam dicunt), ut VI. 782. Ennius: *His nata auspiciis illa inclyta Roma.* Ubi scribendum, transpositis literis: *En, huius nata auspiciis.* Quod etiam animadvertit Planckius in Ennii Medea, pag. 2. Quamquam igitur hic ipse versus non sit Ennii, est tamen eius coloris. Et Cicero: *O fortunatam natam me consule Romam.*

Imperium terris, animos aequabit Olympo. Servius testatur de hoc loco quaesivisse Trogum et Probum. Quaerere potuerunt de verbo *aequare*, duplici significatione posito. Imperium *aequare terris* proprie dictum, animos *aequare Olympo* figurate. Nam denotat: *animis Olympo, diis immortalibus, non cedunt.* Virgilius Georg. IV. 132. de paupere rustico, qui *regum aequabat opes animis.* Livius I. 25. de tergeminis fratribus: *magnorum exercituum animos gerentes concurrunt.* Seneca Epist. 41. Virgilium expressit: *Ex superiore loco homines videntem, ex aequo deos.*

Septemque una sibi muro circumdabit arces. Habet arces pro muro. Roma, Dea, sibi circumdedit arces, ut Graece περιβάλλεσθαι homines dicuntur οἰκίας μεγάλας. Vide Wyttenbachium ad Plutarchi Moral. Anim. I. pag. 681. Ex hac imagine suam formavit Silius IV. 408. *Ipsam* (Romam) *turrigero portantem vertice muros.*

Huc geminas nunc flecte acies; hanc adspice gentem,
Romanosque tuos. Hic Caesar, et omnis Iuli
Progenies, magnum coeli ventura sub axem.
Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis,
Augustus Caesar, Divi genus: aurea condet
Saecula qui rursus Latio, regnata per arva
Saturno quondam; super et Garamantas et Indos
Proferet imperium; iacet extra sidera tellus,

Super et Garamantas et Indos. Explicant *ultra.* Wagnerus *ipsos Garamantas et Indos*, non gentes ulteriores significari putat, quia et Indi hominum extremi habebantur. Sed Virgilius victorias Augusti magnifice extollit. Maior autem laus est ultra extremos hominum processisse, quam extremos, cognitos, vicisse. Et sequentia vulgarem interpretationem tuentur. Augustus extra *solis vias* arma feret, in altera mundi parte super oras habitatas.

Iacet extra sidera tellus. Hoc est: *Indi et Garamantes iacent extra sidera.* Locus aliter explicari non potest. Sed ea explicatio huc non convenit. Ergo exspectasses Virgilium, post verba *stellis ardentibus aptum*, nonnulla fuisse additurum, v. c. et *hanc tellurem imperio iunget.* Oratio, ut nunc legitur, non recta via procedit. Interea Heynius hanc negligentiam enthusiasmo tribuit. »Iam debebat sequi, ait, *proferet imperium et super eam terram, quae iacet extra solis vias.* Sed inversio facta enthusiasmum adiuvat.” Recentiores quidam poetae, divino, ut putant, furore correpti, sanam rationem et linguae regulas evagentur: hoc longe a Virgilio abfuit. Eum pro IACET scripsisse coniicio QVAQVE. Augustus imperium proferet *super Garamantas et Indos, et qua tellus iacet extra anni solisque vias. Qua* exemplis illustrare nihil attinet, et nonnulla dedit Burmannus ad Ovidii Amor. III. xv. 12. Adde Senecam Herc. Oet. 1838. *vindicem amisi parens Terrae atque pelagi, quaque purpureus dies Utrumque clara spectat Oceanum rota.* Lipsius a Taubmanno de hoc loco consultus, in Epistol. Praeterm. Decad. pag. 238. respondit esse *κεκαυμένην* et *ἀντοίκους* nostros. Novus orbis, quem scivere veteres magis quam novere. Addit se tota de re ad Senecam esse dicturum. Dixit, ni fallor, ad Benefic. VII. 2. *qui extra naturae terminos arma proferret.* Hinc fortasse emendandus est Senecae Herc. Oet. 44. *Te, clare Titan, testor; occurri tibi Quacunque fulges. Nec meos lux prosequi Potuit triumphos. Solis excessi vices.* Scribendum *vias.*

Extra anni Solisque vias, ubi coelifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
Huius in adventum iam nunc et Caspia regna
Responsis horrent divom, et Maeotia tellus
Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obivit;
Fixerit aeripedem cervam licet, aut Erymanthi
Pacarit nemora, et Lernam tremefecerit arcu;
Nec, qui pampineis victor iuga flectit habenis,

Fixerit aeripedem cervam licet. Alcides non tantum telluris obivit, *licet interfecerit cervam aeripedem.* Addenda erat Hyberboreorum regio, ut intelligeremus *oram remotam.* Atque haee, licet unica tellus remota, non tamen memoratur. Memorantur *Erymanthus* et *Lerna.* Dicit ergo: Alcides non eo progressus est, quo Augustus, quamvis fuerit in duobus Arcadiae locis, Erymantho et Lerna. Neque accurate dictum *fixerit.* Nam Hercules cervum capere debuit *vivum.* Tum Lernam non magis *tremefecit* atque *Erymanthum*, sed *pacavit. Tremefecit Hydram.* Sophocles in Trachin. 1094. simpliciter dixerat Herculem Hydram vi interfecisse. Cicero hoc in Tusc. Quaest. II. ornavit, sed recte: *Haec dextra Lernam, tetra mactata excetra, Placavit.* Sic Valerius Flaccus I. 35. *Lernae defensus ab angue Arcas.* Servius quidem observat, poetam pro *hydra* paludem ipsam posuisse. Audio. Sed *Erymanthum* et *Lernam pacavit*, vel *Erymanthum* et *Lernam tremefecit.* Est enim idem factum, in utroque loco *monstrum occidit.* Iam in re, tam arcte coniuncta, non recte dicas, hanc *pacavit*, illam *tremefecit.* Multo praeclarius eadem tractavit Statius Silv. IV. 6. 99. *Hic tibi solemni memorabit carmine, quantus Iliacas, Geticasque domos, quantusque nivalem Stymphalon, quantusque iugis Erymanthon aquosis Terrueris, quem te pecoris possessor Iberi, Quem tulerit saevus Mareoticus arbiter arae.* Iam Schraderus ad Musaeum pag. 316. in Virgilio talem sententiam exspectaverat: Alcides tantum telluris non obivit, quantum Augustus, licet peragraverit totum, qua patet, fere orbem, Hispaniam, Africam, Italiam, Arcadiam, Colchosque iverit. Idem reprehendit Heynius, idem Wagnerus, qui satis ineptam vocat hanc inter Herculis errores commemorationem apri Erymanthii et Hydrae Lernaeae. Virgilium haec ergo emendaturum fuisse censet. Ego Virgilii esse non credo. Et cursus orationis, si versus tollas, longe elegantior est.

Liber, agens celso Nysae de vertice tigris.
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?
Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?
Quis procul ille autem ramis insignis olivae
Sacra ferens? Nosco crinis incanaque menta

Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis. Initio sententiae et cum admiratione: vide Gronovium ad Senecae Controv. II. 11. In caeteris est magna MSS. varietas: *virtute extendere vires*, *virtute extendere factis*, *virtutem extendere vires*, *factis extendere vires*, *virtutem extendere fatis*. Schraderus coniicit *virtute extendere famam*. Servius *virtutem* interpretatur *gloriam*. Idque Heynius et alii tenent, quamquam hic postea verius arbitretur, *virtutem per facta exserere*, ut multa strenue facta edas. Significatio *virtutis*, pro *laude* per virtutem parta, minus me offenderet, si poeta scripsisset v. c. *virtutem extendere in aevum*. Atque hic non tam agitur de gloria, licet ea sit perpetua comes virtutis, quam de ipsa fortitudine, ab Aenea in bellis gerendis praestanda. Igitur Anchises mox addit, ne in Italia consistere *metueret*. Quare mallem: *virtutem ostendere factis*. Verbum magnificum et militare. Nihil est virtutem loqui. Sed *ostendere*, hoc virum et Romanum decet. Graeci loquebantur: Romani faciebant. Frequens est illud *ostendere* in orationibus ducum.

Aut metus Ausonia prohibet consistere terra? Romano, ista legenti, tempora in memoriam venire poterant, quibus de Italia relinquenda actum fuit. Metellum et alios in bello Punico secundo P. C. Scipio retinuit: vide Livium XXII. 53. C. Iulium Caesarem fama percrebuit, migraturum Alexandriam vel Ilium translatis simul opibus imperii. Narrat Suetonius in Vita Caesaris, 79. Augustum fortasse idem aliquando esse meditatum, eoque consilio Horatium scripsisse III. Carm. 3, ut dehortaretur, ingeniose coniecit T. Faber Epist. II. 43. Versus Virgiliani non minus ad dehortandum apti erant.

Quis procul ille. Valerius Flaccus V. 579. *Quis procul ille virum nobis, quem baltheus asper Subligat?* Ubi fortasse legendum: *Quis procul ille, ensem bullis cui baltheus asper Subligat?* Fortasse Paullinus in Virgilio pro *autem* vidit *hominum*. Scripsit in Carm. 22. *Quis procul ille hominum placidis se passibus adfert? Nosco virum, quem divini comitantur odores.*

Nosco crinis incanaque menta. Wagnerus *Nosco* litera maiore initiali edidit, quia praecedentia *Quis procul* sq. Aeneae tribuit. Paucos fore arbitror, qui non omnem orationem tribuant Anchisae. Hic eminus animas

Regis Romani, primam qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis et paupere terra
Missus in imperium magnum. Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriae, residesque movebit
Tullus in arma viros, et iam desueta triumphis
Agmina. Quem iuxta sequitur iactantior Ancus,
Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris.

Aeneae ostendens, non statim videbat esse Numam. Igitur se ipse quasi rogat: *quis procul ille autem?* Tum, diligentius intuens, agnovit Numam: *iam nosco*, inquit, *Numam ex crinibus et mento.*

Missus in imperium magnum. Silius XIII. 854. *origine parva In longum imperium Consul* (veniet).

Iactantior Ancus. Servii annotatio *amans populi favorem* pertinet ad *gaudens popularibus auris.* Serviana hic mire brevia et in compendium redacta sunt. *Iactantior* dicitur, qui vitae splendore famam venatur et in ore hominum esse studet. Hoc studium saepe in *aedificando* cernitur. Ancus Romam mire amplificavit. Amantes aedificandi appellantur *aedificatores.* Florus, describens quid in diversa regum indole fuisset praecipuum, nominavit Ancum *aedificatorem.* Et L. Tarquinium Priscum sua vitae elegantia et divitiae Anco commendasse videntur, adeo ut in familiaris amicitiae iura tandem pervenerit. Talis rex durioribus Romanis videri poterat *iactantior.* Quod Pomponius Sabinus narrat: »Ancus, vivente Tullo, aegre ferebat, cum e stirpe regia se iactaret, praelatum sibi Tullum. Itaque statuerat, favore populari, Tullum regem cum tota familia occidere:" hoc nescio qua auctoritate narraverit.

Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris. Anchises sex reges appellavit. Cur omitteret Servium? Hoc licuit poetae, ait Heynius, ut erat Servius alienigena, nec adeo ad Anchisae posteritatem referendus, et Pomponius Sabinus eum bene inter Tarquinios numerari posse censebat. Sed quum Servius erat rex, erat Romanus, et in posteris Anchisae numerari debet, quando inprimis caeteri alii reges omnes non omittuntur. Scribendum puto: *Et qui iam nimium gaudet popularibus auris.* Quem Tullum sequitur *iactantior Ancus*, et *Servius Tullius, qui iam nunc nimis auram popularem captat.* Non opus erat nomen Servii addere. Intelligitur vel et ordine successionis, et *ex aura populari*, cui prae aliis regibus ita inhiabat, ut nemo, in Romana historia vel mediocriter versatus, id ignorare possit. Livius I. 40. *Servius Tullius iam privatus, vivente Tarquinio, non apud regem modo, sed apud patres plebemque*

Vis et Tarquinios reges, animamque superbam
Ultoris Bruti, fascisque videre receptos?
Consulis imperium hic primus saevasque securis
Accipiet; natosque pater, nova bella moventis,
Ad poenam pulchra pro libertate vocabit,

longe maximo honore erat. I. 46. *Conciliata plebis voluntate, ausus est ferre ad populum, vellent iuberentne se regnare? Tum actum est de agro plebis, adversa patrum voluntate. Tarquinius Servium apud patres criminatus est.* I. 47. Tarquinius appellat Servium *fautorem infimi generis hominum.* Iam hinc Servium captasse auras populares, ex opinione certe patriciorum, satis apparet. Et Virgilius et Livius in prima parte rerum Romanarum ita conveniunt, ut ex iisdem fontibus hausisse videantur. Denique Livius I. 48. addit: *Id ipsum tam mite ac tam moderatum imperium tamen, quia unius esset, deponere eum in animo habuisse, quidam auctores sunt. Ni scelus intestinum liberandae patriae consilia agitanti intervenisset.* Haec Livius. Et noti sunt Servii *Commentarii*, in quibus formam novae reipublicae descripserat. Atque hic versus Augusto placere debuit, qui et ipse aliquando *de reddenda populo libertate* cogitasse et cum amicis deliberavisse traditur. Pro *gaudens*, in Hamb. pr. legitur *gaudet*, pro *nunc* in Franc. *hunc*. Initio versuum prima litera H et N eandem fere habent figuram. Vide interpetes ad Gratii Cyneg. 380. Burmannus *hunc* arripiens, versum sic explicat: *hunc quoque sequitur gaudens auris popularibus*, et eundem Servium Tullium significari putat.

Vis et Tarquinios reges, animamque superbam Ultoris Bruti. Vocabulum *superbus* cum Tarquiniis iunctum, aliter, nisi de Tarquinio Superbo, accipi non potest. Nec scio quid sit *anima superba Bruti.* Servius: »*Animamque superbam: unus enim de Tarquiniis fuit Superbus.* Ergo legit *Vis et Tarquinios reges animamque superbam, Ultoris Bruti fascesque videre receptos.* Quod melius est vulgato. Sed scribendum iudico: *Vis et Tarquinios reges, animaeque superbae Ultorem Brutum.* Vis videre et reges Tarquinios, et Brutum, *ultorem Tarquinii Superbi.* Formam versus adumbravit Silius XIII. 811. *Vis et Martigenae thalamos spectare Quirini?*

Ad poenam pulchra pro libertate vocabit. Claudian. in Eutrop. I. 441. *natos hoc dedere poenae Profuit, et misero civem praeponere patri?* Eleganter *hoc profuit*, pro, hanc habuit utilitatem. Valerius Flaccus V. 49. *Hoc labor, hoc dulci toties fraudata sopore Lumina, et admotis nimium mens anxia Colchis Profuit?* Frustra Heinsius in Claudiano voluit *natos quo dedere poenae.*

Infelix! Utcumque ferent ea facta minores;
Vincet amor patriae, laudumque immensa cupido.
Quin Decios, Drusosque procul, saevumque securi
Adspice Torquatum, et referentem signa Camillum.
Illae autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animae nunc, et dum nocte premuntur,
Heu quantum inter se bellum, si lumina vitae
Attigerint, quantas acies stragemque ciebunt!
Aggeribus socer Alpinis atque arce Monoeci
Descendens, gener adversis instructus Eois.
Ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella;
Neu patriae validas in viscera vertite vires.
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo;
Proiice tela manu, sanguis meus. —
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, caesis insignis Achivis.

Utcunque ferent ea facta minores. Valerius Flaccus III. 455. *nostrive luent ea facta minores.*

Vincet amor patriae, laudumque immensa cupido. Vincet omnes cogitationes, quae eum ab hoc facto retinere potuissent. Livius II. 2. *nec dicturum fuisse, ni caritas reipublicae vinceret.* Schraderus alterum hemistichium delebat: neque Heynio placebat. Wagnerus recte defendit. Et primis reipublicae temporibus ea est hominum liberorum natura. Francia non unum dedit exemplum. Et Virgilius tacite reprehendit *immensam* laudum cupidinem.

Quin Decios. Decii et Torquatus optime Brutum sequuntur.

Ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella. Claudianus B. Gild. 286. *Ne consanguineus certetur cominus armis, Ne, precor.* Ubi imitatio Heinsium non effugit. *Assuescite bella*, pro *bellis*, notum. Vide Burmannum ad Ovidii Trist. III. III. 7.

Proiice tela manu, sanguis meus. Statius Theb. III. 643. *Proiicite arma manu.* Versus in Hamb. est suppletus: *sanguis meus esse memento.* Rufinianus legit *sanguis pius*, et explicat argutius, quam verius, quasi ideo parcere prior debeat, quia sit Anchisae *pius sanguis* et ab Olympo genus ducat. Recte Heynius animadvertit *meus* habere plus affectus et ad naturae veritatem melius esse comparatum.

Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas,
Ipsumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli;
Ultus avos Troiae, templa et temerata Minervae.
Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Cosse, relinquat?
Quis Gracchi genus? aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyae, parvoque potentem
Fabricium, vel te sulco, Serrane, serentem?
Quo fessum rapitis, Fabii? tu Maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando restituis rem.
Excudent alii spirantia mollius aera,
Credo equidem, vivos ducent de marmore voltus;
Orabunt caussas melius, coelique meatus

Eruet ille Argos. Valde obscurum est, de quo hic agatur. Pomponius Sabinus annotavit: »Hoc carmen (tres versus) putant e textu delendum esse: nam Virgilius procul dubio, si correxisset, fuisset exemturus; nisi aliquid adspexerit nobis incognitum." Alii Aemilium Paullum et Persea, alii Pyrrhum significari volunt, alii alios. Neque pulchre repetitur *ille* de diverso homine. Iam minus castigatum est *eruet Aeaciden:* ut etiam *avi Troiae* pro *Troiani:* quod veteres Grammaticos movisse videtur, ut iungerent *Troiae* Minervae, hoc est *Troianae.* Versus, tamquam suspectos, notavi. De Perseo cogitasse videtur Priscianus in Laude Anastasii 174. *Aemilius quondam Paullus, fortissimus ille, Sic regem Persen, populo spectante Latino, Curribus invectus, Tarpeiam traxit ad arcem.*

Sulco, Serrane, serentem? Scholiast. Lucani X. 153. legit *sulco colentem.* Oudendorpius e MSS. citat *sulcos.*

Quo fessum rapitis, Fabii? In Cod. Rom. *gressum.* Cortius ad Lucan. III. 116. hoc amplectitur, idemque putat vulgatum nullo propemodum sensu esse dictum. Adspectus, credo, Fabiorum, praecipue Maximi, Anchisen adeo perculit, ut sibi fere ipsi eriperetur, laudesque eorum commemoraret, nisi iam loquendo esset fatigatus. Ita Horatius III. Carm. 25. *Quo me, Bacche, rapis tui Plenum?*

Orabunt caussas melius. Mallem Virgilius scripsisset: *Narrabunt caussae rerum.* Nam et *caussas orare* est nimis vulgare et quotidianum, praecipue si cum caeteris compares. Quam poetice artifices et astronomos indicavit! Et Romani in eloquentia forensi adeo profecerant, ut in ea minus Graecis cederent, quam in aliis rebus. Quam invidiosum praeterea hoc erat memoriae Ciceronis, illius, qui

Describent radio, et surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento;
Hae tibi erunt artes: pacisque imponere morem,

Virgilium appellaverat *magnae spem alteram Romae*. Vix cadit in animum Romani, Graecis hoc dare, in quo Cicero regnaverat. Mallem, inquam, Virgilius scripsisset: *Narrabunt caussas rerum;* philosophiam inprimis physicam interpretabuntur: grave argumentum, in quo Graecis facile palmam cedebant, et a poetis Romanis saepe laudatum, tamquam summum humanae cognitionis ornamentum: in quo Propertius dicebat se postremos vitae annos esse collocaturum, III. III. 45 sq. ubi eleganter varias philosophiae istius partes attigit, deum creatorem, solem, lunam, ventos, maria, nubes, arcum coelestem, supremum diem mundi, sidera, anni tempestates, orcum. Iam plurima per *rerum caussas* Virgilius complecti potuisset. Nunc tantum memoravit *astronomiam*. Anchises in describenda philosophia longus esse non potuit, ut fuere poetae, quorum loca collegerunt interpretes ad Propertium et Burmannus ad Lotichium pag. 383 sq. sed tam brevis esse non debuit. *Melius* in *narrabunt caussas rerum* non requiritur. Romani ea Graecis relinquebant. Graeci narrent, nos iis ista relinquimus. Caeterum praeclarus hic est locus ex comparatione ingenii Romani et Graeci, quem locum Romani nunquam sine tacito quodam invidiae indicio praetermittebant. Inviti agnoscunt Graecorum laudes, suasque illis victorias opponunt. Affero hic unum Ovidii locum Fast. III. 101. *Nondum tradideras victas victoribus artes Graecia, facundum sed male forte genus.* Ubi scribendum *victis victoribus*. Testor Horatii: *Graecia capta ferum victorem cepit, et artes Intulit agresti Latio.* Et *vincere victorem*, est Ovidianum. Ut: *vicit victorem candida forma virum.*

Describent radio, et surgentia sidera dicent. Claudianus Cons. Manl. 275. *Manlius igniferos radio descripserat axes.* Ubi *axes* idem sunt quod hic *coeli meatus*. Pro *dicent*, in duobus MSS. *ducent*. Hoc commendari poterat. *Ducimus sidera*, id est, exponimus *sidera duci*. Sed praecedit, de marmore *ducent*, et optime *dicent* iungitur cum *describent*.

Pacisque imponere morem. Paci assuefacere, docere, ut pacem habeant et ament, eoque fiant humaniores. Humanitas in *more* continetur. *Mos* significat *institutum et legem*. Vide interpr. ad Horatium Carm. I. x. *qui feros cultus hominum formasti Decorae more palaestrae.* Virgilius significationem *pacis* pro *imperio Romano* nondum cognovit. Videmus, quam facile ea significatio ex nomine, ita iam posito, oriri potuerit. Tacitus Agric. 30. explicantes facit Britannos, quod ipse sic explicabat: *Auf-*

Parcere subiectis, et debellare superbos.
Sic pater Anchises, atque haec mirantibus addit:
Adspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnis!
Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
Sistet, eques sternet Poenos, Gallumque rebellem,
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.
Atque hic Aeneas; una namque ire videbat
Egregium forma iuvenem et fulgentibus armis,
Sed frons laeta parum, et deiecto lumina voltu:
Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Quis strepitus circa comitum! quantum instar in ipso!

ferre, trucidare, rapere, falsis nominibus imperium, *atque, ubi solitudinem faciunt*, pacem *appellant.*" *Morem* igitur *pacis imponere* idem est atque *pacare*, *pacare* idem quod *domare.* Hinc Velleins Paterc. II. 89. *pacatus victoriis terrarum orbis.* Quod Ruhnkenius bene defendit contra elegantem Lipsii coniecturam *peragratus.*

Qui sic comitatur euntem? Servius: »Marcellum, cui similis est." Credo, qui *tam tristi* forma comitatur. Virgilius Aeneid. IV. 637. *sic veniat.*

Quantum instar in ipso! D'Orvillius ad Charit. pag. 333. ita scribit: »*ἠλίκη εἰκών. quanta similitudo?* Stupidi autem est, non intelligere, quando memoratur *εἰκὼν similitudo*, *πρωτότυπον*, rem vel personam requiri, cui quis vel quid *εἴκασται*, *simile sit.* Nec longe hic quaerenda persona cui hic iuvenis Marcellus similis erat: nempe Marcello illi, de quo Virgilius modo *adspice, ut insignis* sq. Hanc autem similitudinem non opus hic ut coarctes in vultus lineamentis: sed bis non remotis unico hoc verbo dicit poeta: *hunc Marcellum iuvenem praeclarissimo suae gentis Marcello similem et aequiparandum fore.*" Sed ea neque Virgilius dicit, neque Aenean dicentem facere potuit. Nam Aeneas hanc animam plane ignorabat. Heynius locum sic interpretatur: »*Instar*, nove positum est pro *exemplo magnae dignitatis*, specie augusta corporis." Ego illud *quantum instar* hic non esse Latinum arbitror. *Instar* est *imago simillima rerum*, quae rerum indolem et pretium refert ac repraesentat; *rerum*, inquam, non *hominum*, nisi quatenus animi et mores spectentur,

Sed Nox atra caput tristi circumvolat umbra.
Tum pater Anchises, lacrimis ingressus obortis:
O gnate, ingentem luctum ne quaere tuorum;
Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent. Nimium vobis Romana propago

non facies aut vultus. Dicimus *filius quam similis est patri*, qui patrem ore vel animo reddit. Filius *quam instar est patris*, vel *quantum instar habet*, vel *quontum instar in filio*, haec non dicimus, nisi de filio qui paternas virtutes vel vitia plane exprimit, ut, Plato *est instar omnium*, *pretio apud me tanto*, *quanto omnes*. Quare scribendum puto: *Quanti instar in ipso!* Qui strepitus circa hunc puerum! Quot comites! Sed ipse, *quam est instar omnium!* In uno illo plus inesse videtur, quam in omnibus aliis. Adeo singulos et cunctos externa specie superat. Pro *quot comitum ille instar est*, dici potest, *instar quot comitum in illo est;* pro, *quot comites*, dici potest *quontum comitum*. Ut Catullus: *O quantum est hominum venustiorum*. Seneca Consol. ad Marciam 20. *Non vidisset caedes*, *locata publice latrocinia*, *bella*, *rapinas*, *tantum Catilinarum*. Hoc est *tot Catilinas*. Et sic omnia huiusmodi exempla nobis interpretari licet. Sulla, apud Suetonium, dicebat in Caesare *multos esse Marios*. Quot Mariorum instar est Caesar! Quantum Mariorum est in Caesare. Quanti Mariorum instar est Caesar. Latini per *instar* reddunt Graecorum ἄξιος et ἀντάξιος. Homerus Iliad. Θ. 234. Conf. Wyttenbachius ad Plutarchi Moral. Animadv. T. I. pag. 537, et Lennepius ad Phalar. Epist. pag. 292. Talia sunt Nepotis Epamin. 10. *unum hominem pluris esse*, *quam totam civitatem*. Seneca Epist. 7. *Unus mihi pro populo est*. Anthol. III. *Εἷς ἐμοὶ ἄνθρωπος τρισμύριοι*. Nec frustra Virgilius posuit *ipso*, eum dignitate comitibus opposito, et cum iis comparato. Si cum Marcello comparavisset, potuisset *illo*. Virgilius Aen. VII. 707, idem dixit de Clauso: *magnum Agmen agens Clausus*, *magnique ipse agminis instar*.

Ostendent terris hunc tantum fata. Heynius hinc ductum putat illud Taciti Agric. 13. *monstratus fatis Vespasianus*. Recte, si non addidisset *fatis* esse tertium casum. Tacitus voluit: *fata ostenderunt Vespasianum*. Ita Tacitum explicavi prius quam videram Walchium, qui idem animadvertit. Ausonius de XII Caesaribus: *His decimus*, *fatoque accitus Vespasianus*. Tacitus et in altero Agricolae cap. 13. Virgilium respicit: *D. Iulius potest videri* (Britanniam) *ostendisse posteris*, *non tradidisse*. In Goth. Cod. pro *tantum* legitur *natum*. Error, ex literis male transpositis.

Visa potens, Superi, propria haec si dona fuissent.
Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quae, Tiberine, videbis
Funera, quum tumulum praeterlabere recentem!
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet avos; nec Romula quondam
Ullo se tantum tellus iactabit alumno.
Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello
Dextera! non illi se quisquam impune tulisset
Obvius armato, seu quum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu, miserande puer! si qua fata aspera rumpas,

Campus aget gemitus. Ambrosius de Obitu Valentin. § 3. *Quantos iste de Galliis usque huc totius tractu itineris populorum egit gemitus?*

Vel quae, Tiberine, videbis Funera. Pro *vel*, mallem *heu*. Schraderus *funera* mutabat in *munera*. Sed quum Virgilius dicit *quae funera*, significat *quae lamenta* in funere. Silius XIII. 658. locum adumbravit: *Quantos funeribus vestris gens Itala passim Dat gemitus! Tumulus vobis, consensu senatu, Mavortis geminus surgit per gramina campo.* Et Ammian. Marcell. XXV. pag. 329. *Cuius suprema et cineres non Cydnus videre deberet, sed ad perpetuandam gloriam recte factorum praeterlaberetur Tiberis, intersecans urbem aeternam, divorumque veterum monumenta perstringens.*

Si qua fata aspera rumpas, Tu Marcellus eris. Servius: »Talis, qualis fuit Marcellus, ille vir amplissimus, superius dictus." Heynius: »Si qua via ac ratione tam durum fatum tibi effugere liceat, tu ad M. Marcelli, bello Punico secundo clari, nomen ac gloriam es perventurus." Wagnerus, quod et mihi in mentem venerat, interpretatur: »Utinam rumpas aliquo modo aspera fata! Sic nomen Marcelli, filii Octaviae, hic demum positum, singularem habet vim ad miserationem movendam; quo nomine enuntiato poeta praesenti dolore abreptus ea iam dicentem facit Anchisen, quae proprie ad iusta funebria spectant." In utraque tamen interpretatione difficultas manet. Puer iste, sive fata aspera *rumperet*, sive *non rumperet*, semper tamen futurus erat Marcellus, anima in corpus Marcelli ventura erat. Tum, *pervenies ad laudem Marcelli proavi*, nimis tenuis gloria habenda est, pro eo, quem Virgilius singulari quodam praeconio ornare debuit, cui ultimum locum in hac parte

Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis:

carminis reservavit, ut memoria magis eluceret illius, quem Augustus adeo diligebat, quem sibi successorem destinabat. Post vocabula *Tu Marcellus eris* aliquid requiritur, quo caeteris laudibus cumulus accedat, et ipse puer accuratius significetur. Talia sunt v. e. Ciceronis in Somnio Scipionis: *Tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus; dictator rempublicam constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris.* Livius XXI. 46. *Periculum intercursu tum primum pubescentis filii propulsatum. Hic erit iuvenis, penes quem perfecti huiusce belli laus est. Africanus ob egregiam victoriam de Annibale Poenisque appellatus.* Unde Florus II. 6. *Saucius ipse in manus hostium venisset Imperator, nisi protectum patrem praetextatus admodum filius ab ipsa morte rapuisset. Hic erit Scipio, qui in exitium Africae crescit, nomen ex malis eius habiturus.* Martialis XIV. 191. de Sallustio: *Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum, Primus Romana Crispus in historia.* Martialis fecit hoc epigramma in imaginem, ni fallor, Sallustii iuvenis, sed studio historico iam cogniti. Sidonius Apollin. Panegyr. Maioriani: *post tempore nostra Iulius hic Augustus erit.* Et, alia licet verborum forma, Valerius Flaccus III. 183. *Hylas, spes maxima bellis, Pulcher Hylas, si fata sinant, si prospera Iuno.* Ubi scribendum *si fata sinant, sinat aspera Iuno.* Atque ita post *Tu Marcellus eris* aliquid excidisse credo, cuius sententia talis esse potuit: *Tu Marcellus eris, quem Roma, Augusto ordinibus deorum tandem adscripto, patrem patriae habitura est;* vel, *Tu Marcellus eris, nostrae decus addite genti, Et columen patriae: Manibus date lilia plenis* sq. Quod Anchises supra de hac anima dixit, hoc omne fuit Marcellus in tenera aetate. Sed quod fieret Marcellus, *si fata aspera rumperet*, hoc nunc erat dicendum. *Fata rumpere* plane eodem modo adhibuit Liv. I. 42. *Nec rupit tamen fati necessitatem humanis consiliis.* Caeterum Servius annotavit: »Constat hunc librum tanta pronuntiatione Augusto et Octaviae esse recitatum, ut fletu nimio imperarent silentium; nisi Virgilius finem esse dixisset." Idem fere traditur in Donato. Mongerius, in T. VII. pag. 64. Instit. Nationalis Franciae, ostendere conatur, Virgilium haec non recitasse Augusto et Octaviae, quia nemo, praeter Grammaticos, ne Seneca quidem in Consol. ad Marciam, narrat. Argumentum, quod Fraucus ex silentio scriptorum duxit, non plus est, quam secundarium. Scripsit autem Seneca ad Marciam 2. *Octavia carmina celebrandae Marcelli memoria composita, aliosque studiorum honores reiecit.* Hinc certe apparet carmina a poetis Octaviae esse missa. Fortasse exemplo

Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem accumulem donis, et fungar inani
Munere. Sic tota passim regione vagantur
Aeris in campis latis, atque omnia lustrant.
Quae postquam Anchises natum per singula duxit,
Incenditque animum famae venientis amore:
Exin bella viro memorat quae deinde gerenda,
Laurentisque docet populos, urbemque Latini;
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
  Sunt geminae Somni portae, quarum altera fertur
Cornea; qua veris facilis datur exitus Umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto;
Sed falsa ad coelum mittunt insomnia Manes.
His ubi tum natum Anchises unaque Sibyllam

Virgilii fuere excitati. Neque in ipsa re aliquid est a veri similitudine abhorrens. Et cur Servius et Donatus talia finxissent?

Manibus date lilia plenis. Vult Anchises: Sed anima ista talis Marcellus non erit. Fata enim aspera non rupturus est, sed in tenera aetate morietur. Iustis igitur funebribus, quantum licet, hic fungar. Locum cogitabat Ambrosius de obitu Valentin. § 56. *Non ego floribus tumulum eius adspergam. Spargant alii plenis lilia calathis.* Et Sulpitius Severus de Martino, 22. *Ac, licet inani munere, solum ipsum flore purpureo, et suave redolentibus sparge graminibus.*

Sic tota passim regione vagantur. Tunc, deinde vagantur. Nam Anchises, ista Aeneae exponens, vs. 754. tumulum ceperat, unde omnes adversos legere et venientum vultus discere posset.

Quo quemque modo fugiatque feratque laborem. Respexit Ovidius Metam. XIV. 117. *didicit quoque iura locorum, Quaeque novis essent adeunda pericula bellis.*

His ubi tum natum Anchises. Quibus dictis? Ultima Anchisae dicta, quae *haec* appellari possunt, fuere *fungar inani munere.* Sed post ea locutus est alia multa, quae ipsa Virgilius non retulit, sed brevi sententia memoravit. Iam *aliquem dictis, verbis prosequi et emittere*, significat *aliquem postremum salutare*, eumque, verbis compellatum, dimittere. *His dictis* Aenean prosecutus est, omnino requirit ipsa dicta, quibus Anchises usus fuisset. Mallem: *Hic, ubi tum natum Anchises unaque*

Prosequitur dictis, portaque emittit eburna:
Ille viam secat ad navis, sociosque revisit;
Tum se ad Caietae recto fert limite portum.
Ancora de prora iacitur; stant litore puppes.

Sibyllam Prosequitur dictis, portaque emittit eburna: Ille viam secat ad naves, sociosque revisit. Vult poeta: *sunt geminae Somni portae;* hic, in eo loco, ubi sunt portae, Aenean emittit, ex porta nempe eburna. Sed in toto hoc fine libri notam illam Virgilii elegantiam et iudicium desidero. Aenean longe meliore via ex Orco educere potuisset. Vere ea de re Heynius in Excursu disputavit.

Ille viam secat ad navis, sociosque revisit. Mallem Virgilius hic librum finivisset. Ita et finivit Silius XIII. *Haec vates, Erebique cavis se reddidit umbris. Tum laetus socios iuvenis portumque revisit.* Quae minus elegantia mihi videbantur, ea diversis literarum formis exprimenda curavi. Agnoscent, credo, qui integre iudicare velint, quanto, his eiectis, non modo finis huius sed etiam initium alterius libri fiant pulchriora.

Tum se ad Caietae recto fert limite portum. Sic Wagn. edidit pro *litore.* Dicerem haec legisse Ovidium in Metam. XIV. 120 sq. *Inde ferens* (Aeneas ab Anchise) *lassos averso tramite passus, Cum duce Cumaea fallit sermone laborem:* et vs. 154. *Talia convexum per iter memorante Sibylla, Sedibus Euboicam Stygiis emergit in urbem Troius Aeneas, sacrisque e more litatis, Litora adit, nondum nutricis habentia nomen.* Sed Ovidius in hac parte historiae multa ipse addidit et aliter ad consilium suum informavit. Et si haec, quae in Virgilio mihi displicent, non sint Virgilii, quis novit an non ex Ovidianis ficta sint? Si tamen Caietae memoria fuit celebranda, maluissem: *Tum se ad Caietae recto fert litore portum. Nam quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix, Aeternam, hic moriens, famam Caieta dedisti.* Sed alia in his versibus ingrata reperiuntur. Aeneas naves et socios revisit. Tum, recto litore, se fert ad portum Caietae. Diceres Aenean fecisse iter terra, per ipsum litus. Nam hoc plerumque est *se fert.* Neque Virgilius unquam novum iter maritimum describit, quin de *velis, ventis, remis*, aliisque rebus aliquid addat. Hoc nunc e ieiuno versu *Ancora de prora iacitur, stant litore puppes* intelligere debemus: denique non ferendum puto *fert litore*, et continuo *stant litore.*